Universitätsbibliothek Mannheim

Georgii Fabrici Chemnicensis Roma

Fabricius, Georg

Basileae, 1560

urn:nbn:de:bsz:180-digad-9985

Visual Library

BIBLIOTHEK
DESBILLONS
MANNHEIM

UB Mannheim



UB Mannheim
DFG

C. B.

H 254 D 23

2/6

UB Mannheim

G. fabricii Roma, antiq. et Itinera. Basil. 1560. 8°. Sarraz. n°. 1151. Libri optimi Edit. optima

G. fabricii Roma &c. Basil. 1560. 8°. Sarraz. 1715. haec editio praestat. 5 flor.

Ejusd. Roma et Itinerum Liber. Basil. 1550. 8°. broch. Harscher, Bâle, 1769. n°. 1444. 30 kr.

Georgii fabricii opera poetica Lips. 1689. 8°. Leipsic. 1772. 40 kr.

fabricii Roma operin. 1587. Buschii Engelbertus Abbas, et hodoeporic. 1553. 8°. Bult. n°. 8121. 3tt. 1.



Eiusd. Roma,
Antiq. et Itin.
Bas. Opor. 1587.
8°. Vilenbrouk.
1729. n°. 1006.
1 flor. 6 ʳ.



Ad. Ab. 1587. 8°.
p. Worms, 1778.
1 flor. 12 kr.

G. fabricii
Roma, antiq.
et Itinera.
Basil. 1560.
8°. Sarraz.
n°. 1151.
Libri optimi
Edit. optima



fabricii Roma
Oporin. 1587.
Buschii Engel
bertus Abbas,
et Hodoeporic.
1553. 8°. Bult.
n°. 8121. 3tt. 1.

GEORGII

FABRICII CHEMNICENSIS ITInerum Liber unus, quo hæc continentur:

Iter Romanum primum.
Iter Neapolitanum.
Iter Romanum secundum.
Iter Patauinum.
Iter Chemnicense.
Iter Argentoratense.

ITEM,

Locorum ueteres & recentes appellationes.

Index rerum memorabilium, quæ in appellationibus locorum poni non potuerunt.

BASILEÆ, PER IOANnem Oporinum.

Grossherzogliche Gymnasiums-Bibliothek MANNHEIM

UB Mannheim DFG

BIBLIOTHEK
DESBILLONS
MANNHEIM

GEORGIVS FABRICIVS CHEMNICENSIS

Philippo & Antonio Vuerteris, fratribus optt. S. D.



ONVS iá agitur annus, cùm ego sum in Italiam cũ Vuolfgango fratre uestro profectus. Quamuis enim ille, ut scitis, re familiari impeditus, studia doctrinæ, in quibus erat, deponere aliquandiu coactus fuerit: noluit tamen unquam leuiora illis, aut minus liberalia, quamuis necessaria, anteferre. Nam ut primùm sese ex curis & molestijs, quas paterna illi mors penè puero attulerat, expedire potuit, cõsilium cepit, & prudens & salutare, de ijs studijs continuandis & excolendis, sine quibus gloriam & splendorem, quẽ à maioribus præstantissimis atq; clarissimis uiris acceperat, minimè se tueri posse existimabat. Etenim cum ea de re mecum ageret, ut ad communicanda in literis consilia iter Italicum unà susciperem, dicere eum memini, se in re domestica negociorum quidem nullum sentire onus, aut molestiam: sed in ocio tamen sępius requirere maiorem & magis sinceram delectationem. Quæ sanè uox indicio mihi erat, & laborem illum amare, & eiusmodi desiderare ocium, quo etiam nego

cium iucundius efficeretur: tale autem in uariarum rerum cognitione & tractatione bonarum literarum positum esse, rectissimè iudicabat. Quãto uerò opere doctos amauerit atque coluerit, quo animi impetu, industria, studio in literis uigilauerit, quàm magno & excelso animo omne uoluptatis genus contempserit: uos esse testes potuistis, ab eo tẽpore quo nobiscum est Argentorati uersatus. nã in studijs nemo nostrûm ardentior, nemo in laboribus tolerantior, in exercitationibus nemo constantior eo fuit, quodq; Plato scribit in quodam de Republica sermone, φιλοπονίᾳ ὃ χωλὸν δεῖ εἶναι τῆς φιλοσοφίας ἁψόμενον, τὰ μὲν ἡμίσεα φιλόπονον ὄντα, τὰ δὲ ἡμίσεα ἄπονον: ea profectò in re fratris uestri fortitudinem singularem, & incredibile studiũ admirati semper sunt omnes qui eius familiaritate usi, tantam in eo cupiditatem & assiduitatem perspexerunt. Cùm autem non modò literarũ scientiam, sed & hominum atq; morum ad eas quas colebat disciplinas, utilem esse cognitionem animaduerteret, quarto pòst anno quàm Patauium uenerat, primùm Insubriam & Liguriã cum alijs peragrauit, mox reliquæ Italiæ maximam partem mecũ perlustrare instituit: in primisq; curauit illud, ut ad iter sibi talem præterea adiungeret comitem, qui ijsdem rebus delectaretur, & cognoscendi ardore non dissimili flagraret. Facilè id au-

id autem impetrauit à Vuolfgango Meurero, quem & Lipsiæ ut uirum doctũ & excellentem coluerat, & tum ut hominem sibi notum ac familiarem uehemẽter diligebat. Mihi uerò inter eundũ autor fuit, ut profectionem literis diligenter cõsignarem. quod etsi mihi laboriosum & arduum uidebatur, in tanta præsertim barbarie, quæ omnia ferè locorum ueterum nomina mutauit: tamẽ rem tentare ausus fui. Et quoniam M. Catonem, aut Iul. Hyginũ, qui de urbibus Italicis, multis libris pleniſsimè scripserunt, quòd eorũ opera intercidissent, non liceret consulere: alios autores, eosq; satis probatos, secutus, quàm simpliciſsimè potui, rationem itinerũ atq; profectionis initæ exposui. Quam expositionem ad uos, Philippe & Antoni, mitto uniuersam: primùm, ut in fratrem, quasi ferè alterum intuẽtes, quemadmodum cœpistis, exempla præclara sequamini: & hoc quasi Gratiarum uinculum, quo coniunctiſsimis uoluntatibus, & amore planè fraterno consociati estis, nullo unquá tempore dissolui, aut uiolari sinatis: deinde, ut ijs aliquando locis inspectis, ipsi uos faciatis iudicium de hoc scripto, quod tum uobis spero futurum magis acceptum atq; iucundum. Non solum autem, ut dixi, uestri fatris hortatu, libenter: sed uetustiorum etiam scriptorum exemplis excitatus, hunc laborem audacter suscepi.

Poetam nouistis Lucilium Iter scripsisse Roma Capuam usq;, inde in Siciliá: nouistis etiam Iulij Cæsaris poema, quod Iter inscribitur, à Suetonio commemorari, ex urbe in Hispaniam citeriorem. Item Vlpij Traiani Dacica itinera à seipso, quorum apud Priscianũ mentio: & Alexandri Seueri, ab Acolio, qui ei à memoria erat, esse mandata literis: nec non per uarias orbis terrarum partes scitis extare profectionem Antonini. Brundusinũ Horatij poetæ è Roma excursum, & Ouidij in Miletum nauigationem, breuiter uidetis in ipsorum epistolis expositа. Firmianus Hodœporicon de Africa Nicomediam usq;, hexametris edidit uersibus. & simile uero est, à pluribus olim fuisse eiusmodi conscripta uolumina, præsertim cum Græcorum philosophi nauigationes Oceani tentauerint: & itinera ualde longinqua, ad extremas terrarũ oras, sint ingressi: quorum cæteris in rebus utilem & spectatam diligentiam, ne hac quidem fuisse in parte desideratam arbitror. Facite autem optimi Fratres, ut cum morum disciplina, & cultu literarũ, & studiorum elegantia, hanc simul partem, quantum satis uidebitur, periclitationis & experientiæ coniungatis, quæ multas & magnas commoditates adfert, cùm ad prudentiam & ad humanitatem, tum ad uitam bene & feliciter instituendam: idq; uos mirabiliter cupere, & earum

rum rerum fructum, et utilitates aliquas iam tenere, tum mihi uidere uiſus ſum, cum ultimum iter, quod hoc in libro deſcribitur, uobiſcum ego & Blaſius frater meus, ante triẽnium cõfecimus. Sed eſſe prolixior hoc tempore non debeo, neq; etiam laude uel adhortatione uti uolo. quid enim laudẽ eos, quos commendat naturalis quædam uirtus & bonitas? aut quid multis horter, per ſe incitatos, ac ſponte ſua currentes? Illud tamen nõ dubitabo uobis recipere, & confirmare, fore ut aliquando ueſtris honeſtiſsimis ac pulcherrimis laboribus, ſitis plurimum gauiſuri: quæ ut gubernet atq; prouehat ad ſalutẽ & patriæ & ueſtram Deus, ex animo precor, uotisq́; omnibus uehementer exopto. Nicolao GERBELIO, ſeni optimo, & uiro doctiſsimo, & amico noſtro integerrimo, ſalutẽ opto. Valete. E' ludo illuſtri Miſenæ Hermundurorum, XIX. Cal. Sept. Anno à nato Chriſto, M. D. XLVII.

MATTHIAS MARCVS Dabercuſius.

Καλὸν μὲν δοκέει διοδεύειν ἔθνεα πολλὰ,
Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἄστεα καλὸν ἰδεῖν.
Τοῦτό γ' ἐὰν ποιῇς οὐχ εἵνεκα τέρψιος οἶνος,
(Τῶν ἀποδημούντων ἧς πλεόνεσσι μέλει.)

Ἀλλ' ἵνα παντοίων ἐν τοῖσιν ἔθος τε, νόον τε
Γιγνώσκῃς λαῶν, μυρία τ' ἄλλα μάθῃς,
Ὡς ἂν ἐπιστήμη ψυχήν τε μάλιστα δύναιτο
Κοσμεῖν, τῷ κοινῷ λυσιτελεῖν τε βίῳ.
Οὕτω λαβρτȣ πολυμήχανος ὑὸς ὀδυσσεὺς
Πλάγχθη, ἐπεὶ τροίης πρῶτον ἔπερσε πόλιν.
Οὕτω φαβρίκιος μετὰ βερτηροῖο διῆλθε
Γερμανῶν κλειτὴν, αὐσονίων τε γέαν.
Ὡς δὴ ἐμμελέως καὶ θεῖος ἔδειξεν ὅμηρος,
Καὶ νῦν δείκνυσιν βιβλία μικρὰ τάδε.
Μνήματα δ' αὖ δείξει, συνέγραψεν ἃ κάρτα παλαιὰ
Φαβρίκιος γαίῃ ξεῖνος ἐν οἰνοτρίῃ.

ADAMVS SIBERVS.

Ausoniæ cultas quæ sunt uisenda per oras,
Oppida, rura, arces, flumina, stagna, lacus:
Mœnia seu Pataui, Troiani Antenoris urbem,
Seu Romam, Roma Parthenopenq; petas:
Siue iter Hetruscum carpas, reptesúe per Alpes,
Explicat hæc, lector, pagina docta tibi.
Pagina quæ certans Venusinis æmula chartis,
Cur longinqua docet sint adeunda loca:
Non cœlum ut mutes, ceu grus, quæ Strymona pennis
Quod fuerat tranat, quod fueratq; redit:
Sed studia & mores hominum, solertis Vlyßis
Exemplo, uarijs perspeculere locis.
Vnde usus rerum uenit, & prudentia maior,
Queis sine quid tandem, uiuere, laudis habet?
Hanc tibi Fabricius Latio dat ab orbe reuersus,
Fabricius patriæ gloria rara suæ.
Quam si mente legis, qua scripsit & edidit ille,
Crede mihi, fructu non pereunte leges.

ITER

ITER ROMANVM PRIMVM, AD ANTONium Carchesium.



TROIANI *egressos nos primùm Antenoris urbe,* Patauium urbs.
Excipit Adriaci regnatrix inclyta ponti,
Vrbs Venetûm, fœcunda uiris, ueneranda senatu Venetiæ urbs.
Purpureo, & magnæ uirtutibus æmula Romæ.
Hæc quamuis ipso fundata sit æquoris æstu,
Tot tamen excelsas ædes, tot regia tecta
Vna habet, Europæ quot nostris nulla sub annis.
Pro portis illi est Nereus, pro mœnibus æquor,
Quadrupedumq; loco celeres subiere carinæ.
Hic loca, non bene nota prius, uecti omnia circum,
Templa, forum, turrim, campos, nauale, tabernas,
Cernentes, strepitumq; urbis, populosq; frequentes,
Artificumq; manus uariorum, hominumq; labores:
Vnam collectum mundum miramur in urbem.
Inde sumus Clugias uelo remisq; profecti,
In quas Fossa uetus mutauit Clodia nomen. Fossa Clodia opp.
Primus erat superare labor, quod Rheticus amnis Brundulum
Ostium, & alter adhuc Patauinis auget ab agris, ostium.
Quodq; Philistinæ gaudet cognomine fossæ: Philistina fossa.
Hinc urgemus equos per siccas littore harenas,
Perq; uias planas traiectibus interruptas, Padus fl.
Quà se populifer pleno cum flumine miscet Gorum, Volane, ostia.
Eridanus pelago, hîc inter Gorum atq; Volanen

Pene sibi fregit Meurerus crura, cadente
Lapsus equo, ferro nimium & calcaribus usus.
Nec fuit alterius melior fortuna diei,
Capraſiæ. Inter Capraſias, euerſaq; mœnia Spinæ,
Spinetieum ostium. Antequam ad uluoſæ ſtagnantia culta Rauennæ
Rauenna urbs. Venimus: hîc feſſos paulum reparauimus artus,
Contemplati humiles muros, & templa deorum
Ardua, & inſignes antiquo marmore poſtes.
Auguſtæ in primis monumenta ſuperba puellæ,
Cui mores Placidæ, mater dat nomina Gallæ,
Atq; tuum Dantes quoq; Florentine ſepulchrum.
Plurima præterea Gothico quæ marmora bello
Tranſtulit Auſonia rex Theodoricus ab urbe.
Ceruia op. Hinc ſe digreſſis oſtendit Ceruia nobis
Parua, ſed inſolito Muſis digniſſima facto.
Audacis iuuenis uim paſſa inuita puella,
Dedecus eſt confeſſa ſuum, teſtataq; diuos
Præfecto coram, & multum conqueſta, rogauit,
Quo precio dignus, qui talia facta patraret?
Virtutem miratus, ait: Si filius eſſet
Hic meus, ipſe darem feriendum colla ſecuri.
Illa oculos demiſſa: Fuit ſed filius, inquit,
Hic tuus. indigno motus ſermone puellæ
Ipſe pater, natum ad pœnam pro laude uocauit.
Hoc mihi dum quidam factum narraret eunti,
Sapis fl. Interea foſſas ſalſas, & Sapidis undam,
Et prope candentes Ceſenæ ſulphure montes
Ceſenæ portus. Traijcimus portum, ſed non intrauimus urbem.
Nec guſtare fuit Lenæi munera tempus,
Quæ tulit in modicas Mecœnas optima menſas,

Iſto

Iſto propagata loco melioribus annis.
Hinc uentum ad parui flumen Rubiconis, & urbem
Herculeam: prope quam ſcelerato Iulius auſu,
Cùm peteret patriam, uiolans mandata Senatus,
Torſerat in patrios hoſtilia pila penates.
Pons hic ab Auguſto conſtructus Cæſare, & arcus
Cui titulum uicti, nomenq; dedêre Liburni.
Poſtea Cruſtumioq; cito, placidaq; Quadenna,
Non curſu ſegni ſuperata, & montibus altis,
Multùm nitentes Vrbini aſcendimus arcem.
Hoc Fridericus opus Phœbo Muſisq; dicauit:
Et docuit, forti quid ſit ſapienteq; dignum
Principe. quàm mores mutarunt tempora priſcos!
Nam quod pro uirtute ſua Fridericus agebat,
Nemo agit: in luxu nunc tempus perditur, & res.
Hæc uia recta quidem quamuis non eſſet ituris,
Fama tamen clari commouit principis, atq;
Librorum ueterum multa & precioſa ſupellex.
Inter Iſaure tuas ripas, interq; Metaure,
Ad mare deinde uias cœptas deflectimus, & nos
Accipit antiquo celebratum uate Piſaurum:
Vel quòd ab appenſo Gallorum dicitur auro:
Vel tenet à fluuio, uelut oppida plurima, nomen:
Hinc amne, ac firmis munitum mœnibus illinc.
Principis huic Mariæ Franciſci proxima uilla eſt,
Cauſa animi, quam dilecto Leonora marito,
Ex bellis poſuit redeunti, dulce laborum
Poſt graue Martis opus, poſt aſpera bella leuamen.
Tunc aliud placuit Vuertero, ne quid inauſum
Linqueret, ignoto uitam committere ponto.

Rubicon fl. Ariminum opp.

Cruſtumiũ, Quadenna, fluuii. Vrbinum urbs.

Iſaurus, Metaurus, fluuii. Piſaurum oppidum.

Tres

Tres tamen aduersus dum soles detinet Eurus,
Argilla fl. Et negat Adriaci Neptunus tuta profundi,
Fanum Fortunæ opp. Rursus equo uectis transmissa Argilla, propinquas
Metaurus fluuius. Despicit hic ualles, urbs & memorabile Fanum
Fortunæ, Hasdrubalisq; notatus clade Metaurus,
Qui uagus ambiguis curuans se flexibus errat.
Non procul hinc sectæ dicuntur uiscera rupis,
Petra pertusa. Nomina Pertusæ nunc nacta recentia petræ.
Iam superatus erat rapidi pons ligneus amnis,
Mox atro densos effundens Iuppiter imbres
Æthere, labentum de montibus auxit aquarum
Misa fl. Cursus: uix ope sum Misæ seruatus in undis
Vectoris, quia me torta uortigine cæcum,
Iam uortex celeri raptabat in æquora cursu.
Senogallia oppidum. Lætius intrata est Senonum de nomine dicta
Gallia, quam iuxta non magno Nebia portu.
Altera lux etiam cœlo non orta sereno,
Atq; infausta fuit Vuertero, qui prope ripam
Æsis fl. Æsidis, in fossam fortuna lapsus iniqua est.
Ancona urbs. Sed tandem Anconam delatis, longa malorum
Oblita est series: namq; aspera ferre recusans,
Segnis inersq; domi sedeat stertatq; necesse est.
Non secus ac uastum iactatus nauta per alum,
Cùm subijt portu, non amplius ille pericli est,
Ventorumq; memor: sic nos in gaudia curas
Soluimus, à superis deinceps meliora precati.
Visus ibi portus Traiani, uisa locorum
Ornamenta alia, & quæ Paulus tertius addit
Claustra mari magno, ac ualidis munimina portis.
Visa etiam piscis cuiusdam costa marini,

Qui

Qui uiuus turres æquarat, & alta domorum
Tecta (fide maius) Cimmeræ in uertice montis.
Vtq; Syracusijs urbs hæc fundata colonis,
Sacrilegi imperium regis fugientibus, annis
Sic quoq; pòst longis creuit Musionis ad amnem,
Silua loco notum tribuit cui Laurea nomen,
Christiparæ ostentans templum sublime puellæ,
Diues opum uariarum, & multis nobile donis,
Aduena quæ sacro ueniens in poste reliquit.
Ricina unius pòst Ælia cognita noctis
Hospitio, ac uario sinuosa Potentia flexu
Præterita, & positum prope collem Sanseuerinum:
Vrbs noua pòst Gothicum longè ædificata furorem,
Quales non paucæ sunt in regionibus istis.
Deinde uetus retinens, ingressa Matilica, nomen:
Quæq; in Sentinæ fertur fundata ruinis
Faberiana, urbes inter non ultima paruas,
Apta ujs, campo fœcunda, frequensq; domorum.
Turris in urbe fuit media, par illius, unde
Troiam omnem poteras, & Dorica castra uidere:
Ante annos aliquot uiolentam passa ruinam.
Huic etiam ad liquidum sua propria dona Chientum,
Charta papyrifero certans pulcherrima Nilo.
Postera purpureos aperit Tithonia uultus,
Mortales miseros reuocans ad munera uitæ,
Cùm per difficilem reptauimus Appenninum,
Linquentes tetricis subiectum montibus Asim,
Et leni Tibrim manantem flumine, donec
Lumine cum lunæ Perusinam acceßimus urbem:
Vrbem infelicem, quæ dum se uindicat armis,

Seruitijq;

Cimmera promont.

Musio fl. Loretũ opp.

Ælia Ricina opp. Potentia fl. Sanseuerinũ opp.

Matilica oppidum. Sentina, Faberiana, oppida.

Chientus fl.

Apenninus mons. Asis fl. Tibris fl. Perusia urbs.

Seruitijq; iugum uult declinare, quod ante
Iuris & arbitrij restabat, perdidit omne:
Viribus ab nimium, rebusq; animosa secundis.
Hîc mihi Carchesi peperit res mira stuporem.
Nam cùm uisendi studio, atq; labore diurno,
Danda essent placidæ iam languida membra quieti,
Nocte ferè media nos exigit ædibus hospes,
Non aliquo nostri uitio, culpa ue: sed uxor
Imperiosa domum, famulosq; uirumq; premebat.
Cùm iam turrigeram mens esset linquere terram,
Augusti portas retinentem Cæsaris altas,
Thrasymenus lacus. Pieridumq; bonam longo iam tempore alumnam:
Sanguinei campi. Tum multum incerti, lacus an Thrasymenus, & albi
Ossibus, ac dicti campi de Sanguine, an Vmbris
Montibus impositum cursu propiore petendum
Asisium op. Assisium: potior tandem sententia sedit,
Templum augustum, ingens, atq; inclyta tecta uidere
Diui, tot meruit qui paupertatis honores:
Cui sine crine caput, nodosaq; cingula restis,
Hispellum opp. Calceus ex ligno, & signatum uulnere corpus.
Prona ualle iacens Hispellum ignobile, non est
Fulginia opp. Passus adire dies, & clausis mœnia portis.
Tinia fl. Fulginia in patulis post hoc quà sternitur aruis,
Quaq; fluit Tiniæ riuus, Tiberina fluenta
Qui subit exiguus, cum largo uenimus imbri.
Mutuscæ oppidum. Visaq; maxima uallis, oliuiferæq; Mutuscæ,
Quas Treuias uulgi malè cœpit dicere sermo.
Clitumnus fluuius. Nec Clitumne tuum non est memorabile nomen,
Propter aquas cuius lætissima gramina, & eruum,
Detondent patulo candentes ore iuuenci,

Quem

Què prope Bacchi hederas, myrtumq; et Daphnidis um (bram
Serta tibi Musæ nectebant docte Properti,
Cynthiaq; Aonijs decima addita diua deabus.
Huic bona uerba loco dicentes, inde subimus
Spoletum: & faciles nacti per tempus amicos, Spoletum oppidum.
Magnifici primùm suspeximus ardua templi,
Atq; ubi culta fuit ueteri Concordia fano,
Theodorice tibi tum structa palatia: quæ pòst
Diruta, non passus Narses inculta iacere.
Vespere lætitia, & dulci superante Lyæo,
Duximus in seram risus & gaudia noctem. Interamne opp.
Mane petita fuit, negat hoc quæ carmine dici,
Quæq; sita inter aquas, & rosea rura Velini,
In qua fingebat se Clodius urbe fuisse,
Sacra incestarat cùm puluinaria diuæ.
Hîc quater irrigui stipant fœnilia campi,
Vnius agricolam ditantes meßibus anni.
Imposita excelso non magna urbs utraq; colli,
Narniaq;, Ocriculumq;, gradu properata citato: Narnia, Ocriculum, oppida.
Sed trepidos cursus iter impediebat iniquum.
Namq; in equis mora nulla fuit: neq; Cyllarus isset
Sic, uel Achillis equus, uel præpete Pegasus ala.
Flaminiæ inde uiæ magnam inter rudera partem Via Flaminia.
Transgressos, perq; innumeras nos Roma ruinas Roma urbs.
Suprema lassos Octobris luce recepit.
Carminis hæc nostri finis fuit, atq; uiarum.

Cal. Nouemb. Romæ,
M. D. XLII.

ITER

ITER NEAPOLITANVM, ad Casp. Næuium.

PAruum iter ingredior, sed non & gloria parua
Scribentis, si quis describat singula Næui,
Quæ maiora fide, atq; oculis uix credita nostris,
Per dominam Imperij passim cognouimus urbem:
Ac foret Ausoniæ contexenda Ilias Vrbi,
Insignes si quis uellet memorare ruinas.
Nam siue aspicias memorabilis Amphitheatri
Structuram, templi seu tecta foresq; rotundi,
Pacis & euersæ molem, artificesq; columnas,
Seu ductas tot aquas, tot regia strata uiarum,
In primis thermas, luxus monumenta: tot arcus,
Pyramides, statuas, obeliscos, signa, colossos,
Ingenia artificum testantia, facta uirorum:
Non licet ista breui percurrere singula uersu.
Quòd si etiam lustres suspensos aere colles,
Sub terris aliam inuenias (mirabile) Romam.
Hæc nobis aliquot uix mensibus explorata,
Visum est inde alias, aliasq; exquirere terras.
Tempus erat, uarios quo fundit terra colores,
Ferentina porta. Graminibus campus uestitur, frondibus arbor,
Cùm nos à priscis de nomine dicta Ferenti
Porta, ferè lentos dimisit ab urbe Latina:
Mox obiectum oculis opus admirabile nostris
Aqua Tepula. Ductus aquæ, fuerat cui quondam Tepula nomen,
Vicinosq; rigans amnis Cybeleius agros,
Almo fl. Almo, intra Romæ qui iungi mœnia Tibri
Collis Auentini sub plano, atq; æde Dianæ
Dicitur: at ueterum pugnat sententia discors.

Vidimus

Vidimus inde Lamum decliui in colle uetustum, Lamũ opp.
A Marij uilla modò dictum (ut fama) Marinum.
Hinc Antemnatum deserti tempore fines, Antemna opp.
Atq; infesta fero silua est peragrata latrone.
Mox Auguste tuis habitata parentibus arua,
Hospitium prima tribuerunt nocte Velitræ: Velitræ op.
Sed tantum hospitium. nec enim locus ille quieti
Aptus erat, propter turbas, strepitumq; sequentum.
Manè graues pluuia Nymphæum liquimus amnem, Nymphæus fl.
Et Sermonetæ noua mœnia: quam prius urbem Sermoneta oppidum.
Ereptam dominis, natæ donauit auaræ
Sextus Alexander, quam sponsam fecerat idem,
Atq; nurum, sacro præfectus pastor ouili.
Per graue montis iter post prandia deinde profectis, Pontini campi.
Visa est Pontinos despectans Setia campos, Setia opp.
Non intrata tamen: quia tectum proxima uilla
Hospitiumq; dedit, Setini & munera Bacchi
Sponte propinauit. nondum lux altera cœlo
Orta erat, è duro cùm strato membra leuantes,
Scabrosas cautes superamus, & aspera montis
Saxa, ad Priuernum, pharetratæ laude Camillæ Priuernum oppidum.
Nobile, Amazonijs quæ par uirtute puellis,
In mortem patriæ pro libertate ruebat.
Tum transmittentes Amaseni fluminis undam, Amasenus fluuius.
Nunc monachis habitatũ. aspeximus inde forum Appi, Forum Appii, opp.
Deq; tribus quæ sunt olim loca dicta tabernis,
Circæasq; domos, altiq; cacumina montis. Circæus mons.
Hic ubi non hominum Titanis subdola formas,
Cantibus & uirga mutauit, ut inquit Homerus:
Sed cœlestem animum fraude, incautoq; ueneno,

Transtulit ad leuium miracula turpia rerum,
Atq; uoluptatum damnosa perdidit esca.
Id factum docuit nos præsens, altera namq;
Circe erat in nostro comitatu, Græca puella,
Quæ postquam Hispanis Italisq; ruentibus in se
Certatim, blanda porrexit pocula dextra,
Non secus ac capti sensu, ebria turba furebat:
Nec pudet oblitosq; sui, immemoresq; decori,
Turpiter imperijs dominæ parêre superbæ.
Hæc dum indignantes animis, tacitiq; tuemur,
Oufens fl. Interea angustas per ualles turbidus Oufens,
Fossa palustris. Qui in mare quærit iter, tum proxima Fossa palustris
Feroniæ lucus. Præterita est, uiridiq; olim Feronia luco,
Tarracina oppidum. Tollentesq; caput candentes Anxuris arces:
Nunc mons & tellus, quondam maris insula Tusci.
Hæ contra fluctus ingentis fragmine montis
Munitæ, tumidas contemnunt æquoris iras,
Nereaq; undisono tundentem saxa fragore.
Hic quondam moles hominum collapsa theatri,
Viginti infando deleuit millia casu.
Tum comites, dubia falsos regione uiarum,
Fundi opp. Cernere non potui, quam Fundos uenimus, omnes.
Vrbs parua in plano, positu pulcherrima, campo,
Fundanus lacus. Collibus hinc, atq; inde lacu, simul æquore cincta.
Citria cui florent hortis, & littore myrti,
Hesperidum decus, & beneolentia culta Dionæs.
Hæc dedit hospitibusq; locum, fessisq; quietem.
Pressa tamen Fundis cum uina apponeret hospes
In cœna, ad stomachum minimè facientia nostrum,
Cæcuba non paruo clamore poposcimus illum.

Nam

Nam crudos propter pisces, oleumq; comestum,
Nausea propositas prohibebat tangere mensas.
Sed prius Alcidæ clauam, fulmenq; Tonanti
Eripias, quàm optata feras mali ab hospitis irá.
Hinc uia fumosum nos Appia duxit ad Itrum,
In quo fœmineis ceciderunt turpiter armis
Galli, Arragoneo cum arsit Campania bello.
Appia sed longis uia iam corruptior annis,
Deteriorq; imbri, nimium properantibus obstat.
Repentes per iter non absq; pauore malignum,
A dextra Æneæ nutricis habentia nomen — Caietá op.
Mœnia prospicimus: monumenta antiqua, sinistra.
Attigerat medium proles Hyperionis axem,
Extructam deinceps cum à forti gente Laconum — Formiæ op.
Intramus, nostris pugnantem uersibus, atq;
Infamem Læstrygonijs cultoribus urbem.
Hic ubi sæpe forum fugiens, strepitusq; clientum
Tullius, optatos quærebat ab urbe recessus,
Aut inter syluas Academi, interq; Lycei
Versans, aut aptans grandis Demosthenis arma.
Tunc ubi equi saturati essent, Hormumq; bibissent; — Hormus fl. Scauli uicus.
Dulci cannarum succo uiridantia prata,
Quæ cum Sicanijs certare liquoribus ausint,
Minturnasq; udas, teneris loca fœta siletis — Minturnæ oppidum.
Transimus, Marij ardentis celebrata latebris.
Quas prope ductus aquæ, & moles erecta theatri,
In cuius pecora & scandentes saxa capellæ
Gramina nunc carpunt, & lenta arbusta ruinis.
Quid uobis igitur (comitum sic turba ferebat)
Profuit Ausonidæ regna exhaurire, potentem

Atterere Italiam, tam fluxam quærere laudem?
At non his pectus Bruti, integrit.usq; Catonum,
Scipiadumq; decus fuit immortale: sed una
Virtutis fama, quam nulla intercipit ætas.
Lyris fl. Talia dicta dabant. taciturnum Lyris ad amnem
Ventum erat: hic captus Laurentis amore Maricæ
Spumea lambit adhuc dilectæ littora nymphæ.
Ne' ue putes ueteris flammam cessisse furoris,
Nunc quoq; sulphurea lentus pallescit harena.
Gaurus mons. Hoc traiecto humilem Gauri in radice subimus
Terram, conspicui nil hortum præter habentem.
Nocte satis placidos carpentes pectore somnos,
Summo mane in equos attollimur, ante serena
Incipit in uarios mutari luna colores,
Et uolitare leui candentes aere flammæ.
Nondum tacta fuit uicini littoris unda,
Horriseri subitò funduntur ab æthere nimbi,
Cum tonitru: terrentur equi, timidiq; sodales.
Bis quoq; tam claris micuerunt ignibus astra,
Vt lucem eriperent oculis, rebusq; colorem.
Vix talem sensit uim flammæ, fulminis alis
Adflatus, Veneris thalamo amplexuq; superbus.
Vulturnus fluuius. Postea harenosum Vulturni legimus amnem,
Vestinis uiolenter aquis, simul imbribus auctum.
Liternum opp. Literni madidas uestes siccamus ad ignem:
Vrbs quæ Scipiadæ, cui fecerat Africa nomen,
Cume opp. Præbuit exilium, & paruæ solatia uillæ.
Prochyta insula. Hic epulis functi, subitò calcaria tardis
Inarime insula. Subiciuntur equis: fatorum haud inscia Cume,
In terra, inq; mari Prochyta, Inarimeq; sinistra

Obscure

Obſcuro cœlo uix uiſæ. deinde cauatum
Pauſilypi in tenebris & iniquo lumine montem
Egreßi, albentis templa ardua Mergillinæ
Ad mare conſpicimus, cygno fundata ſonoro:
Cuius uox ultra Gangen audita, Tagumq;,
Dulcibus impleuit uaſtum concentibus orbem.
Nec poterant magnis alia oßibus oſſa Maronis
Coniungi melius, quàm quæ ſunt iuncta. relicto
Hoc igitur templo, nymphæq; Patulcidis horto,
Diuorum in templis turres, & celſa domorum
Parthenopes ſeſe oſtendunt: hac urbe recepti,
Quæ nunc Campanæ palmam fert unica terræ,
Idem ſcribendi, qui factus finis eundi eſt.

Pauſilypus mons.
Mergillina mons.
Patulcis hortus.
Neapolis urbs.

XI. Cal. April. Neapoli,
M. D. XLIII.

ITER ROMANVM SECVNdum, ad Leonardum Badehornum.

NOn iniucundus circum uaria oppida uexit
Nos error, Latium et Campani littoris oram
Dum ſpectare iuuat, terræ monumenta beatæ.
Mollia Parthenopes fugientes ocia primùm,
Oſtriferam Megarim, ſortitam nomen ab ouo,
Legimus, ut perhibent, Luculli diuitis olim
Gaudia, & Icario uillam ſolamen in æſtu.
Extat adhuc rupes intus caua, fonſq; perenni
Dulcis aqua, ſtatio barbatis commoda mulis,
Quos caris poſuit Romana potentia menſis.
Euplææ hinc antrum multos ſeruantis echinos

Megaris inſula.
Euplea ins.

Grossherzogliche Gymnasiums-Bibliothek MANNHEIM

Importune tuas fugimus pirata latebras.
Nesis insula. Post hanc asparagis plenam Nesida uidemus:
Pars hæc Pausilypi quondam, maris insula nunc est.
Multus ibi seruat furtiua cuniculus antra:
Antra Typhoneos quondam spirantia fumos,
Et circà Eumenidum nebuloso tristia luco.
Mox socij Æneæ dictum de nomine montem,
Ventosa Triton quà personat æquora concha,
Misenus mons. Misenum afferimur: statio propè nauibus olim
Romanis fuerat, dum res Augustus haberet.
Non erat hunc superasse, etiam non lumina circum
Quaq; tulisse satis: iuuat inspectare meatus,
Et uacuas ab aquis penitus circumire latebras.
Inde æquor stagnans, ampli & uestigia portus,
Pennata insula. Pennataq; caput transuectum naue relicta,
In lato erramus lustrantes littore cuncta.
Quid memorem miræ piscinæ nomen habentes,
Totq; pilis fultas intus, saxisq; ruinas?
Quid'ue tuo ductos sub terra à flumine riuos
Sarne: Neronis opus, maculati sanguine matris?
Deinde decem decies cameras tellure repostas,
Ac suprà impositas uaria ratione columnas?
Deniq; quid templi molem, speciem'ue rotundi,
Quo Neptune tibi uotas suspendere uestes
Mos fuit, aut pulchrum Phœbo mactare iuuencum?
De socio nomen quæ nacta Ithacensis Vlyssis,
Baiæ opp. Proxima Baiarum, nunc alto condita monte
Arx fuit: antiqui luxus monumenta referre
Vellè, sinu est illo conchas numerare marinas,
Rudera'ue in multis uix perreptanda diebus.

Sed lic

Sed licet ipsa loci iacet interitq; uoluptas,
Non tamen utilitas cessit quoq;: Cynthie parce,
Nam tua Baiani superant inuenta recessus,
Estq; uapor radice, atq; unda potentior herbis,
Cumq; salute illos colit ipsa Salatia fontes.
Verum deceptus ne quisquam errore locorum,
Grata salubris aquæ sentiret munera tardus,
Morborum uariæ facies, & nomina mille,
Astabant foribus pictura aut marmore claræ,
Quæ nunc inuidia penitus sublata minorum.
Multa alia in toto usu dignissima tractu:
In primis celso sita Sudatoria monte.
In tria diuisus specus est ceu brachia: quorum
Sulphureos extrema tenent fumantia fontes,
Solis inaccessos radijs sub rupe cauata.
Ingressu uia longa patet, cinis impedit albus,
Atq; calens mediæ gradientes agmine fossæ.
Ingrediendo caue tollas caput: arduus undam
Fumus agit, totoq; fluunt de corpore riui,
Visceribusq; trahens animam uapor æstuat intus.
Sin submissus eas, & caute lumina serues,
(Nam sine luminibus nulli est intrare potestas)
Victor eris. nimium sed non tentare sinistram
Dira tibi mens sit: necat intus pestifer aer,
Profuit & nulli tacitas quæsisse latebras.
Ne uerò Alcidæ mirere bouilia Baulos
Interijsse, uiæ quoq; sunt sublata superbæ
Indicia, atq; lacus perierunt, fracta Lucrini
Claustra, tuiq; operis Cæsar miracula Iuli.
Nondum sudor erat membris detersus & ori,

Bauli opp.
Herculea uia.
Lucrinus lacus.

Tritolinus mons. Quem toto excierat Tritolini montis hiatus
Corpore: nauta statim, non hinc procul antra Sibyllæ
Auerni lacus. Vatis, & umbrosus graueolentis lucus Auerni.
Cimmerii populi. Cimmerij prope quem Stygia caligine pressi,
Obscuris quondam traxere mapalibus æuum.
Quos nunquam radijs sol uidit lucidus aureis,
Siue ille astriferum se matutinus ad axem,
Seu rursum in terras se uespertinus agebat:
Sed nox incubuit miseris mortalibus atra.
Hic dum fixi, oculos ferimus per singula circum:
Mare bulliens. Quid, Vuerterus ait, fumantes littore harenæ,
Quid ue noui insolitus monstri fert æquoris æstus?
Mons nouus. Cui nauta: Informem quem cernitis undiq; montem
Puteolanus. Fumare, & clauso auditis gemere intus ab igne,
Campus ager q; fuit Baccho, Cerere atq; Minerua
Fertilis, oppidulo, thermis, clarus q; theatro.
Quintus ab hoc agitur lustris labentibus annus,
Quo madidi spirare solent uehementius austri
Tempore, turbatur q; hœdis pluuialibus aër,
Ecce sub occasum metuenda incendia solis
Emicuere, uolant Ætnæo murmure flammæ,
Saxa q; cum tonitru magnum per inane rotantur.
Terra tremit, roboant crebris mugitibus auræ,
Et non uicini tenuere cacumina montes.
Insequitur cinerum glomeratus ab æthere nimbus,
Inuoluit q; globos flammarum, & in æquora mergit.
Ænariam, Prochytenq; illis ego forte diebus
Liqueram, & Æoliam Liparen iamiam q; tenebam,
Vix scapha me tanto subduxit inutilis imbri.
Nunc leuibus tophis oppleri & pumice littus,

Atq;

Atq; uado feruêre fretum, riuosq; calentes
Monte uidetis adhuc emergere, & ardua saxa
Amphitheatralem iecisse ad sidera molem.
Quod campus, mare quodq; fuit (mirabile) mons est.
Vos nimis incœpto non indulgete labori.
Nam quibus ista uenit primùm explorare cupido,
Triginta periere uiri, quos tetra uorago
Sorbuit, & Stygias per Auernum misit ad umbras.
Dixerat, & montem dux antè præibat in ipsum.
Murmur agunt intus uenti, spiracula fumum
Emittunt, scrobibusq; latet Vulcanus opertis,
Exercetq; nouo fabrilia corpora in antro.
Tandem ad craterem fessi deuenimus, unde
Dux Erebi immundum uomuit Saturnius ignem.
Quis neget hic sæuos bellum gessisse Gigantes,
Amphitryoniadæ fractos uirtute, manuq;,
Campis Phlegra tuis? tentant Titania monstra
Rumpere adhuc duras ferri luctando cathenas,
Et Iouis imperijs iniectos tollere montes.
Suspirans propriam Tellus timet ipsa ruinam,
Lemniacumq; forum, & luctantes fortiter euros
In sua tectatur grassari uiscera mater,
Ac ius concessi rumpi inuiolabile regni.
Vnde nouos etiam contra Iouis arma tumultus
Crebra mouet, partesq; suas irata tuetur.
Conscenso rursus uia carpitur uda phaselo,
Iamq; tuos flammis querimur Tripergula ciues,
Cum natis, carisq; uxoribus interceptos.
Et docti uillam quondam Ciceronis, & hortos,
Palladioq; ædes Academi nomine dictas,

Phlegræi campi.

Forum Vulcanium.

Tripergula opp.

Sæcula Cæsareo claras post longa sepulchro:
Præcipuè tot aquæ fontes periisse salubres,
Quas inter tenuit primas aqua Tullia, quæq;
Vel steriles utero faciebat crescere matres,
Quandò clausa diu genitalis mollit humor
Corpora, & ad Veneris redierunt munera lætæ.
Puteoli op. Inde petebamus ueterem Dicæarchidos urbem,
Quæ calidis ab aquis puteisq; est nomen adepta.
Hanc Samij posuere uiri, Deloq; minorem
Dixerunt, uarijs populis & merce frequentem.
Tempore quam fore desertã, populo inq; frequentem,
Eubœa haud falso prædixit carmine uates.
Vidimus innumeras templis domibusq; ruinas,
Quas tremor, & ualidi dederant per mœnia uenti:
Hic Auguste tibi surgentia marmore templa
Concussa, & magni moles operosa theatri.
Sulphureis bibimus tum Massica uina lagenis,
Massici colles. Massica uicinis nascentia collibus, & nunc
Vberiora, noui post uasta incendia montis.
Quis uerò æquoreis minitantem fluctibus, altum
Calligulæ pontem non audijt? ille per æquor
Iunxit Dulichijs Dicæarchum mœnia Baijs,
Atq; pilas bis sex nunc erigit æquore magnas.
Leucogei colles. Hinc uia nos, albæ telluris nomine colles
Adduxit, loca flammiuomis exesa caminis.
Phlegethon fons ardens. Valle sub hac sulphur fons atq; bitumen anhelat,
Et Phlegethonteis exultat feruidus undis.
Haud secus ac Silæ, aut ingentis ligna Taburni
Subiecta augerent uiuacis semina flammæ.
Oraxifõ es. Non procul inde etiam fontes memorantur Oraxi,

Affectis

Affectis medicina oculis, medicina cerebro.
Mox Agnana palus, orbataq; piscibus unda,
Turpis hirundineisq; glomis, ranaq; loquace,
Atq; obsessa malis ripa omnis aditur ab hydris.
Inde scrobes, Stygij funestum nomen habentes
Vectoris, uisæ: Cocyti inamabilis antrum.
Panditur horrendus celsi in pede montis hiatus,
Pallentiq; umbra, ruptisq; Acheronte cauernis
Pestiferum spirans: quem non intrare uolantes,
Non audent alijs defensa animalia lustris.
Sin fortè intrarunt, aut ui coniecta fuerunt,
Exanimes tristi subitò retrahuntur ab antro.
Immersas quoq; fert uicinæ fama paludi,
Et motum & uitam tacita reparare sub unda.
His simulatq; aliquot uisis per littora thermis,
Sole parante suos ponto iam mergere uultus,
Parthenopen placido Zephyro, & rumore secundo
Delati, optata recreamur corpora cœna,
Exhaustosq; illa narramus luce labores.
Nec minus interea tota lustramus in urbe,
Quicquid erat dignum spectatu: maxima templa,
Inter quæ sacra est Ledæis fratribus ædes,
Hebonitq; deo, cui propria uota tulerunt.
Inspicimus ueterum sedem & penetralia regum,
Quatuor excelsis munitam turribus arcem,
Æratasq; intus inscriptas carmine ualuas,
Hostem ut Troianis Ferdnandus fuderit aruis.
Nec non insignem portum, tot nauibus aptum,
In quo Cæsareæ pandebant uela triremes,
Inferret duro cùm bellum triste Sicambro.

Palus Agnana.

Charonææ scrobes.

Mox

Mox imus circum aucta urbis pomœria latè.
Quis memorare ducum tot celsa palatia posit,
Nobiliumq; domos? quis ue intra mœnia & extra
Magnificè structos immensis sumptibus hortos?
Iamq; dies aliquot circum loca cuncta profectis,
Rursum exire placet Vuerteronec mora, frenis
Sebethus fluuius. Impediuntur equi. Sebethi flumina primùm,
Atq; Aragonei regis prædiuitis hortos
Delioli horti. Deliolos, Gallo uastatos milite & armis,
Attigimus, uacuas uia quà ducebat Acerras.
Leucopetræ antiquis certantia gaudia uillis
Posthac intramus, mirati mœnia, turrim
Nymphæum, & conchis structum fulgentibus antrum.
Naiadum hîc lusus, & amantis fistula Panis,
Nereidesq; omnes, atq; Oceanitides omnes:
Tuq; Arethusa iacens, luctantes nuda papillas,
Nuda genu, gelido posita es custodia fonti.
O tali liceat uitam mihi degere in antro,
A uulgo, & uana procul ambitione remotum,
Aonidumq; choros sectari, & discere iura
Viuendi, ac uarias rerum cognoscere causas.
Tu uerò Badehorne forum, tu limina regum
Laute colas, ad res nobis magis aptus agendas.
Veseuus mons. Hinc iuga prærupti Veseui scandimus: antè
Quàm tamen ad summi peruetum est culmina montis,
Ter superanda fuit fœcundis herbida campis
Planicies, quæ uitiferi lætissima Bacchi
Munere, Campanis passim celebratur in agris.
Ipse biceps geminum iacit ad supera ardua cornu,
Quaq; patet bisido spacioſus uertice crater,

Emittit

Emittit rarum per cæca foramina fumum.
Conuulsi circà scopuli, depastaq́; flammis,
Atq; extrusa iacent mirando pondere saxa.
Thracibus eueniant tam uasta incendia crudis,
Disijciantq́; tuam sic Barbare conifer aulam,
Littore ut obruerat Pompeios ignis in illo, Pompeii op.
Deq́; tuo Alcide uocitatam nomine terram. Herculaniũ opp.
Ne tamen hinc partes ferremus lumina in omnes,
Cernentes patrios Samnis tibi & Appule fines,
Quas fert aerij montis sublime cacumen,
Impediunt fusæ circum nos undiq; nubes.
Longius ire uetant uenientis tempora noctis,
Quadrupedesq́; uijs quærebant pabula fessi. Neapolis urbs.
Paucos inde dies Sirenis in urbe morati,
Venimus Attellam: cuius comœdia quondam Attella opp.
Pectora lasciuo mollibat rustica lusu,
Atq; tuos Megaris superabat Achaica risus.
Ergo theatra iuuat regali educere sumptu
Vrbibus, ut morum corruptio publica laudem,
Præmiaq́; à cano mereatur larga Senatu?
Non ego nunc Capua alta tuum memorabo, quod urbe Theatrũ Capuanum.
Cernitur euersa, constructum marmore, & amplis
Porticibus, ferroq́; intus, plumboq́; coactum.
Quid Troiane Capy nunc urbs tua? quæ caput olim
Cum Roma æquauit, quæ cum Carthaginis arce,
Cuius nulla satis decantet Pieris agrum,
Delicias ue soli, & cultissima frugibus arua.
En iacet immensis urbs obruta tanta ruinis, Capua uetus.
Vandalico (exemplum fortunæ) euersa furore.
Effodiuntur adhuc numismata, marmora, gemmæ,

Sub

Laborini campi.
Tifata montes.
Capua noua.
Vulturnus fluuius.
Pometia, Suessa.
Falernus ager.
Sinuessa opp.
Lyris fl.
Scauli uicus.
Formiæ op.
Caieta opp.

Sub terra agricolis, & luxus signa prioris.
Inde Laborinos campos, Tifataq; montes
Transgressi, Capuæ alterius noua tecta subimus,
Ad rapidum flaui Vulturni condita flumen,
Pulchra quidem, sed uix priscorum æquanda ruinis:
Antonine tuo signatum nomine pontem,
Aspicimusq; uiæ, quam gens dedit Appia, partem.
Sunt Ægyptiacæ, murum intra, templa iuuencæ,
Quæ nunc relligio meliores uertit in usus.
Quis tamen illius sit conditor urbis, & auctor,
Incertum est: ciues non mutauere superba
Pectora, luxuriamq; nepos imitatur auorum.
Post hanc intrata Auruncis habitata uetustis
Pometia, hæc alio post nomine dicta Suessa:
Quæ nostro eximio celebrata est tempore ciue,
Cui gens Nipha fuit, multas mens culta per artes.
Apposuit facilis nobis hîc uina Falerna
Hospes, & Aonij monstrauit rura Lyæi.
Hinc Aruncanum pontem, mox inde Calenos
Colles, teq; frequens niueis Sinuessa colubris,
Quæ nunc est non culta magis, quàm littus & aer.
Altera lux placidum Lyris deduxit ad amnem,
Et celebres dulci cannarum munere Scaulos,
Antiphataq; domum, Læstrygoniosq; penates.
Donec ad excelsas Caietæ uenimus arces,
Ingenio, posituq; loci, domibusq; decoras
Magnificis, structisq; tenace bitumine muris.
Hæc Veneris uultus profert & corpora tellus,
Atq; puellari gaudens excellit honore.
Quis scissum promontorium non signet, hiantemq;

Æquoo

Æquoreum scopulum, formosæ Tethyos antrum,
Atq; indignantes montem perrumpere fluctus?
Burbonius, Latiæ dux non incognitus urbi,
Marmoreum excelsa tumulum nunc possidet arce.
Postmodo Tyrrhenum metimur naue profundum:
Subtrahitur subitò cœlum, & caligine solem
Obscurante, dies mutata in tempora noctis:
Donec nos dubiosq; uiæ, oblitosq; locorum,
Mitior antiqui lux urbem misit ad Anci, Ostia opp.
Quà Tiberis uoluens flauam sub gurgite harenam,
In mare cum multo sonitu prorumpit Hetruscum.
Vidimus hic clari portus quæcunq; supersunt Portus ostiensis.
Indicia, ingentem murum, ingentesq; columnas:
Quem non Sarracena manus, non Vandalus atrox,
Gotthorumq; furor, Latia sed præsul in urbe
Diruit, & latas æquauit uomere fossas.
Forte animi inde tulit nos ardor, adire uetusti Tusculũ oppidum.
Mœnia Telegoni, fama celebrata Catonum:
Quæ prope uilla fuit Ciceronis tertia, claris
Decantata libris, qui nunc uersantur in ore
Pectoribusq; hominum, æterni monumenta laboris:
Nunc iacet hac ipsa cum uilla Tuscula tellus,
Albano fundata iugo, deleta furore Albanus mons.
Romulidûm: quoniam fauisset Cæsaris armis
Teutonici, damnumq; dedisset ciuibus ingens.
Haud procul Argolico peragentes omnia ritu
Sacra, cucullati celebrant templa ardua patres.
Hinc ad Auentini montem, tua Cæcule regna, Auentinus mons.
Nomen ab ilicibusq; tenens Prenestæ uenimus. Prenestæ opp.
Quo primùm diuæ, quæ nullo tempore, nullo

Certa,

Certa loco perstat, miramur nobile templum,
Pluribus in templo lithostrotaq; picta figuris.
Deinde tot effossos tecta tellure meatus,
Qui finguntur adhuc Mariana cæde rubere.
Verrhestis fluuius. Proxima Verrhesti fluuio, siluaq; relicta,
Tibur opp. Nos uia Tiburti festinos sistit in urbe.
Illa supercilio cluosi montis agrestes
Fundit opes, quibus Alcinoi quoq; splendidus hortus
Hesperidumq; fuit: non hic tam grandia saxa,
Pyramidum in morem quæ rupibus excinduntur,
Ascendisse iuuat, quàm magno monte uolutas
Anio fl. Contemplari Anienis aquas: ut præpete lapsu
Fument, ac multa sudent aspergine cautes.
Templum fatidicæ conscendimus inde Sibyllæ.
In descensu aliud Iunoni (ut fama) sacratum
Argiuæ, forma quoq; splendidiore, subimus.
Lucanus pons. Pons superabatur Lucanus, Plautius olim
Quem fecit, domitis Bastarnis, atq; Scytharum
Gentibus, Illyricoq; ferens ex hoste triumphum.
Ælia uilla dehinc multis ostensa ruinis,
Vrbis opus, uaria structura & fonte superba
Irriguo, priscisq; tenens par nomen Athenis.
Albulæ aquæ. Vnda salutares post offert Albula fontes,
Læsaq; ab infesto medicatur corpora ferro.
Tandem pons alius, dictus de matre Seueri
Mammæus pons. Roma. Mammæus, fessos Romanam mittit in urbem.
Quæq; uiæ ambiguæ finem dedit, atq; quietem,
Prolixæ imposuit quoq; iusta silentia cartæ.

VI. Cal. April. Romæ,
M. D. XLIII.

ITER PATAVINVM, AD VAlerium Cordum.

CV'm rurſus Pataui uiſendi cura ſubiret,
Corde, Machaonias iuuenis memorate per ar-
In Veientanum Roma peruenimus agrum. (tes,
Iamq; egreſſa fuit Baccanis proxima ſilua — Baccanæ.
Arſia, quæ lucis olim uicina Capenis, — Lucus Capenus.
Cum Cremeram exiguũ properando reliquimus: amnis — Cremera fluuius.
Hic erat, in tenuem eſt ſiccatus tempore riuum,
Sicut & Hectoreus Troianam Xanthus ad urbem.
Hunc prope de Fabia perierunt gente trecenti,
Qui ſocijs auſi defendere uiribus Vrbem,
Pro patria atq; ſuis ceciderunt fortiter omnes. — Monteroſſum.
Tum ſaxis dictum de rubris, parte diei — Roncilionũ opp.
Iam media, atq; aliud cognomine Roncilionum,
Vidimus oppidulum, prope quod ſunt mœnia Sutri — Sutrium op.
Antiqui, Latio quæ quondam cauſa triumpho.
Mox Cimini cum monte lacum, quem dextera magni — Ciminus lacus.
Herculis, abſtruſo ſe tollere fecit ab antro,
Fixa ſolo uellens nodoſæ pondera clauæ.
Non dicam calidos fontes, & olentia ſulfur
Balnea: Baianis certat nam Tuſcia thermis.
Vlterius lacus eſt, prope quem Romanus Hetruſcas — Lacus Vadimonis.
Fregit opes, armis belli melioribus uſus.
Qui latera exeſus præcelſi grandia montis
Stagnat, & inſtabili cui fluctuat inſula motu. — Inſula natãs.
Heſperijs Phœbo radios condente ſub undis,
Præcipiti ingredimur poſitum ſub monte Viterbum, — Vlterbum oppidum.
Germanum quod habet non prima ab origine nomen: — Vetulonia oppidum.
Nam quondam hoc circa tenuit Vetulonia muros,

Mæonijs habitata uiris, Lydoq; colono.
Hîc feßis molli cùm iam recreanda quiete
Membra essent, epulas in noctem prorogat hospes:
Nec solùm dulci fraudauit corpora somno,
Verùm manè locabat equos, uix terga ferentes
Arida, & hærentem detrita cum cute pellem.
Non bene præteritis per prata calentibus undis,
Ad Iunonicolas habitantes colle, suoq;
Faliscum op. Portantes ritu gentilia lina, Faliscos
Venimus, & Baccho felicia rura secantes.
Vulsinensis lacus. Inde lacum, cuius Vulsinia littore quondam,
Bis sex Tyrrhenas inter caput extulit urbes
Piscíferum, atq; oleis circundata pinguibus arua,
Aqua pendens op. Et Pendentis aquæ seruantem nomina terram,
Vrcius fl. Transimus, fluuiosq; duos: quorum Vrsius ipsis
Prila fl. Est transmissus equis, sed pontes Prila per altos.
Vilia deinde loca, & cauponum lustra, tabernas
Tam longè tota fugientes luce diei,
Scala uilla. Sub noctem uillæ cuiusdam tecta subimus.
Ecce autem præter solitum lautissima morem
Cœna datur, dantur certantia uina Falerno,
Non uno deprompta cado, neq; montibus ijsdem
Lecta, sed ex uarijs quæ hinc inde releuerat hospes
Cellis atq; locis: tum potu epulisq; refecti
Sternimur in lectis: & quamuis plurimus illam
Per noctem Boreas spirabat, non tamen ausert
Mollem importunus, licet esset parua, quietem.
Nam prius à cano quàm surgeret orta marito
Ofenna mons. Memnonis, & croceos proferret lutea uultus,
Nos in equis montem conscendebamus Ofennam.

Post

Post autem pedites tria millia repsimus ægri,
Clamosus nobis quia lentè equitantibus hospes
Pegaseos uolucres irata uoce negabat.
Tunc Boneconuentum pedites intrauimus: ingens Boneconuentum opp.
Tellus crimen habet, Germani morte notata
Cæsaris Henrici; quem quando uincere ferro
Impia non ualuit, uiolare est ausa uenenо:
Nec scelus hoc potuit monachi nisi fraude parare.
Mox in equis rursus, postquam Arbia frigida cursu Arbia fl.
Præterita est, altam Senæ superauimus urbem, Senæ urbs.
Delicias Italûm: cui flauis Blandus arenis Blandus fl.
Defluit, atq; rigat supposta rosaria colli.
Cui calidæ manant uenæ tellure sub ima,
Non Apono, Euganea qui feruet ualle, minores
Vsibus: in primis cerebro, neruisq; salubres.
Hic ut corda uirûm non sunt inimica Camœnis;
Externosq; omnes digno amplexantur honore:
Sic quoq; non duris tribuit natura puellis
Ambrosiasq; genas, & eburnea colla, comasq;
Vel quales habuit Daphne, uel candida Iole,
Quamq; Deûm tauri decepit imagine rector.
Vidimus hîc sedem Musarum, & docta uirorum
Nomina, qui cultas passim celebrantur ob artes.
Vidimus & Pario surgentia marmore templa,
Et certans operi, uel quo Prenestе superbit
Arte pauimentum, & longo ordine Romulidarum
Pontificum facies, Christoq; dicata & egenis
Tecta, quibus tota nil magnificentius urbe.
Hinc Stagiam, pontemq; Pesæ, dictumq; ab eodem
Oppidulum, & Tusci scriptoris nomine clarum Stagia. fl. Pesa fl.

Certaldum opp. Certaldum, atq; Arni consortem fluminis Elsam
Arnus fl. Linquentes, Elsam quæ obducit cortice saxi
Elsa fl. Quicquid apud fontem in liquidas proieceris undas.
Hinc sine labe fluit, peregrinæq; insscia lymphæ
Excipitur læti cupidis amplexibus Arni.
Per noctem uillæ fumosæ non satis apto
Hospitio fruimur: tenebras noctemq; fugarat
Era fl. Lucifer, ad gelidæ pontem peruenimus Eræ.
Ter madidi pluuia, ter ab ipso sole uicissim
Pisæ urbs. Siccati, Alpheæ claram cognomine Pisæ,
Tantalidæ Pelopis desertam pergimus urbem,
Quondam diuitijs & nobilitate superbam.
Sed dum insana suam petit ultra plurima sortem,
Amisit propria, & dominis nunc paret iniquis,
Vti libertate & rebus nescia magnis.
Non tamen Aonides cesserunt inde puellæ,
Atq; metus ferri contra Martisq; furorem
Integra sceptra sui tenuit Tritonia regni.
Altera templa ibi sunt ingentibus alta columnis,
Hetruscas inter gentes notissima fama.
Turris item cuius operi æquiparanda uetusto,
Aeria, inq; unum latus inclinata, minansq;,
Si procul aspicias, alia plus parte ruinam.
Nec non quo placidam carpunt in morte quietem
Corpora, spe uitæ melioris, marmore stratus
Est locus, & multa cum relligione uerendus.
Prætereo insigni celebrandum fonte sacellum,
Cuius lympha, dei uerbo accedente, repurgat
Contractam prima maiorum ab origine labem.
Flumine mox Tusco ferimur, rumore secundo,

Donec

Donec harenosi rapidum sulc auimus Arni — Arni ostium.
Ostium, & æquoreis luctantes fluctibus undas.
Deinde mari turres fundatas molibus altis
Prospicimus: quarum tres sulphuris igne, globisq;
Disiectæ, alitibus dant aspera tecta marinis.
Occiduo tandem Labronem sole subimus: — Labro portus.
Quem portum fama maiorem accepimus, ac res
Ipsa fuit: nobis tum propugnacula uisa
Hispanis circa muros ducentibus, atq;
Turris iter monstrans nocturnaq; lumina nautis.
Hinc procul ostensa est Chalybum generosa metallis — Ilua, Capraria, Oglasa, insulæ.
Ilua, tenensq; feris à capris insula nomen:
Oglasa præterea, consuetaq; uiuere rapto
Corsica, & à clypeo quæ toruæ dicta Mineruæ est. — Corsica, Gorgonis.
Manè rubente polo, & turbantibus æquora uentis,
Per loca plana, uiam Pisas tellure remensi,
Atq; dies aliquot nolentes penè morati,
Auseri, & accliuis superato uertice montis, — Auseris fl. Luca urbs.
Legibus antiquis florentem & nomine Lucam
Postea peruentum est. hanc perlustrauimus urbem,
Templis magnificam, populo domibusq; frequentem,
Exiguamq; loci spacio, sed diuite censu.
Vndiq; fœcundi circundant mœnia colles,
Atq; silex latas ornat quadrata plateas.
Comiter excepti, non mente auellimur æqua.
Pesia tum uitreis delabens molliter undis, — Pesia fl. Bentinus lacus.
Inde palus Bentina, lacus nunc nomen adepta,
Visa manum ad dextram: supremum Cynthius axem
Tangebat, cùm nos in plana ualle tuemur — Pistoriũ oppidum.
Pistorium; dulci contraria monstra quieti

Ista tulit tellus, & maxima damna potentĭ
Intulit Italiæ. nam barbara nomina primùm
Hoc audita loco, quis arsit noxius ignis
Irarum, nondum post tot delebilis istis
Secula temporibus. sed quæ tam dira cupido
Vindictæ? quæ tanta animis abiectio? quæ uos
Hesperiæ proceres agitat crudelis Erinnys?
Sat letho sunt missæ animæ: deponite agrestem
Morem, nec uitam duri reuocate ferinam.
Trux decet ira feras: mens præstantissima quæq;
Ad scelus & cædem ac uindictam lenta uidetur.
Mœnia uix urbis nobis egressa fuere,
Vmbro fl. Cum subitò Vmbronem et Stellam, gratissima Nymphis
Stella fl. Flumina, & ad socium properantes cursibus Arnum,
Arnus fl. Liquimus: hîc uallis longissima, qua nihil usquam
Vallis Florentina. Vberius campis, cui circumiecta ab utraq;
Parte tot oppida sunt, tot uillæ, tot loca Faunis
Monticolis, & Oreadibus, Genioq; dicata,
Vt citius numeres arentis corpora puluis
Exigua, & sparsis bibulum per littus harenas,
Nomina quàm istorum percurras cuncta locorum.
Visentius fluuius. Diuidit hanc ipsam riguo Visentius amne,
Florentia urbs. Quo traiecto altas monstrat Florentia turres,
Hetruscis caput in populis, pulcherrima rerum.
Hîc decora illius regionis, tertia templa
Marmorea, & nitidum sacrato fonte sacellum est,
Cuius portæ auro fulgent, atq; ære coruscant,
Antiquis plenæ historijs: non Iuppiter auro
In gremium Danaes ut ninxerit, utq; labellis
Tyndaridis mendax immerserit oscula cygnus:

Sed

Sed tener ut natus sit paupere uirgine Christus,
Et quæ diuino cecinerunt pectore uates
De puero, ueri personam hominisq; Deiq;
Qui tulit, & lapsam reparauit morte salutem.
Proxima cui surgens de marmore turris ad astra,
Nobile opus, cui uix noua magnificentia quidquam
Par habet, & priscis celebrari digna poetis.
Hæc ut magna, parum laudis tamen ipsa merentur:
Sed tot doctorum monumenta uetusta uirorum,
Græcorum in primis, quorum permulta latêre,
Nondum excusa tibi inuentis Germania formis,
Veridico nobis retulit Victorius ore.
Scilicet hæc uni Mediceæ gratia genti
Debetur, per quam ex Asiæ Europæq; ruinis
Seruati tot sunt heroes, & addita diuis
Nomina, qui totam præceptis posteritatem
Formarent, animosq; rudes post fata docerent.
Quos ne Cosme premas, per te immortalia facta,
Per patriumq; caput, per publica uota precamur.
Nos uerò studijs & Musis dedita turba,
Æternis inscribemus tua nomina cartis.
Cætera quid referam, lautam uisenda per urbem?
Ordine nam structos uicos, camposq; patentes,
Et pontes Arni describere, Cæsaris arcem,
Strozarum Medicûmq; domos, regalia tecta,
Patricium sedem: tum nil quibus extat Hetruscis
Clarius in populis, ædes ubi plurima turba
Viuit egenorum, & sine sumptu pascitur ullo,
Ingenij maioris opus. Munione relicto, Munio fl.
Qui Florentinæ portas breuis alluit urbis,

Haud procul aſpicitur ſeclis celebrata uetuſtis
Feſulæ op. Vrbs, à cœlifero quæ condita fertur Atlante.
Hæc auium expoſuit linguas, & fulguris ignes:
Nunc eius curuo ſulcatur collis aratro,
Diuitibus plumbi qui uenis intus abundat,
Inq; breui ſpacio quæ ſunt effoſſa, reponit
Tempus, inexhauſti ſeruans alimenta metalli.
Vallis Mugellana. Vallis amœna, ferax poſt Mugellana recepit,
Seba fl. Præteritusq; fuit Sebæ pellucidus amnis.
Scarparia. opp. Hinc parua intrata eſt fabris urbs plena moleſtis,
Apēnini mōtes. Paſſa malum, & motu quaſſata prioribus annis
Terræ terribili: ſed dum poſt prandia aditur
Iudex, ac lites intentat perfidus hoſpes,
Nubiferi interea cæca caligine montes
Conduntur, labor auctus. iter nam præter iniquum,
Ac præceps, in nos imbres cœlumq; ruebat,
Fulguraq;, & rapidi miſcentes frigora uenti.
Vatrenus fl. Et qui montanis Vatrenus creuerat undis,
Mille locis ſuperandus erat: nam flexibus errat
Per uallem uarijs, cum ueſpere terra ſubitur,
Cui dedit exiguum mater Florentia nomen,
Fidentia op. Veraq; ſi memorant, olim Fidentia dicta eſt.
Hîc aptum hoſpitium qui quærit, fallitur, inter
Apenninicolas, ſimiles qui montibus illis
Quos habitant. ſolis primo cum lumine, montem
Scandimus, & nebula ſubitò prohibente, nec illum
Mons ardēs. Qui luce emittit fumum, nocte emicat igne,
Conſpicimus. duras cautes, ſiluamq; malignam
Baianorum oppidum. Egreſſis, poſit a recreantur corpora menſa.
Iamq; Bianoreo retinens cognomen ab Ocno

Oppidu-

Oppidulum apparet: qui Tusci filius amnis,
Cognato positos defendit littore muros,
Æneæ ueniens comes ad Laurentia bella.
Hinc ad arundiferæ peruentum est plana Sauennæ, Sauenna fl.
Et per Felsineam placidus qui labitur urbem, Bononia urbs.
Fessos lauit equos illimi flumine Rhenus. Rhenus fl.
Contactum uix limen erat, portæq; potentis
Terræ, à iucundis subitò reuerenter amicis
Excipimur, studioq; omni curaq; iuuamur.
Visæ nobiliumq; domus, & templa deorum
Digna loco, & multis uix demonstrata diebus.
Sed iam penè tenent istarum tædia rerum,
Nec tam tecta animos capiunt, quàm moribus atq;
Iustitia, & rectis fundatæ legibus urbes.
Quas inter meritam tenet alta Bononia palmam,
Sceptra Theodosius sua cui submisit, & esse
Virtutis iussit doctrinarumq; magistram,
Magnanimus uerè & sapienti pectore princeps.
Hic est Germanos inter mos optimus, illos
Quis Heliconiades amor & solatia Phœbus,
Vt sua dent uni qui præsit nomina, seq;
Auxilia obstringant ad mutua, opemq; ferendam.
Qua moti quondam pietate, hodieq; mouentur
Ipsi Pontifices, augustaq; nomina Regum,
Quiq; probauerunt tam candida iura, probantq;:
Inde uigent moresq; boni, & concordia felix,
Crescit honor patriæ, laus genti & fama paratur.
Hunc etiam Pataui dum nos inducere morem
Nitimur, illorum tulimus ludibria, qui se
Lege uolunt nulla, Cyclopum more, teneri.

Hîc quoq; dum tumulis legimus perſcripta uetuſtis
Nomina, Cæſareum iuuenem Mutinenſibus olim
Adiunctum auxilio, captum per prælia, fulgens
Æs loquitur: cuius pro libertate daturum
Tortile Felſineos aurum circum undiq; muros
Promiſiſſe patrem nil iuuit: quatuor ille
Luſtris, dimidioq;, tulit non debita uincla,
Donec eum fatum cœleſtibus intulit oris.
Bis ter flammiferum Titan circumegerat orbem
Paduſa lacus. Nos præterucctı piſcoſæ ſtagna Paduſæ,
Eridanus fluuius. Et lapſu audacis Phaëtontis nobile flumen
Eridani, Veſuli quod manat origine montis.
Ferraria urbs. Tum procul apparet latis Ferraria campis,
Non tam coctilibus, quibus eſt circundata, muris,
Non domibus, templis, non arce uiſq; ſuperba:
Quàm uatum ingenio, natiq; patriq;, duorum.
Quos patria pulſos, gremio ſic fouit amico,
Dicere ut eſſe ſuos nequeat Florentia Strozas.
Herculis hîc ſtructum Ducis eſt Eſtenſis aſylum,
Nomine, quem ſtatua populus decorauit equeſtri.
Delius hîc uates quoq;, Theſpiadesq; puellæ,
Perpetuis ſacris, & feſta fronde coluntur.
Inſula ab Eridani ſinuoſo cingitur amne:
Vrbis opus, Ducis Alfonſi lætiſſima ſedes,
Cui nec Perſarum regis, nec Adonidis horti
Ceſſiſſent, eadem ſi cura nepotibus eſſet.
Hac uiſa, & uiſo, qui multa factus ab arte eſt,
Monte, locisq; aliis, quæ commemorata per urbem,
Athesis, Continuata uia eſt, Atheſiq; Padoq; relictis,
Padus fl. Ceu quendam referens illis regionibus Iſthmon,

Rhodigium

Rhodigium petitur, uarijs tibi cognite Cæli
In studijs, nãtale solum. hinc superata beata
Planicies, almæ Cereris Bacchiq; uoluptas:
Quæ non antè suos habuit longißima fines,
Quàm Phrygia aspicimus, triplici circundata muro
Tecta, & Medoacum flumen, notosq; penates
Euganeos, culti loca nobilitata Lycæi
Fama, quod Cæsar Rufæ cognomine barbæ
Felici auspicijs felicibus extulit æuo:
Dux bonus, & sapiens, qui fouit sacra Mineruæ,
Nec minus est Martis studijs operatus in armis.
Ille tuam Liui patriam, qui munere tanto
Auxerat, ore tuo dignus scriptisq; fuisset.
Nec mihi fas paucis perscribere uersibus, ortum
Antiquum, fossas amplas, pomœria lata,
Patricij ue artem, uel plumbea tecta palati,
Siue noui templi molem, molem ue uetusti.
Attila quas clades, quas sæue Eceline dedisti
Heu urbi infaustæ: sed pristina Carrarienses
Damna, dein Venetus reparauit cuncta senatus.
Salue terra meis indulgentißima Musis:
Quam, si non patriæ alterius reuocarer amore,
Optarem fessæ portum requiemq; senectæ.

Rhodigium opp.

Patauium urbs.

Medoacus fluuius.

Patauij, Cal. Iunij,
M.D.XLIII.

ITER CHEMNICENSE, ad Volfgangum Meurerum.

QVæ prius emensæ sint terræ, quas ue per urbes
Iuerimus, patrias quàm cernere cõtigit ædes,

Curarum

Curarum consors Meurere ô fide mearum
Accipe. Post dulces amplexus, post tot amica
Patauium urbs. Verba, datasq; manus, studiorum matre relicta
Pluuicus, Vrbe Antenorea, nos Pluuicus excipit augens
Muso, fl. Medoaci cursus. paruum hinc Musonis ad amnem
Taruisium urbs. Venimus, & patriam tibi Totila barbare terram,
Silus fl. Manat ubi placidus piscoso flumine Silus,
Gagnanus. Et miscens socias Gagnanus uitreus undas.
Blaua fl. Postea cœruleæ linquentes aspera Blauæ,
Primolanũ opp. Prouehimur subitò Primolanum, Scalaq; longè
Scala arx. Monstrat inaccessus uno nisi tramite turres.
Intrata est sæuo niuium damnata rigore
Feltria opp. Feltria, Cæsarea quondam reprehensa Camœna.
Nondum uesper erat, sed nubem fecerat imber,
Cùm Veneti imperij fines post ardua montis
Egressis, rursus stagnantia flumina noti
Medoacus lacus. Medoaci occurrunt: cui Nereus, & pater ipse
Oceanus, Nymphæq; assurgunt æquoris omnes,
Quem propter magnus Patauina Lazarus urbe
Aonios aperit fontes, diuinaq; morum
Ac uitæ præcepta, docens dignissima Phœbo,
Et Venus fine tuos æquans cantando libellos.
Nec procul illius caput, interrupta profundi
Stagna lacus. illa defessis nocte quietum
Tridentum urbs. Præbuit hospitium, depressa in ualle Tridentum.
Vidimus hîc amplam profusi præsulis arcem,
Artificumq; manus multorum, operumq; laborem,
Et luxum in tectis, non illo nomine dignum,
Officioq;: licet nihil istis omnibus actum est.
Nam qui tam insanis erexit sumptibus aulam,

Ipse

Ipse iacet lutea non cognoscendus in urna:
Heroes inter numerandus iure beatos,
Si tanta cura, & tam magni pectoris ausu,
Christicolûm in terris ornasset uiuida templa.
Mox Athesis uallem, sparsasq; in montibus arces, Athesina uallis.
Salurnum, & dictam Neomarche nomine terram Salurnum arx.
Liquimus, alterius media iam parte diei. Neomarcha opp.
Externa petimus tum plenum merce Bozenum, Bozenum.
Quod fœcunda Ceres placido despectat Olympo,
Nobilitatq; solum Campana fertile zea.
Æsacus hinc uasto per cautes murmure labens, Æsacus fl.
Præteritus, rapidiq; ruentes montibus amnes,
Brixinaq;, antiquum nomen (nisi nomina fallunt) Brixina op.
Sublauionis habens: quid enim non tempora mutant?
Regna ruunt, pereunt gentes: nec nomina mirum
Mutari, aut cadere, aut rebus succedere priscis
Sæpe nouas: & nos aliquid nescire locorum
Concedent, quibus Æneas aut Inachus auctor.
Quis uerò argenti uenas in montibus illis
Eruit inuentas? quas nunc Stercingia tellus Stercingum opp.
Suaciacis similes gremio de diuite fundit?
Comiter hîc habiti: nec enim gens aspera cultu, &
Moribus, Alpinis quamuis in montibus erret,
Visa fuit: magnis mox imbribus atq; graui austro,
Scandimus aerij latera ardua Pyrenei. Pyreneus mons.
Incertum Hispanis an nomen traxerit ille
Montibus, aut alia qua sit ratione uocatus.
Huic niue tincta coma, & glacie riget aspera barba.
Rursus in arua fuga ferimur, uallesq; profundas,
Sicanio ueluti deprensus in æquore nauta,

Cùm

Cum Boreas, Eurusq;, freto fera prælia miscent,
Fluctibus ad cœlum modò tollitur, & modò septus
Molibus undarum, manes defertur ad imos.
Hîc post longa duo congressi tempora fratres,
Carolus Hesperijs victor, Ferdnandus Eois,
Cum patrijs cuperent propellere finibus hostem
Ismarium, atq; Ducum longas componere lites.
Steinachinm opp. Postea Steinachium, Matreioq;, parua locorum
Matreio op. Nomina præterita, at non planè incognita prisc is.
Oempons urbs. Donec Iulæi pontem peruenimus Oeni,
Quam semper nebulæ & malus urget Iuppiter urbem;
Attamen egregijs tectis aulaq; decoram:
Curia consilio patribus quæ facta uerendis,
Aurato latè resplendet fulgida tecto.
Milda pagus. Non procul inde Ducum uultus (signa æmula signis
Lysippi) Austriadum, surgentes q; ære colossos
Cernas, & longo victores ordine reges.
Quos si fata uiros in tempora nostra tulissent,
Non tot regna suis delesset Barbarus armis,
Thraciaq; ante ipsam fixisset castra Viennam.
Cirellum pagus. Postera rorè leui uirides Tithonia campos
Sparserat, ad scopulum cursu peruenimus altum:
Hîc ubi sectatus ter maximus Æmilianus
Alta in rupe capras, finisset turpiter æuum,
Ni Deus ad maiora uirum seruasset, opemq;
Auxilio agricolæ pænè ipsa in morte tulisset.
Progressi inde uiæ modicum, miracula sancta
Sehefeldum In pago Sehefelde tuo, monstrauit ad aras
Sacrificus, duro manuum uestigia saxo.
Hæc etsi quæstus (quid enim non efficit aurum?)

Prodigiosa

Prodigiosa nimis, uerique expertia finxit,
Disce tamen moderari animis, contemnere nullum, "
Quisquis es, atq; homines alios reuerenter habeto. "
Excipimur lauto clementer ab hospite Inutri, Inutrium.
Implemurq; boni Bacchi, pinguisq; ferinae.
Isara mox Boerum per fines, atq; Loissa, Isara fl.
Alpinis rapidi currentes fontibus amnes Loissa fl.
Traiecti: inde lacus cui nomen Coccherus indit, Coccherus lacus.
Et mons & fluuius, dextra est à parte relictus.
Quid memorem paruam, sed prisci nominis urbem Parthanum opp.
Parthanum, Henricus sibi qua Leo tendere dextram
Suppliciter tristem Fridericum uidit? at ille
Quò minus Insubres armis euerteret arces,
Cæsaris impedit felicia cœpta superbus.
Irriguæ quid dicam Ambræ uiridissima tempe? Ambra fl.
Aut quid pulchra Lyci resonantis flumina propter Lycus fl.
Altera Thessalico tempe dignissima Pani? Sconga opp.
Quæ non una tenet, uelut Itala littora, Circe,
Sed tres in iuuenum iuratæ damna sorores,
Eumelis, & Glycere, & flauo Charießa capillo,
Monstrantes pictis insignia mille tabellis
Pendula parietibus, ceu capta ex hoste tropæa.
Hîc risum aduciens mouit prandentibus hospes.
Namq; foro turdos uno uix asse coemptos,
Lina ferens, captos à se iactabat, ea arte
Nos retinere parans. hinc per dumeta malignum Landsbergæ opp.
Continuamus iter, donec cum mœnibus urbem
Humani altricem populi prospeximus, in qua
Dulcis aquæ fons est, ornans urbemq; forumq;
Landsbergi portas egressis campus obitur,

Non

Non qualis Tiberinus erat, uel ad Elidis urbem:
Sed maior spacio, atq; ad ludos aptior omnes,
Siue rotis, uel iturus equo, uel ludicra sumis
Arma pedes, cymbaue Lyco decurris aperto:
Siue animus Martis totas effundere uires.
Non cæsi hoc docuit clades tristissima Vari,
Fracta sed Hunniadum Germano milite uirtus,
Pannoniæ & fusus Sueuis exercitus armis.
Post hunc assequimur, quam Rhetus condidit urbem,
Extulit Augustus, iam nomine gaudet utroq;:
Vindelicæ caput, & nunc unica gloria gentis.
Non memorabo domos, non splendida tecta potentum,
Non una tot in urbe Midas: non turris ad altæ
Frigidulis undis eductum culmina fontem.
Non in quo proceres tumulo de rebus agendis
Consultant, Phariæ quondam loca sacra iuuencæ.
Non fora, non templa, & præclaros Consulis hortos,
Ornatumq; recens monumentum fortis Othonis.
Non dicam posuit quas dives Fuggarus ædes,
Hospitiumq; laremq; uiris, quos cana senectus
Inualidos premit, aut inopes grauis urget egestas.
Non quibus à claro iam Bibliotheca senatu
Sumptibus extruitur. cursus hic sistat Apollo,
Non capit angustum tantæ urbis pondera carmen.
Hinc tenues campis riuos, Cinclumq; palustrem,
Virdonemq;, alios q; obscuri nominis amnes,
Longa referre mora est: properantes ultimus olim
Excipit imperij Romani terminus Ister,
Qui centum populos, & magnas alluit urbes,
Abnobio per plana iugo, tot ab amnibus auctus

Lyci campus.

Augusta Vindelicorum.

Cinclus, Virdo, fl.

Danubius fluuius.

Euxinum

Euxinum irrumpit bis terno flumine pontum,
Cornuaq; in limo frangit suprema paluſtri.
Primùm Alemanorum coluit quem Martia pubes,
Póſt frameam portans in prælia Sueuus acutam,
Vinclorum impatiens, & libertatis amator.
Inſula cum rapido quam cingit Bernicus Iſtro, Bernicus fl.
Lene dat hoſpitium, & iucundæ gaudia noctis, Donauerda opp.
Cantus & choreas, ſed non ad barbiton, ullam
Aut citharam, uocem ſed ſaltabatur agreſtis,
Augentis riſum non triſti fronte puellis.
Inde ædem monachis cultam tranſiuimus, in qua Caſſa monaſterium.
Curatos uideas, pinguesq; abdomine uentres.
Id'ne Lycoſtomios comites uoluiſſe putandum eſt,
Cùm facerent tantos in tecta hæc ſplendida ſumptus?
Hoſpita Monhemij cùm prandia lauta dediſſet: Monhemiũ opp.
Auſa uiris certare mero, atq; immania poſcens
Pocula, pænè fugam dare fecit Amazonis omnes.
Proxima nos uia fert Alemanum ad flumen, & urbem Alemanus fl.
Noriciam, niuea cognomen ab arce trahentem. Vueiſſembus gum urbs.
Ad quam Pipini quondam fortißima proles
Carolus, ingentem magno molimine foſſam
Ducebat, fluuium hunc ut cum ſuperaſſet, & illum,
Qui fuerant medij, regnum coniungeret Iſtro:
Grande opus, & cuius locus hic uestigia ſeruat.
Suabacchum Cereris laudatum munere potus Suabacchum opp.
Retro abit, excelſas urbs monſtrat Norica turres, Noriberga urbs.
Qua non Germanis eſt ulla celebrior oris,
Seu leges ſpectes, & ſancti iura ſenatus,
Et ſic unanimi uiuentes fœdere ciues:
Siue tot artifices claros, æquandaq; priſcis

Ingenia, & uarios iuuenumq; senumq; labores.
Sed ne nos humili minuamus carmine laudes,
Mæonio uati dicendas, contrahe frena
Musa, nec Hesiaco te credas dicere plura
Posse sene, aut Franco, ueterum qui primus honorem
Daphnea meruit uiridem de fronde coronam.
Hîc aliquot soles cùm duxissemus, amicis
Quam potuere moram nobis facientibus, imbre
Vorchemũ opp. Vorchemum madidi petimus, noctemq; moramur:
Vorchemum, primis quo cunis uagijt Heltus,
Multorum studijs natus, doctusq; bonusq;.
Pegnesus fluuius. Excipit hinc rursus Pegnesus, Noricus amnis,
Mutato gaudens dici Radiantia uerbo.
Inde Berengarij cantatam tendimus urbem
Paberg urbs. Exilio, uel dictam auium de uoce Pabergam:
Vel de Saxonica uis illi dante puella.
Hæc spacio inferior nulli est, uel ciuibus, urbi
Finitimæ, atq; alti sublimis culmine templi.
Impensis tantis Heinricus fecit id olim,
Vt cultus uerbi diuini in gente maneret,
Exempla & memores celebrarent sancta nepotes.
In primis Ioachime tuo nunc nobilis illa est
Ingenio, liquidas ad nos qui Phocydis undas
Transfers, & Graias trabis ex Helicone sorores.
Iam satis, & quantum uisum fuit, urbe morati,
Nuda nec alta illum nasci urgulta per agrum
Cernentes, flexasq; comas, glomeratáq; lapsit
Brachia multiplici radicis: nunquid ea illa est
Nota (aio) radix, alijs non cognita in aruis,
Est nomen quæ de dulcedine nacta Pelasgum

Pisciferi

Piſciferi porrò delabimur ad uada Mœni, Mœnus fl.
Qui fluit ex altis gemino de fonte Nariſcis, Nariſci populi.
Antehac Francorum limes, quàm plurima uirtus
Illorum externas gentes ſubiecerat armis.
Longius euecti, Coburgi uidimus arcem Coburgum opp.
Illuſtrem, atq; arci ſubiectam intrauimus urbem.
Hanc princeps cara accepit cum coniuge terram,
Cui tribuit uirtus Friderico ſtrenua nomen,
Turingis primùm cùm Francia paruit armis.
Hoſpitis hîc nobis animus uultuſq; benigni
Defuit: Eisfelda tractamur lautius urbe. Eisfelda. Irmenkirchi
Hinc Hermæ petitur ſacratus numine quondam
Lucus, adhuc ueteris retinens ueſtigia templi.
Huius ſacra Dei coluere Tuiſcone nati,
Cultricesq; illi ſtatuerunt urbibus aras,
Signaq; Cecropiæ quot non uidiſtis Athenæ.
Hoc luco fama eſt magnos arſiſſe tumultus,
Exciret miſerum cùm pubes ruſtica bellum,
Nobilium imperium & dominorum iuſſa recuſans.
Poſtea decliuem poſt montem, ualle relicta Saxanguſta arx.
Anguſta, impoſitam ſaxo conſpeximus arcem: Semana ſiluа.
Et denſam arboribus multo ſudore Semanam
Scandentes, crebrò torquemus lumina retro.
Eſt domus in media parua atq; incondita ſiluâ,
Fœmineo incertum quare de nomine dicta:
Tardius hanc Phœbes exorta luce ſubimus,
Amiſſos fruſtra ſocios per uota uocantes.
Manè metalliferis argenti cognita uenis
Ilmena præterita eſt, muſcoſo nomen ab Ilmo Ilmena opp.
Terra tenet: doctus Pelignis æmula faſtis Ilmus fl.

Carmina Stigelius fluuium meditatur ad Ilmum.
Turingia. Iam lætos aperit Turingia fertilis agros,
Hieras fl. Quos rigat arua fluens per pinguia lentus Hieras.
Arenstadium opp. Iußit Arenstadij nox tum uicina manere.
Erfurdia urbs. Orta dies adeò, ualidos Erfordia muros
Ostentat: spacij quæ tantum amplectitur una,
Quantum uicinis non in regionibus ulla,
Magna potensq; licet. uerùm sunt mœnia nulla
Firma satis, quamuis sint ære adamanteq; structa,
Si leuis insanos uexet discordia ciues.
Quæ si Romanas euertit sedibus arces,
Sol quibus imperium non uidit maius in orbe,
Quid miseri tutum uobis erit? heu male rixas,
Irarumq; alitis uestra intra uiscera flammas.
Hoc uitate nefas, & uobis flumina lactis
Inter agros pingues, & flumina nectaris ibunt.
Inuentis illic socijs, de corde fugata est
Tristicia. hinc uacui magnam loca clara per urbem
Circumimus, celsamq; arcem, celsoq; locata
Templa iugo, atq; auro splendentia tecta micante
Aspicimus, nec non hominum cognoscere mores
Delectat sine fraude rudes. at non sine magno
Cernimus Aonium gemitu cecidisse Lycæum.
Cuius si ueteres rursum instauraret honores,
A gratis esset nomen latura Camœnis.
Cycnæus lacus. Luce sequente lacum Cycnæum, & mœnia paruæ
Coleda opp. Ambustæ Coledæ, nondum reparata uidemus.
Arx antiqua manet, silua hinc & montibus, inde
Beichlingum arx. Planicie, & fusis latè circundata campis,
Nomine Beichlingum: quæ perdita Cæsaris armis

Hei mici,

Heinrichi, nomen seruantis in ordine Quarti,
Cùm Dedo Misnensis, famulo truncatus ab ense
Oppetit, agnatoq; suo sua regna relinquit,
Thimoni quæ pòst tribuit Lotharius ultro,
A' cuius clari florent modò stirpe nepotes.
Hanc arcem procerum quondam possederat unus,
Saxonibus qui iura dabant belliq; togæq;.
Hinc coluere loci Comites de nomine dicti,
A' patre nunc & auo Vuerterus poßidet illam,
Ingenioq; ornat: post messes quinq; receptus,
Emensa Italia, laribus requiescit amicis.
Me quoq; cùm patriæ uisendæ tangeret ardor,
Proxima quæ à prima fuerat sum luce profectus,
Accedens Steinum (quanquam propiore licebat Steinū arx
Ire uia) sedem Vicelebæ gentis auitam:
Salsum ibi gustaui fontem, lapidisq; nitentis
Collegi crustas, imitantis Latmia uultus
Nocte tuos, ideo speculi de nomine dicti.
Post hæc ansatas Sebergi inquirimus ollas Sebergus mons.
Montis, uti perhibent, Pygmæis uascula, quondam
Triticeas colerent dum terras, fortè relicta.
Cornuaq; immanis manibus tractauimus uri,
Sed carie corrupta, imisq; reperta cauernis
Saxi, dum reparant arcis fundamina priscæ.
Hospitio & bonitate uiri detentus amici,
Qui iuuat afflictas hoc duro tempore Musas,
Cœptas carpo uias, dictamq; ab Apolline uillam Apolleda uil la.
Cum socijs uenio, quos tum comitabar euntes.
Permensa inde Sala, Misnensis panditur ora, Sala fl.
Qua patribus parte est Ostlandia dicta uetustis,

Accepit, cui terna dedit Victoria nomen.
Hîc nox, & mediæ pars est consumpta dici.
Citium op. A dextra Citium linquentes, fortè subimus
Pega opp. Inde Pegam: non magna quidem, uerùm optima terræ
Fertilitate loca, & frumento ditia rura.
Hîc fortasse potes tumuli meminisse Viperti,
Audacis iuuenis, cuius fuit inclyta Marte
Dextera, consiliisq; idem nec inutilis auctor
Creditus. hic dicta socijs de more salute,
Solus iter pergo per olentes suauiter agros
Auricomante croco: cedas nunc Coryce, cedat
Cyrene, est sua Germanis quoq; gloria campis.
Lipsia urbs. Iam propè uesper erat, nec longum Lipsia uisa est:
Quam si propter opes laudarem, & splendida tecta,
Atq; puellarum formam, iuuenesq; superbos,
Omnibus & nota, atq; alijs cantata referrem.
Quòd præclara uiris, Musas quòd honorat, amatq;,
Eximium decus est: & tanto plura meretur
Præmia, res quanto uincit sapientia uiles.
Est excelsa domus, Grimanæ proxima portæ,
Hanc Epicure tuæ coluit turba æmula sectæ:
Nunc dux Mauricius meliorem uertit in usum,
Præmiaq; atq; amplos congestæ frugis aceruos
Addidit, & iuuenum studijs Christoq; dicauit.
Iamq; ibi Borneri studio, cui publica curæ
Res etiam antè fuit, multis ex urbibus aucta
Bibliotheca loco celebri claroq; paratur.
Hîc quoq; dum noti lustramus singula templi,
Repperimus malè cæse tuum Dicemane sepulchrum,
Tyrrhena titulum cui Dantes exul ab urbe

Condidit,

Condidit, atq; notis factum signauit Hetruscis.
At nos cogebat Philyræum morbus Elistrum — Elister fl.
Effugere, in totam diffusus pestifer urbem.
Non tamen exigui uada cæca effugimus Ili, — Ilus fl.
Qui me pænè suis incautum perdidit undis.
Venimus oppidulum Fontis de nomine dictum: — Fonteia opp.
Ad dextram Lucca est, prope quam Fridericus, iniqui — Lucca opp.
Multa ferens commissa patris, fortißimus heros
Prostrauit Sueuos Misnensi Marte cohortes,
Et bis Cæsareas aquilas dare terga coegit.
Mox flumen Vira, & reparatum pace Frobergum, — Vira fl.
Nam quondam hostili sublatum funditus igne. — Frobergum,
Tum muros arcemq; Coræ, quam propter iaspis — Cora, opp.
Effoditur generis uarij: & te Mulda iacentis — Mulda fl.
Tangentem Penigæ portas celerando reliqui. — Peniga op.
Hinc urbs Cæsareis, Casci prope condita montem, — Cascus mõs.
Auspicijs, fluuij præterlabentis adepta
Nomen, Chemnicium nos excipit alite læto. — Chemnicium opp.
Hæc nunc ingenio Agricolæ celeberrima magno,
Qui pulchrum conscripsit opus, terraq; sub alta,
Dædala quod natura tegit, caligine mersum
Obscura, doctorum oculis proponit, ut antè
Pondera restituit: nunc restituisse putatur
Artem Vesalius, quæ corpus & intima membra
Rimatur, uitæ diuina inuenta tuendæ.

Chemnicij, Cal. Octob.
M. D. XLIII.

se, ad Valentinum Gra-
uium.

Qui mihi chare Graui, primos numerãdus ami
Inter eras, postrema mei cape dona laboris.
Et si fortè uacas, quo sidere, quo'ue profecti
Auspicio, atq; uia Trebocum simus ad Ellum,
Quà sua cum uiridi coniungit flumina Rheno,
Perlege. Tempus erat, tumidas quo uinitor uuas
Pressat, & æquoreis cum piscibus occidit Argo.
Helmæ pons opp. Nos Helmæ pontem primùm cum fratribus ire,
Caussa animi, placuit Vuertero: ea uilla dicata est
Nymphis, Arcadiæq; deo, pulchrisq; Camœnis.
Hic quoniam nobis non abnuit usq; morari,
Non lepus in campis, non ales in aere tutum
Carpsit iter, timuitq; suo sibi flumine piscis.
Beichlingũ arx. Post iter ingredimur Beichlingi sede relicta,
Suauiter in studijs ubi totum uiximus annum,
Antè tamen superos his uerbis pænè precati:
" Hanc rege Christe uiam, quam nunc uirtutis amore
" Suscipimus, comitemq; fidelem cœlitus adde,
" Qui nos incolumes ducat, uitamq; gubernet,
" Ac studia, & patrijs reddat feliciter oris.
Lossa, Vnster, fl. Egressum iam limen erat, mox Lossa relicta est,
Et ripam effusis superans sæpe Vnster habenis
Angustam, tacitoq; secans Tempe aurea cursu.
Inde lacus liquidis sortitus nomen ab undis
Leucius lacus. Leucius, exiguoq; leues quæ tramite tophos
Helba fl. Helba uehit, sociatq; breui sua flumina Clingæ.
Clinga fl. His sua dona locis pariter Bacchusq; Ceresq;

Ostentant,

Ostentant, & ditat Isatidis herba colonos,
Puniceoq; crocus genialis spirat in aruo.
Vesper erat, nos Heilunga sumus arce recepti, Heilunga arx.
Perpetuam hac pietas legit & concordia sedem.
Quatuor una domus fratres, eademq; uoluntas
Omnibus, ac studium, regere & parere uicissim.
Vix in Amycleis geminis quod Græcia quondam
Persuasit populis, hoc credat tempore nemo.
Tum Salzæ muros, & eodem nomine flumen Salza opp.
In pluuia præteruehimur, montemq; uidemus
Horrisonum, celebrem quem fecit fabula uulgi. Horrisonus mons.
Nescio quem Genium ne loci, uel ab æthere Dirum,
Tænario ue herebo, latebrosis condier antris,
Qui fido admonitu, ne quis forte inscius intret
Terrere, & uentura solet narrare pericla.
Ventum hinc ad Nessæ fluuium, cui frigora raro Nessa fl.
Inducunt glaciem: positam hinc in uallibus urbem,
A ferro dictam uulgo, sed ab Iside doctis, Isenacum opp.
Quam coluit framea committens prælia Sueuus,
Constituens illi siluis ac montibus aras.
Imminet arx urbi, madidos quà respicit austros, Vartburgũ arx.
Reginæ sedes, quæ sceptra decusq; caducum
Quodcunq; orbis habet, præ Christi spreuit amore:
Vtq; ministerijs inopum studiosa uacaret
Elizabetha, pij neptis generosa Dedonis,
Rochliciam Misnæ qui rexit legibus urbem.
Horsela & Ella dehinc, tenui cum flumine Sulæ, Horsela fl. Ella fl.
Atq; his Vella tribus maior, uix nomine digni, Sula fl.
Nec raro ignoti proprijs cultoribus amnes, Vella fl.
Post tergum colles inter uallemq; relicti.

Faccha opp. Vespere conspicimus fumosæ mœnia Facchæ,
Vuerra fl. Ad quæ Vuerra suum consortem amplectitur Vnstrum:
Vnster fl. Sed minimè talem, qualis Turingicus exit,
Plana secans, sociæq; Salæ sua flumina iungens.
Concussi curru, parua diuertimus urbe,
In tota quidquid pinguis dedit hospita cœna,
Anser erat: mensis poterat qui rarior esse,
Rarus erat rigidis per dura cubilia lectis.
Manè graui in nebula surgentem cernere Phœbum,
Quamuis luce procul montes feriebat acutos,
Vix licuit, donec perrupta nube serenum
Exeruit uultum, & claro micat igneus orbe.
Inde Caballinæ surgebant culmina uillæ,
Rosdor flum arx. Hîc ubi collectis struxerunt sumptibus arcem
Agricolæ, tutamq; tenent, & parta reponunt,
Præsidium dubijs, ornamentumq; secundis.
Gens ipsa exercet montes, & uomere saxa
Frangit, opesq; parat pexo sibi fœmina lino,
Educet ut duros communia pignora natos.
Vt montana pij sunt templa relicta Gebulfi,
Hunæfeldum opp. Ad campum lentæ propius peruenimus Hunæ.
Huna fl. Iam mersurus erat sua Cynthius ora profundo,
Altaq; cœruleo splendebat silua colore,
Atq; rubore polus decliuem pinxerat axem,
Fulda opp. Nos Fuldam ingredimur, mirati templa, rotamq;
Auream, & Idææ resonantem sistra Cybeles,
Et sculpta in gemmis ueterum pia facta parentum.
Heu quantum à priscis hæc distant secula seclis.
Nam non sacrificos hac ullos uidimus æde,
Sed Tusci turbam uici, mediæq; Saburæ.

Post

Pòst silicis superata uia est, occlusaq; silua,
Et uentum ad tenues quos tangit Kinziga muros.
Hospitis hic bonitate tamen, uultuq; benigno
Exclusus labor est, & nox iucunda secuta.
Ante Stenam silua est, & fons purissimus ante
Vuertheimum: hoc plano campo, iacet altera colle,
Oppida parua. sacram Bromio Cereriq; Gelhusam
Imperijq; urbem petimus, uotoq; potimur.
Dumq; fora & templum lustramus, fortè querelas
Fundentem legimus Christum, & sic ore loquentem:
Sum lux, nemo cupit talem cognoscere lucem. "
Sum uia, nostra tamen sequitur uestigia nemo. "
Sum pius & placidus, nemo audet fidere nobis. "
Sum rerum cœliq; potens, me nemo uereatur. "
Possidet hîc amplas animis concordibus ædes
Libera nobilitas, & magnis sæpe timenda
Principibus: tam non trepidè sua iura tuetur.
Hinc meliore uia Cattorum ex montibus altis
In planum euecti, uallatam uidimus Hanam,
Auget ubi Francum Fuldensis Kinziga Mœnum.
Mox turres offert Francfordia nobilis altas,
Vrbs decus imperij, qua primos Cæsar honores
Accipit, & titulum regni sceptrumq; reportat:
Lignea tota tamen, nec claris splendida tectis,
Sed claris speciosa uiris: huc sæpe Camœnas
In sua tecta trahit facunda uoce Micyllus,
Suspensusq; tenet Phœbæo numine plenus.
Tum mihi Saxonicas aduerso in littore sedes
Cernere non socij, sed nox spaciumq; negabant.
Quàm uellem præsens etiam tu fortè fuisses,

Schluchter opp.
Kinziga fl.
Stena opp.
Vuertheimũ opp.
Gelhusa.
Cattorum montes.
Hana opp.
Francfordia urbs.
Saxenhusa opp.

Cùm

Cùm nos ad cœnam tempusq; hoſpesq; uocarent.
Scindebantur enim ſtudia in contraria cuncti,
Vt fit, cùm mentes caluiſſent, cumq; loquentem
Suſpenſi audirent, quid ſæuus Turca pararet,
Quiq; Dei templo & Romanæ præſidet urbi.
Magnanimi quidam laudabant Cæſaris acta:
India cui dederit, cui tentata Africa nomen,
Et ſedata armis iam Gallia, ſitq; daturus
Euxinus tandem Nili cum flumine pontus.
Quæ licet acciperet non gratis auribus hoſpes,
Poneret & uilis Lenæi munera, Gallum
(Ignoſcat Cæſar) pleno laudauimus ore:
Tunc facundus erat, tunc omnia dicta probabat,
Triſtia moroſæ deponens nubila frontis.

Hoeſta op. Nida fl. Altera lux defert turritæ ad mœnia Hoeſtæ,
Ad quam Nida ſecans fœcundos leniter agros
Miſcetur Mœno, & placido caput occulit amne.

Hochemum opp. Castellum opp. Hinc ad uitiferos Hochemi tendere colles
Pergimus, & dictum Caſtelli nomine uicum,
Oſtia tangentem flaui placidiſſima Mœni.

Ostium Mœni. Non mendax loquitur Latias hoc fama cohortes
Conſedisse loco. teſtantur plurima ſigna
Sub terris inuenta, & priſcis ſculpta figuris,
Quarum res geſtas & munera litera monſtrat.

Maguncia eum urbs. Tranſmiſſo Rheno præclaram tangimus urbem,
Cui Magus atq; Ciæ torrens, coniuncta dedere
Nomina, dum Gallis regna immutata manerent.
Vidimus hic grandem Glandis cognomine molem,
Romani Druſo quam conſtituiſſe feruntur.
Cui mortem & nomen uictrix Germania fecit,

Quid bi

Quid referam insignem diuini pectoris artem,
Scriptos antè manu, nunc ære excudere libros,
Ista quæ primos ortus inuenit in urbe?
Hac nihil utilius dedit ingeniosa uetustas,
Quamuis inuentis lætetur Græcia multis,
Atq; suum nobis terra Itala iactet acumen.
Quis uerò nescit paruum intra mœnia collem?
In quo si tergo iaceas uultuq; supinus,
Suspensam cerni quasi in ipsis nubibus urbem?
Res mira, at credenda tamen: sed dicere caussam
Materia ipsa uetat, iamq; aurem uellit Apollo.
Hic Academiam non esse in flore, dolendum est,
Exiliumq; pijs indici turpe Camœnis:
Cùm tamen interea tot corpora pigra saginet
Luxus, & haud illos congesta pecunia in usus.
Inde Oppenheimum progressi naue, quod olim
Rusiniana fuit, uel quod Bauconia dictum,
Nomen enim in dubio est: nam nostri munera nunquã
Musarum, at duri tractarunt prælia Martis:
Nemoq; res scripsit, fecerunt fortiter omnes.
Hinc tot facta patrum, tantorum & origo locorum,
Tot ueteres ritus, Lethæa nocte sepulti.
At puto tempus erit, cùm nulla gloria gente
Nostra minor, quæcunq; æuum coluere per artes,
Seu quæ pace uigent, seu quæ dominantur in armis.
Iam propè uilla fuit, qua post curuamina longa
Rursus iter solitum leni tenet agmine Rhenus.
Hinc ad Vangionum nos cursus detulit urbem
Magnificam, eximijq; soli, rerumq; feracem
Omnium, at exhaustam populo tamen, inq; frequentè,

Oppenheimum opp.

Vormacia urbs.

Qua,

Qua, si iam (quid enim hæc uetat & meliora precarii)
Discordem uictor componet Carolus orbem,
Obersheimum opp. Æternum cunctis celebrabitur inclyta seclis.
Posthea Obersheimo post prandia in imbre relicto,
Quæ notat Argolica pugnantem uoce cohortem,
Spira urbs. Proxima Spira fuit: ueteri de nomine lis est,
Sed certum fortes illam tenuisse Nemetes:
Ampla loco, tectis ornata, augustaq; templo,
Quod sex Cæsaribus tribuit commune sepulchrum:
Hæc nunc Imperij totius iura tuetur,
Et rigidam Minos hic uersat, & Æacus urnam.
Inde paludosum campum, Rheniq; fluenta
Graba arx. Vinca fl. Transgressi, ad Grabam, et Vincæ peruenimus amnem;
Principis ingressi florentia rura Badensis,
Maioresq; eius qua ceperat arce, Rupertus
Cæsar ad imperium reuocans non iure rebelles,
Mülbergum arx. Mulbergo excipimur, sub sera crepuscula noctis.
Alba fl. Post Albæ riuum confestim se breuis offert
Silua dicata feris, trepidus qua sæpe fugaces
Faunus Hamadryades latebras intrare coegit,
Rastadium opp. Fons q; uia positus, placidis balantibus unda.
Deinceps Rastadium, Morychũq; relinquimus amnem;
Morychus fluuius. Stolhofijq; arcem, nec non munita uiarum
Stolhofium opp. Effugia, & fossis ac dumis undiq; cincta:
Lichtena opp. Quodq; à luce tenet nomen, quod paruula præter
Renga fluit, dulcem fessis dat nocte quietem.
Renga fl. Holcha fl. Hinc Holcham exilem riuum, sed protinus imber
Vt cadit, exitium pecori domibusq; ferentem:
Kinza fl. Sura fl. Tum Kinza, & tardæ superato flumine Suræ,
Stringentis ripas, auri & ramenta ferentis,

Sublis

Sublicius Rheni nobis procul aspicitur pons. Pons Rheni.
Iam muros ualidos, & propugnacula bello,
In primisq; altam propius fert inclyta turrim
Argentina, domus doctorum clara uirorum: Argentoratum urbs.
Inter quos, ueluti reliqua inter lumina Phœbus,
Sturmius excellit: cuius nos pectus & ora
Mirati, dulcem patriam, caræq; parentis
Spernentes lacrymas, modò si non fata repugnant,
Et uitæ & studijs sedem delegimus istam.

Argentorati, IIII. Id. Octob.
M. D. XLIIII.

LOCORVM

LOCORVM VETERES & recentes appellationes.

VRBIVM, OPPIDORVM.

Acerræ, Campaniæ.

Ælia Ricina, Picenti, uulgo Recanati.

Ancona, urbs Piceni maritima, de cuius cõditoribus nõ dissentiunt Plinius & Iuuenalis, ut Blondus autumat.

Antemnates, populi in Latio.

Anxur, Campaniæ, olim Trachyna, et pòst Tarracina, nunc Terracin.

Apolleda, uilla Turingiæ Vicethumorum

Aponus, Venetiæ, sub Euganeis montibus, thermis nominatus uicus.

Appij forum, Volscorum, l'Abbatia, & Fossa noua.

Aqua pendens, Hetruriæ, aliquando Aquula.

Argentoratum, uel Argentina, Alsatiæ, olim Trebocorum, Strasburg. In libro Troiaminis dicitur Silbertina.

Arenstadium, Turingiæ, Arnstad. Comitũ Suarceburgiorum.

Ariminum, Picentum, Rimini, à comitibus Herculis cõditum. Cato in Originibus.

Asisium, Vmbriæ, nunc Sisi, patria & templo S. Francisci celebre, Straboni Æsium, Propertio Æsis, uel (ut in nonnullis libris) Axis.

Atella, Campaniæ, nunc Auersa

Atheſini, populi in Alpib. die Etschlender.

Augusta Vindelica Rhetorũ, Sueuiæ, Augspurg.

Aurunci, populi Campaniæ, quorum urbs non est amplius.

Baiæ, Campaniæ, in sinu Puteo-

Puteolano, cuius nunc arx tantum extat.

Bauconia Rheni, ut nonnulli opinantur, Oppenheim.

Bauli, uilla Campaniæ inter promontorium Misenum, & lacum Baianum, flexo mari alluitur: Tacitus. Hodie de eo nihil extat.

Beichlingum arx Turingiæ antiquißima, olim uni⁹ ex Duodecim uiris regijs Saxoniæ sedes, postea Comitum inde dictorum: ab Henrico IIII. Imperatore anno M. LXIX fuit euersa.

Bianorum Hetruriæ in Apennino, la Pianora

Boeri populi, die Beiern.

Bocenum Rhetiæ primæ, Bozen.

Boneconuentum, Hetruriæ, infame Henrici VI. Cæs. morte, uenetho sublati per monachum in Eucharistia.

Bononia, urbs Æmiliæ, olim Felsina, nunc Bologna.

Brixina oppidum Rhetiæ episcopale, Brixen.

Caieta, maritima Campaniæ.

Campania Italiæ regio fertilißima. Terra de lauore, nunc regnũ Neapolitanum

Capua uetus ad Tifata mõtes, funditus euersa, totus ille locus à templo S. Mariæ nomen iam habet: dicta antiquitus à Falconis augurio, quẽ Tusci Capyn nominãt, ut Seruius: à rege Capy, ut Virgilius: à campis, ut Cicero & Plinius: à duce Capuo, ut Liuius: quòd illius loci fuerit caput, ut Strabo.

Capua noua, ad Vulturnum fluuium.

Castellum, uicus ad Rhenum eregione Magun

e ciaci,

ciaci, ubi effodiuntur antiquitatis monumenta, & nomiſmata.

Certaldum, Hetruriæ, patria Boccacij.

Ceruia Piceni, ſalinas habet.

Chemnicium Cæſarium. Miſniæ, à Lothario Imp. Saxone conditũ, Keiſer Kempnitz.

Clugiæ, opp. Venetiæ in litore maris Hadriatici, uulgò la Chioza, olim etiam Foſſa Clodia.

Cirellum, Rhetiæ, prope quod in uenatione rupicaprarum in periculo fuit Maximilianus.

Citũ, Miſniæ, Ceitz, urbs Epiſcopalis, quam in Chronicis Mamillam inuenio appellatam.

Cimmerij, populi Campaniæ, ad Auernum lacũ.

Coburgum, Franciæ orientalis, Koburg.

Coleda Turingiæ, uulgo Cucullium.

Cora, Miſniæ, Koren: nobilium Einſidelitũ. Effodiũtur ad id iaſpides nigri, flaui & ſanguinei coloris.

Dicæarchia, Campaniæ: ita dicta, quòd iuſtiſſimè regebatur. Feſtus. nunc Puteoli, uulgò Puzolo.

Donauerda, urbs imperialis, quaſi Danubij inſula.

Eisfeldum, Turingiæ, ad ſiluam Semanam.

Erfordia, urbs Turingiæ, caput gentis, eodem cũ Venetijs anno condita, Erfurd.

Faberiana, Piceni, Fabriano: unde carta Faberiana nominata eſt.

Faccha, Turingiæ.

Faliſcum, Hetruriæ, uino nobile, monte Fiaſcon.

Fanum Fortunæ, Piceni, Fano.

Feltria, Rhetiæ primæ, Feltri. de quo oppido hoc memoratur Iulij Cæſaris diſtichon: Feltria perpe-

perpetuo niuium damnata rigore, Terra uale, posthac non adeunda mihi.

Feronia Campaniæ, templo, luco, fonte celebrata Virgilio, Horatio, Tacito.

Ferraria, urbs Æmiliæ, ad Padum, Ferrara.

Fesulæ, Hetruriæ, nunc desertæ. In monte Fesulano, prope Florentiam ædificatũ monasteriũ.

Fidẽtia, Hetruriæ in Apennino, Fiorenzola.

Florentia Hetruriæ pulcherrima, per quam Arnus labitur, Fierẽza.

Fonteia, Misniæ, Born. à Sueuis capta, à Boemis cremata.

Formiæ, Campaniæ, nunc Mola.

Fossa Clodia, Venetiæ, Chioza.

Francfordia urbs Imperij ad Mœnũ, Francfurd.

Franci populi, die Franckẽ.

Frobergum, Misniæ.

Fulda, Hassiæ.

Fulginia, Vmbriæ, nunc Folingo. in fœminino ponit Silius: Fulgineum in neutro Cato & Appianus.

Fundi, Campaniæ, citrijs nobile, & uino. nunc Fondi, in uia Appia.

Gelhusa urbs Hassiæ, imperialis, Gelhausen.

Graba, Badensis marchionis.

Hana, Franciæ orientalis.

Hassi populi, uel Catti, die Hessen.

Heilunga, Turingiæ.

Helmepõs Turingiæ, Brucken.

Herculanium, Campaniæ, nunc uastum omnino, propter Vesuuij incendium.

Hispellum, Vmbriæ, nunc (Spellẽ.

Hocheimum, diœcesis Maguntinensis.

Hoesta, eiusdẽ diœcesis, ustrunq; uino nobile.

Hunefeldũ, Hassiæ, quasi

Hunæ campus.

Ilmena, Turingiæ.

Interamnæ, Vmbriæ, nunc Terni.

Inutrium Rhetiæ, Mittenuualde

Isenacum, Turingiæ, Eisenach.

Itrum, Campaniæ. Hoc magno errore Lamuras nominat Blondus, & Horatij uersum ex Sermonibus malè & legit & intelligit.

Lamum, Latij, nunc Marinum.

Lansbergum, Bauariæ.

Lichtena, Alsatiæ.

Liternũ, Campaniæ, nunc uicus, uulgari lingua La patria. olim celebre oppidum, Scipionis exilio.

Lipsia, Misniæ, Leipzig. Hanc nõnulli recentiores Philyram uocant, à tilieto olim nominatã. Lipsiam descripserunt carmine Hermanus Buschius, & Ioan. Gigas.

Loretũ, Vmbriæ, templo Virginis frequentatum.

Luca, Hetruriæ libera.

Lucca, Misniæ, Sueuorum cæde nobilis.

Magunciacum, urbs episcopalis, Meintz.

Matilica Piceni, ita in uetusta inscriptione & antiquo Plinio, uulgo Matelica.

Matreio, Rhetiæ, Matran.

Milda, pagus Rhetiæ, in quo ducum Austriacorum imagines æneæ. Colossi. 20. statuæ 23. capita cum pectoribus 34

Minturnæ, opp. Campaniæ, Traietto.

Misenenses, uel Misnenses populi, die Meisner, à Mysis dicti, quos doctissimus uir Philippus Melanthon paucos ante dies Misenã ueniens, hoc elegantissimo carmine ad me scripto celebrauit:

Xãã

Χαῖρε πόλις, μυσῶν γενναίων κτίσμα, ἐν ὄχθαις
Αλβίδος, ἣ ἔθνος τοὔνομα μούνη ἔχεις.
Οὗ κλέος ἠδ' ἀρετὰς μάντεις ᾄδουσι παλαιοὶ,
Οἵτινες ἡρώων ἔργα λέγουσι καλὰ.
Χῖος ἀνὴρ ἔθνος μυσὸς ἀπέφηνε δίκαιον,
Καλλίστη δ' ἀρετῶν ἐστι δικαιοσύνη.
Μαρτυρέει τε καὶ ἐμπείρους πολέμοιο γενέσθαι,
Ξὺν ᾗ δικαιοσύνῃ καρτερία ἀγαθὸν.
Καί ποτε τῆς νηὸς μεγάλης ἡγούμενον ἀργοῦς,
Πόλλ' εὐποίησαν δεξάμενοι φιλικῶς.
Καὶ ᾗ βροτῶν φύσις ἐσθ' ἡ νῦν νωθρή τε σαθρή τε,
Σπέρμαθ' ὅμως ἀρετῶν τοῦτο γένος κατέχει.
Καὶ τάδε πρὸς, νῦν ἔλευξεν παιδεύματα μυσῶν,
Καὶ περὶ ἀψεύδη οἶδε θεοῦ διδαχὴν.
Σώζεσθ' οὖν λαὸν μυσῶν εὐχώμεθα πάντες,
Ος μάλα σπουδαίως ἤθεα σέμν' ἀγαπᾷ.
Νῦν ᾗ φιλοξενίην ἀσκῆσ' ἡμᾶς ἔτι δεῖξον,
Οἶνον καὶ λιαρὸν πέμπε τάχιστα φίλοις.

Quod carmen ita ſum conatus uertere:

Salue urbs magnanimûm Myſorum, quæ prope ripam
Albiacam gentis nomina ſola tenes.
Virtutes cuius priſci cecinere poetæ,
Quos iuuat heroo dicere magna pede.
Chius homo Myſos cultores prodidit eſſe
Iuſticiæ: qua nil pulcrius orbis habet.
Teſtaturq́; acres homines, belliq́; peritos:
Quantum ornant fortes pectora iuſta uiros.
Hæc gens Argoæ ductorem puppis amico
Accepit tractans comiter hoſpitio.

Ac licet in peius mutentur tempore mores,
Hæc uirtutis habet semina prisca tamen.
Præterea adiunxit Musarum dona, studetq;
Mandatis summi nunc sine fraude Dei.
Mysam igitur gentem cœlestia numina seruent,
Ingenuos mores quæ studiosa colit.
Nunc etiam hospitibus quàm sis ostende benigna,
Et uino exhilara pectora amica bono.

Monhemium, Rhetiæ, Monheim.
Mutuscæ, Vmbriæ, Treue.
Nariſci populi, die Vodlender, à prætore Romano, ut uolunt, dicti. Vodus autem nostra lingua tutorem significat, qui alit & defendit alium, tanquam pater.
Narnia Vmbriæ, Narni.
Neapolis, Campaniæ, olim Parthenope, Naples.
Neomarcha Rhetiæ, Neumarg.
Noricia urbs Sueuiæ imperialis, Vueiſſenburg.
Norimberga, imperialis, Nurnberg. cuius laudes descriptæ à Conrado Celte, & Eobano Hesſo, duobus clariſs. Germaniæ poetis.
Obersheimũ, Vangionũ.
Ocriculum, Vmbriæ, Vtriculi. (bruck.
Oenipons, Rhetiæ, Inſ
Oppenheimum, diœceſis Maguntinenſis.
Paberga, Franciæ episcopalis, Bamberg.
Parthanum Rhetiæ, Parthenkirch.
Patauiũ, Venetiæ, Padoa.
Pega, Miſniæ.
Peniga, Miſniæ, Penig.
Peruſia, Hetruriæ, Peroſa.
Piſaurum, Piceni, Peſaro, patria antiquiſsimi poetæ Accij.
Piſtoriũ, Hetruriæ, Piſtoia.
Pometia, Campaniæ, nunc Sueſſa.
Pompeij, Campaniæ, funditus

ditus sublati, Vesuuij in cendio.

Preneste, Latij, Peleſtrin, sine diphthõgo, ἀπὸ τῶν πρώνων, ut Seruius: uel quòd præstet mõtibus, ut Festus: uel à Preneste nepote Vlyßis, ut Solinus & Martianus. Florus à situ æstiuas delicias nominat.

Primolanũ, Rhetiæ.

Priuernum, Campaniæ, Biperna.

Puteoli, Campaniæ, Pozzuolo. Cicero nominauit pusillã Romã, propter frequentiam. & antiqui Delon minorẽ, ut legitur apud Festũ, propter mercaturã. In Sibyllinis, ἡ Δήλιος ἄδυτος, de hac urbe intelligendum.

Rastadiũ, Badẽsis ditionis.

Rauenna, Flaminiæ.

Rhodigium Æmiliæ, Robigo. (rarũ caput.

Roma, Latij & orbis ter-

Roncilionum, Hetruriæ.

Rosdorfium, uilla Haßiæ.

Rufiniana ad Rhenum, creditur Oppenheim.

Salurnum, arx in Alpib. Rheticis.

Salza, Turigiæ. (Seuerin.

Sanseuerinũ, Piceni, Sãto

Saxãgusta, arx Franciæ, Engenstein.

Saxa rubra, opp. Hetruriæ, nunc Monte rosso.

Saxenhusia, Francorum ad Mœnũ. q. d. domus uel sedes Saxonum.

Scala, inter aquam Pendẽtem et Boneconuentũ.

Scala, arx in Tridentinis Alpibus.

Scarparia in Apennino, plena fabris ferrarijs.

Scauli, uicus Campaniæ, producit cannas ex quibus fit saccarum.

Schonga Bauariæ, quasi pulchra tempe.

Sena Hetruriæ libera, Siena. (gaglia.

Senogallia, Piceni, Sene-

Sentina, Piceni, nunc uastus locus.

Sermoneta, Volſcorum.
Setia, Volſcorum, Sechi: unde uina Setina.
Sinueſſa, Campaniæ, propter ſerpentes non habitata.
Spina, Piceni, à Lucani uſque temporibus euerſa.
Spira, Nemetum, Speier.
Spoletum, Vmbriæ, Spoleti.
Steinachium, Rhetiæ.
Stena, Haßiæ.
Steinum, arx Turingiæ, Vicelebiorum
Stercingum Rhetiæ, uenas argenti habet.
Stolhofium, Badenſis ditionis.
Subacchum, Noricorum, cereuiſia nobile.
Sublauio Rhetiæ, fortaſſe nunc Brixina.
Sueſſa Campaniæ, Volſcorũ metropolis, ut Strabo: Hetruſcorum, ut Liuius.
Sueui, populi Germaniæ, die Schwaben.
Sutrium, Hetruriæ.
Tauriſum Venetiæ, Totiæ patria, Teruiſo.
Tibur Latij, uulgò Tioli, cuius ſeceſſu Horatius poeta delectatus. Conditum, ut Virgilius, à Tiburno: ut Horatius, à Catillo.
Treboci populi, nunc Alſatij, Elſaſſer.
Tres tabernæ, in Campania.
Tridentum, Rhetiæ, Trento, uel Trient.
Tripergula, Campaniæ, nunc terræmotu obruta.
Tuiſcones populi, à Tuiſcone rege, die Deutſchen.
Turingi populi, die Düringen.
Tuſculum Latij, nunc Freſcada.
Velitræ, Latij, Belitri.
Venetiæ, urbs in æſtuarijs maris Adriatici cõdita, Vineggia, Venedig, totius Europæ nunc Reip. fomæ ampliſſima. In Veneta

neta autem æſtuaria ui ginti flumina influunt.
Veſtini, populi Cãpaniæ.
Vetulonia, Hetruriæ.
Victoria terna, uilla Turingiæ, Dreifieg.
Viterbum, Hetruriæ, olim Longula, Vueiterb. Vide Rhenanũ in Germania.
Vmbri populi, il Ducato di Spoleti.
Vormatia, urbs Vangionum, Vuorms.
Vrbinates, olim Metaurenſes.
Vrbinum, Piceni.
Vuartburgum, arx Iſenacenſis, ſedes D. Eliſabethæ, & ueterum Turingiæ Landgrauiorũ, quæ uiribus Imperij ob ſeſſa capi non potuit.
Vueiſſenburgum, Rhetiæ ſecundæ, ubi apparent foſſæ Caroli Magni, quibus uoluit Rhenum et Danubiũ cõiungere.
Vuertheimũ, Haßiæ. (na.
Vulſinia, Hetruriæ, Bolſe-

FLVMINVM.

Æſacus Rhetiæ primæ, der Iſach.
Æſis Piceni, il Fiumeſin. antiquus terminus Galliæ & Italiæ.
Alba, Nemetum.
Albulæ aquæ, inter Romã & Tibur.
Alemanus, Sueuiæ, die Vueitmül. Hũc nõnulli Almonẽ uocãt, nõ rectè.
Almo, Latij.
Amaſenus, Volſcorum, il fiume de l' Abbatia.
Ambra, Rhetiæ, die Amber
Anio, Latij, l' Anien.
Arbia, Hetruriæ.
Argilla, Piceni.
Ariminũ, Piceni, Mariela ab hoc oppidum nomẽ habet.
Arnus, Hetruriæ.
Aſis Vmbriæ, l' Aſino.
Atheſis, Rhetiæ, die Etſch. ideo Rheticum amnem appellauimus.
Auſeris, Hetruriæ.
Baianæ thermæ, in Campania.

Bernicus Rhetiæ, die Bernitz.
Blandus Hetruriæ, prope Senam
Blaua Rhetiæ primæ, die Blau. alij Plauim, Blondus falso Anaxũ putat.
Chemnicium Miſniæ, die Kempnitz.
Chientus, Piceni.
Clinga, Turingiæ.
Clitumnus, Vmbriæ.
Cinclus, Rhetiæ Vindelicię, die Zinckel.
Cocherus, Bauariæ.
Cremera, Hetruriæ.
Crustumium Piceni, la Conchlia.
Bliſter Miſniæ, die Elſter, influens in Salam.
Bliſter, Luſatiæ, cognomẽto niger, in Albim.
Ella, Haßiæ.
Ellus, Alſatiæ, der Ill.
Elſa, Hetruriæ, ad cuius fontẽ quidquid in aquã mittitur, in lapidẽ durescit.
Era, Hetruriæ.
Eridanus Æmiliæ, il Pado, uel il Pò.
Fulda Haßiæ, die Fuld.
Gagnanus, Venetiæ.
Helba, Turingiæ.
Hieras Turingiæ, die Ihera
Holcha Alſatiæ.
Hormus Campaniæ, Strabo ni Hyphormus.
Horſela Turingiæ.
Huna Haßiæ.
Ilmus Turingiæ.
Ilmus Miſniæ.
Iſara Bauariæ, die Iſer.
Iſaurus Piceni, la Fioglia.
Iſter Sueuiæ, aliàs Danubius, die Dona.
Kintza Alſatiæ.
Kintziga Haßiæ.
Loiſſa Bauariæ.
Loſſa Turingiæ.
Lycus Rhetiæ, der Lech.
Lyris Campaniæ, Garigliano, Plinij temporibus Glanicus.
Magus Franciæ.
Medoacus Venetiæ, la Brenta.
Metaurus Piceni, il Metere.
Miſa Piceni, il Marotto.
Mœnus Frãciæ, der Mein.

Morys

Morychus Badenſis, die Morch.
Mulda Miſniæ.
Munio Hetruriæ.
Muſio Piceni.
Muſo Venetiæ
Nebia Piceni.
Neſſa Turingiæ. anno 1407 cùm omnes fluuij ſtetiſſent glacie, hic unus molendinis uſum præbuit.
Nida, diœceſis Maguntinenſis. (Teupia.
Nympheus Volſcorum, la
Oenus Rhetiæ, der Ihn.
Oraxi fontes calidi in Cãpania.
Oufens Campaniæ.
Padus Æmiliæ, il Po. Hũc Eridanum Græci, Abodingum Ligures, quaſi ſine fundo Gallica appellatione nominarũt, ut Polybius & Plinius annotarunt.
Paduſa Æmiliæ. Quidam putant dici Maſſanicũ.
Pegneſus Noricorum, die Pegnitz.
Peſa Hetruriæ.
Peßia Hetruriæ.
Phlegethon fons ardens, la Sulfutara.
Piſaurus Piceni, il Peſaro.
Pluuicus Venetiæ, il Pioui co, celebratus Bembi Dialogis.
Potentia Piceni, la Potẽza
Prila Hetruriæ.
Quadenna Piceni.
Radiantia Franciæ, Reginitz
Renga Alſatiæ.
Rhenus Germaniæ, der Rhein.
Rhenus Æmiliæ, il Rheno, qui fluit per Bononiã.
Rubicon Flaminiæ, il Runcon, terminus aliquando Galliæ & Italiæ.
Sauenna Æmiliæ, la Sapina.
Salza Turingiæ.
Sapis Piceni, il Sauio, Straboni & recentioribus Iſapis. Silius uerò libro VIII. Hos Æſis Sapiſq; lauant.
Seba Hetruriæ.

Sebethus

Sebethus, Campaniæ, il fiume de la Maddalena.
Silus, Venetiæ.
Stagia, Hetruriæ.
Steini, in arce fons salsus.
Stella, Hetruriæ.
Sula, Haßiæ.
Surrha, Alsatiæ.
Tuscæ thermæ, sunt Viterbenses et Senenses, quas ubertate aquarũ Baianis pares affirmat Strabo: salubritate Tibul.
Tinia, Vmbriæ, il Topino. Straboni Tenas.
Togisonus, Venetiæ, ex agris Patauinis, augens quoddam ostium Padi.
Tullia aqua, ad Puteolos, nunc obruta terræmotu.
Tibris, Latij.
Vatrenus, Hetruriæ.
Vella, Haßiæ.
Verra, Haßiæ.
Verrhestis, Latij.
Vinca, Badensis.
Vira, Misniæ.
Virdo, Rhetiæ, Vuertaba. alij Vindam nominãti: & à Vinda & Lyco Vindelicia dictam, autumat Peutingerus.
Visentius, Hetruriæ.
Vmbro, Hetruriæ.
Vnster, Turingiæ, Vnstruta, die Vnstrut.
Vnster, Haßiæ, die Vnstra.
Vrcius, Hetruriæ.
Vulturnus, Campaniæ, olim Nataronus. Plutarchus in Parallelis.

LACVVM.

Agnanus, Campaniæ. hunc alij Anium nominant, alij lacum Sudatorij: alij Anguinum, ab anguium multitudine.
Auernus, Campaniæ, il laco de Tripergola, inter Cumas & Puteolos.
Bentinus, Hetruriæ.
Coccherus, Bauariæ.
Ciminus, Hetruriæ, il laco de Vico, uel de Rusillo ni. fuit enim is uicus antiquitus, Rus Syllanum.
Cygneus, Turingiæ, der Schwanſehe.
Fundanus, Campaniæ, il laco di Fondi.

Leucius

Leucius, Turingiæ, Vueiſſenſehe.
Lucrinus, Campaniæ, in ſinu Baiano, nunc Mare mortuum.
Medoacus, in Alpib. Rheticis. der Brenta ſehe.
Pontinus, Campaniæ, nũc exſiccatus.
Thraſymenus, Hetruriæ, il laco de Peroſa.
Vadimonis, Hetruriæ, il laco de Viterbo. (Terni.
Velinº, Vmbriæ, il laco de
Vulſinenſis, Hetruriæ, il laco de Bolſena.

OSTIORVM, INſularum, portuum.

Arni, oſtium in Hetruria, uerſus Labronem, in mare Tyrrhenum.
Brundulum, oſtium Padi, ex Atheſi & Togiſono, in Adriaticum: uulgo Brondolo.
Calopſis, inſula Padi, iuxta Ferrariam, il Beluidere.
Capraſiæ, oſtium Padi, mangia Vaccha.
Capraria inſula Tyrrheni maris. Varro Capraſiam appellat.
Ceſenæ portus in Piceno, Ceſnadigo.
Corſica inſula maris Tyrrheni. (bij.
Donauerda, inſula Danu.
Euplœa, nunc Gaiola, inſula maris Tyrrheni inter Miſenũ & Neapolim.
Gorgonis, inſula maris Tyrrheni.
Gorum Padi oſtium, fortaſſe illud quod Plinio Sagis dicitur.
Ilua, maris Tyrrheni inſula, nunc Elba, metallo ferri nobilis.
Inarime, eiuſdem: nunc Iſchia: impoſita Typhœo, et uino celebris, quod Romæ uenditur.
Inſula natans, Hetruriæ, in lacu Vadimonis.
Labro, portus Piſarum, il Liburno.
Lycoſtoma, Lyci oſtium Ptolomæo, Lechſgemunde,

munde, inde Lycostomij Comites.

Medoaci portus, Malamoco, inter Venetias & fossam Clodiam.

Megaris insula, castellum Oui nunc nominata, à forma, inter Pausilypũ & Neapolim.

Metauri ostium, in mare Adriaticum, inter Fanum Fortunæ et Senogalliam.

Mœni ostium, in Rhenũ, e regione Maguntiaci.

Neapolitanus portus, multarum triremiũ capax.

Nesis insula maris Tyrrheni, nũc Nisita: inter Misenũ et Neapolim, antrum olim habuit pestiferũ, teste Lucano. Dicitur à quibusdam Cuniculariæ & fuit olim continens.

Nidæ ostium in Mœnum.

Oglasa, insula maris Tyrrheni.

Ostiensis portus à Claudio Imp. factus, à Gregorio Primo Pont. obrutus. Eius fundamẽta depicta uidimus apud Lazarum Bonamicum.

Pennata insula prope Misenum promontorium.

Philistinæ fossæ, ostium Padi, la Fossona.

Prochyta, insula Tyrrheni maris.

Spineticum, Padi ostium, Premiero.

Traiani portus, il porto de Ancona.

Tiberis ostium.

Volane, Padi ostium, cuius & Polybius meminit.

MONTIVM.

Albanus mõs Latij, in quo conditũ Tusculũ. alius ab Albano monte, ex quo ouantes imperatores in urbẽ introierunt.

Alpes, die Alben, distermi nantes Italiam à Germania.

Apenninus Hetruriæ.

Auentinus Latij, in quo cõditum Prenestæ. alius ab Auentino Romæ.

Cæcubus

Cæcubus Campaniæ, unde uinum Cæcubum.

Caietanum promõtorium Campaniæ.

Caleni colles, laudati uino. la montagna da Carinola.

Caſcus Miſniæ, prope Chẽnicium, der Catſchenberg: à uirginib. nomẽ habet, quas incolæ ueteri Sabinorũ lingua Caſcas nominant.

Cattorum montes, das Heſſiſch gebirg.

Ceſenatici montes, fertiles ſulphure.

Ciminus Hetruriæ.

Cimmera Piceni, promontorium Anconæ.

Circeium promontorium Campaniæ, nunc Circeglio, aut S. Felicitas.

Coccherus, Bauariæ.

Druſi moles Maguntiæ, der Eichelſtein.

Faliſcus Hetruriæ, monte Fiaſcon.

Feſulanus Hetruriæ, lapides plumbarios habet, qui exciſi breui tẽpore renaſcuntur: Boccati9.

Gaurus Campaniæ, uino nobilis, Puteolos Baiasq; proſpectans. Plinius lib. 14.

Horriſonus Turingiæ, der Horſelberg.

Iſidis mons, Iſenberg, in urbe Auguſtana.

Leucogæi colles Campaniæ: uulgo La lumera del ſulfo, à colore albi ſulphuris.

Maßicus mons, ſpectans ſinum Baianum & Puteolanum, nunc monte Marſo.

Mergillina promõtorium, pars Pauſilypi.

Miſenus, Campaniæ, qui habet ingentẽ cryptam et caſtella, quibus aqua ad uſum claßis fuit contenta. Eius topotheſiam ſcripſit Cicero.

Mõs Ferrariæ arte factus, ab Alphonſo principe.

Mons S. Martini prope Cirellũ in Alpibus, in quo uenatu

uenatu rupicaprarũ periclitatus est Maximilianus.

Mons ardẽs, inter Fidentiam & Bianorum, in Appenninis iugis.

Osenna, Hetruriæ.

Pausilypus, Cãpaniæ prope Neapolim, nunc il Posilipo, per quẽ crypta facta est mirando opere: quod Plinius Luculli, Strabo Cocceij opus esse perhibet. cum hoc facit quædam inscriptio: sed eruditi iudicabunt.

Petra pertusa, in Piceno, quam arte perfossam scribit Claudianus.

Priuernates cautes, ad Priuernum Volscorum.

Puteolanus mons nouus, qui terræmotu factus est in ingenti planicie. anno 1538. pridie Cal. Octob. nunc mõte Moderno.

Pyreneus in Alpibus Rheticis, der Prenner, cuius mentio in Græco epigrammate, quod citatur in Germania sua Rhenanus. Diuersus ab eo qui Galliam ab Hispania diuidit, qui appellatur der Ronciual.

Sebergus, Turingiæ, prope Strinum arcem, in quo urnæ inueniuntur.

Tifata montes, prope Capuam ueterem.

Tritolinus, inter Baias & Puteolos, mõs Saluea- tis: aliqui uolũt esse Massicum.

Vesuuius Campaniæ, regione portus Neapolitani. Nunc, La summa... duos uertices habet, et... craterem profundum.

TEMPE SILVA- rum, lucorum.

Ambræ, tempe Rhetiæ, Ambrigeu. Nam quod nos ein Auu appellam, Rheti ein geu nominãt.

Aurea, tẽpe Turingiæ, dies Guldẽ auu, propter fertilitatem, ad Vnstrum fluuium.

Arsie

Arsia silua, in Latio.

Capeni lucus, in Latio.

Delioli horti, prope Neapolim, Il pozo regale.

Feroniæ lucus Campaniæ, prope Taracinam.

Hermæ lucus, in Francia, Irmẽkirch: quasi dicas, Mercurij templũ. ἑρμῆς enim Mercurio est: inter Eisfeldũ et Saxãgustam.

Laborini campi, in Campania, terra di labuoro.

Lyci tempe Rhetiæ, das Lechfeld, prope Schõgã, dicta à pulchritudine illorũ tempe Schœngeuu.

Phlegræus campus, in Cãpania: à Romanis, Laborinus.

Sanguinei cãpi prope Perusiam ad lacum Thrasymenũ, à cæde Romanorum dicti.

Semana, pars siluæ Herciniæ, Dœringeruuald.

Sila, ut Seruius, silua est Lucaniæ: ut Sequester, Brutiorum. mentionem faciũt Cicero, Sallustius, Virgilius, exemplaribus ferè corruptis.

Sileta ad Minturnas, in Campania, quib. in locis siler copiosum nascitur: Cicero in Rullum.

Silua inter Lamum et Velitras in Campania.

Silua post Mulberbum in Trebocis.

Tiberinus campus Romæ, qui alio nomine Martius. Hodie à porta Flumentana ad Muluium pontem extenditur. nã pars eius intra mœnia ædificijs est occupata.

Vallis Pistorienſis Florentiam usq;, pulcherrima soli ubertate & ædificiorũ magnificẽtia. Hãc uallẽ Stellatem, à fluuio appellauit Cato. Sunt et cãpi Stellates in Cãpania, ab his diuersi.

Vallis Mugellana, in Apẽnino.

Velini rura, prope Interamnas.

FINIS.

GEORGIVS FABRICIVS Christophoro Leuschnero in Italiam eunti.

LEVSCHNERE, *Italicas qui migras hospes ad urbes,*
Hæc lege, nec segni mente reconde memor.
Oenotrij fugias ardentia munera Bacchi,
Sobria Aminæum temperet unda merum.
Non altè patinis extructis, plenaq; mensæ
Fercula Teutonicæ delicioſus ames.
Aſpera Sirenum frangentes pectora uoces,
Dulychij ſapiens more relinque ducis.
Adriacæ blandæ ſunt uultu & uoce puellæ:
His ſi credideris, poſtea nullus eris.
Nec Daphnea tibi circumibit tempora laurus,
Ni uites cupidæ furta proterua deæ.
Non colit illa Gnidum, non amplius illa Panormum,
Tota habitat Veneta mollis in urbe Venus.
Hanc quoq; dum uitas, alias uitare memento:
Serpit enim ex illa latius urbe malum.
Vni etiam & noto tua pectora crede ſodali,
Nec cole multiplices cautus amicitias.
Cumq; peregrinis quoniam tibi degitur æuum,
Æqua hominum mores diſcito mente pati.
Non inimicitias cum quoquam ſuſcipe: lauda,
Quod potes, & tacita cætera mente preme.
Nec ſtudia illorum ſtudijs tua præfer, in illis
Nam uult ingenio cedere nemo locis.
Erga omnes facilis ſis uerbis, credito paucis,
Deq; bonis ſtudijs ſit tibi ſermo frequens.

Inuenies

Inuenies medijs doctos concurrere uicis:
Certamen laudis porticus omnis habet.
Nec solet hîc iuuenum de nugis dicere turba,
Dum studet ingenio uincere quisq; suo.
Quos cernes alacres de summa surgere nocte,
Assiduosq; suis inuigilare libris.
Et sunt, optatæ dum quærunt præmia palmæ,
Ante suam miseri qui cecidere diem.
Barbarus hîc mos est: strepitu & clamore cathedris
Pellere, Musarum qui sacra dona ferunt.
Hunc fuge: nec secus ac caros uenerare parentes,
Doctrina quorum cultior esse potes.
Hæc memoranda tibi, qui laudis amore teneris,
Et cupis in patriam dulce referre decus.
Tum quoq;. cùm feruent Nemeæi signa leonis,
Et micat Icarij Siria stella canis:
Ne tibi sit campos demens lustrare cupido,
Aut etiam longas carpere uelle uias.
Hæc nocuit Cordo, Borragineoq;, uoluptas,
Cùm foret Aonio dignus uterq; choro.
Hunc diues Lubeca, illum Simesusia paruâ
Iactat, hic in patria primus, & ille sua.
Norat Apollineas hic herbas, norat & ille:
Sed non herba feram sustulit ulla luem.
Huius enim ostentat iam docta Bononia marmor,
Illius at cineres Romula terra tegit.
Ausonias quòd si uis latius ire per oras,
In primis cauto noueris ire gradu.
Hospes ab hoste tenet quia nomina, quærere plura
Noli: blanditijs neu capiare, caue.

Hæc, quæ uoce licet nostra Leuschnere monere,
Perlege: fortunæ cætera mando tuæ.

INDEX RERVM MEMORAbilium, quæ poni in appellationib. locorum non potuerunt.

Academiæ,
- Bononiensis 41
- Erfordana 52
- Ferrariensis 42
- Lipsiensis 54
- Moguntina 61
- Patauina 43
- Perusina 13
- Pisana 36
- Senensis 35

Accius poeta Pisaurẽsis. 11
Adolphus et Albertꝰ Imp. à Friderico Marchione Misnensi uicti sunt 55
Ædificia subterranea Romæ 16
Æneæ bellum contra Laurentes 41
Agri fertiles,
- Bocenus 45
- Campanus 29
- Falernus 30.34
- Patauinus 43
- Pegensis 54
- Turingus 52
- Velinus 15

Alemani 49
Amphitheatrum Romanum 16 (20
Anchises fulgure afflatus
Anconam instaurauit Paulus Tertius 12
Ancus cõdidit Ostiam 31
Anienis cataractæ 32
Antiphates 30
Antra lethalia, in Neside insula 22. in Sudatorio magno 23. in monte prope paludem Agnanam 27
Antrum Sibyllæ 24
Apenninicolæ inhospitales 40
Aponus uicus Venetiæ 35
Aquæductus
- Augustanus 48

Minture

Minturnenſis 19
Romani 16.17
Aqua Tullia 26
Arces,
Baiarum 22
Beichlingum 52
Coburgenſis 51
Erfordenſis 52
Florentina 39
Neapolitana 27
Salurnum 45
Saxanguſta 51
Steinum Vicelebiorum 52.53.56
Tridentina 44
Arcus triũphales Rom. 16
Arimini, uictis Liburnis, Diocletiani 11
Argentoratum ſedes doctrinæ 63
Arundiferum flumen 41
Aſparagus herba 22
Aſylum Ferrarienſe 42
Atellanæ Comœdiæ 29
Athenis multæ Mercurij ſtatuæ 51
Auaricia ſacerdotum finxit miracula 46.47
Auentinus mons Romæ 16 & eiuſdẽ nominis Preneſte 31
Auguſti Cæſaris patria 17
Auguſtæ claßis ſtatio ad Miſenum 22. Auguſtus. Peruſinas portas fecit 14

B

Baiarũ deliciæ 22.23. Baianæ thermæ corruptæ incẽdio 26. Baianarum aquarum ſalubritas 23. Baiani ſinus ruinæ 23
Baptiſterium Piſanum 36
Baſtarnæ uicti à Plautio 32
Beichlingũ Verterorũ ab Heinrico IIII dirutum 53. Saxoniæ duodecim uiri ſedes. ibid. cõmodo loco ſitum. ibid.
Bellum Friderici Marchionis Miſnẽſis cõtra Adolphum Cæſarem 55. Ruperti Cæſaris cõtra Marchionẽ Badẽſem 62. Vngarorũ contra Germanos 48
Berengarij exilium 50
Bianorũ à quo conditum 40.41
Bibliothecæ,

Augustana 48
Florentina 39
Lipsensis 54
Vrbinas 11
Boccatij patria Certaldũ 35.36
Borragineus Hieronymus Lubecensis 83
Brachium Rheni 61
Bruti fortitudo 20
Burbonij sepulchrum 31

C

Cæsar contra Gallũ 60.
contra Sicambrũ 27.
nomina nactus ex deuictis regnis 60
Camilla Amazonis 17
Campania beata 21
Campus Elidis 48
Laborinus 30
Lyci 48
Pontinus 17
Spirẽsis paludosus 62
Tiberinus 48
Campus sanctus Pisis 36
Cannæ ex quibus saccarum in Campania 19.
30 in Sicilia 19
Capeni luci 33 (30
Capua uetus et noua 29.
Carolus Magnus Rhenũ & Danubium coniungere uoluit 49
Carrarienses principes Patauij 43
Castellum, uicus ad Mœnum, ubi antiquitates effodiuntur 60
Catones è Tusculo oriundi 31
Catonum integritas 20
Centum camarellæ 22
Charta Valeriana 13
Chariessa nympha 47
Chemnicium à Lothario conditum 55
Cicero Demosthenis imitator 19
Ciceronis tria prædia,
Formianum 19
Puteolanum 26
Tusculanum 31
Cimmerij in tenebris uiuentes 24
Circe 18.47 fabula explicata 18
Citria Fundana ibid.
Clades Fabiorũ 33. Hasdrubalis 12. Vari 48
Claustra lacus Lucrini 23

Clodij

Clodij incestus 15
Colles Romani 16. Colles utiferi 30.60. Collis mirabilis Mogũtiæ 61
Colossi Romani 16. æneus ducũ Austriæ in Milda pago 46
Columnæ artifices Romæ, Antonini et Traiani. 16
Comites Beichlingẽses. 53. Lycostomij 49
congressus Caroli & Ferdinandi in Alpibus. 46
Cõtra luxũ theatrorũ 61. 19.29. sacerdotũ. 49.61
Cordus Valerius 83
Costa marini piscis 12
Crater montis Puteolani 25. Vesuuij 28
Cripta Gaiola. 21 Pausily pi. 21. in Miseno 22
Crocus in Germania nascitur, in Misnia 54. in Turingia 57
Cuniculi in Neside 22
Cyllarus Castoris equus. 15
Cynthia Propertij amica. 15

D

Danubij ortus et spacium. 48. 49. terminus olim Romani Imperij ibid.
Daphne 35
Dedo comes Rochlicius. 57. idem D. Elizabethæ proauus ibid.
Delioli horti à Gallis uastati 28
Delos minor 26
Dicemanus Misenensium princeps 54. cæsus Lipsiæ ibid. Latinũ & Hetruscum sepulchrũ habet ibid.

Doctorum uirorum nomina:

Andreæ Vesalij 55
Augustini Niphi 30
Casp. Borneri 54
Conradi Celtis 50
Eobani Hessi ibid.
Georgij Agricolæ 55
Georgij Helti 50
Iacobi Micylli 59
Ioachimi Camerarij 50
Ioannis Stigelij 52
Ioannis Sturmij 63
Lazari Bonamici 44
Ludouici Cœlij 43
Petri Victorij 39

Strozarum, Herculis et Vespasiani 42. 43

E

D. Elizabetha, Turingiæ Landgrauij uxor 57
Elsa cũ nullo fluuio miscetur 36. apud fontem lapideſcit, quicquid immittitur. ibid.
Erfordia diſcordiarũ plena 52
Errores uulgi, qui nomina corrupit 14. eorũ qui Almonẽ intra urbẽ in Tiberim labi ſcribunt 16. eorũ q Varũ in cãpo Lyci occiſum 48
Eumelis nympha 47

F

Fabricij periculum 12. 55
Faliſci linum geſtarunt 34
Factiones Italicæ Piſtorij cœperunt 38
Faſti Stigelij 51. 52
Ferdinandi Neap. regis uictoria 27
Feſulæ ab Atlante conditæ 40
Feſulæ interierunt. ibid.
Florentiæ palatia magnifica. ibid. ſacellum 38
Flumina in riuos mutata. Cremera 33. Xãthus. ib.
Fons aquæ dulcis in mari. 21. ſalſus Steini 53. bituminoſus & ſulphuroſus 26. deductus in altã turrim 48
Fons Lanſbergi 47
Forum Vulcanium 25
Foſſa Caroli magni 49
Foſſæ Preneſtinæ 32
Frãcfordiæ eligitur Cæſar 59
Franci à Turingis uicti 51
Fridericus Barbaroſſa Pataulnã Academiã fundauit 43. idẽ ab Henricho Saxoniæ duce ſupplex cõtẽptus 47. filius eius à Bononiẽſibus captus 41
Frobergũ incenſum 55
Fulgur mirificum 20
Fundanum uinũ cõtra nauſeam 18. 19

G

Galli à mulieribus cæſi apud Itrum 19
Germani bellicoſi 61. paucos habuerũt hiſtoricos. cod.

eod. nũc sunt cultiores. b.
Germanica natio Bononiæ 41. coluerũt Isidem 57. Mercurium 51
Gigantum pugna 25
Glycere nympha 47
Glycyrrhiza radix Paberge 50
Gothicus furor 13. 31
Græca puella occæcãs adolescentes blanditijs 18
Gregorius primus Pöt. portũ Ostiẽsem destruxit 31
Grimana porta Lipsiæ 54

H

Helmæ põs Vuertérorũ 56
Heinricus tertius Imp. Pabergensem fundauit Ecclesiam 50
Henricus quartus euertit Beichlingum 52. 53
Henricus VI. in Eucharistia ueneno necatus à monacho 35
Hẽricus Leo dux Saxoniæ Fridericum Imp. sibi supplicem contempsit 47
Herculis pugna cõtra Gigãtes 25. claua è solo extracta Ciminũ lacum fecit 33
Heßiæ ager sterilis 58
Hetrusci uicti ad lacũ Vadimonis 33
Hirundinum nexus in lacu reperiuntur 27
Horti præclari, Augustani consulis 48
Ciceröis in Puteolano 25
Delioli 28
Ferrariæ principis 42
Neapolitani 28. ad Romam sub Gauro monte 20. Tiburtini 32
Hospes impostor 47
Hospita ebria 49. imperiosa 14

I

Illyrij uicti à Plautio 32
Imprecatio in Turcas 29
Incendium Puteolanũ 24
Vesuuij 29. Incendia uberiores terras faciũt 26
Insula in continentem 18
Iole 35
Isatis herba 57
Isis à Germanis culta 48
Iulij Cæsaris impietas 11
Iulium opus 23
Iupiter decepit Danaen au-

ri ſpecie 38. Europam tauri 35

L

Læſtrygones 19.30
Lagenæ ſulphureæ 26
Latebræ piratarum 22
Legum auctores inuiſi im probis 41
Leonora Vrbinatis ducis uxor 11
Liburni uicti à Diocletiano ibid.
Lipſiæ laus 54
Lithoſtrotum Preneſtinũ 32.35. Senenſe ibid.
Liuij hiſtorici patria 43
Loca Puteolano incendio corrupta 26
Locorum antiqua nomina ignota 45
Lotharius Imp. Saxonicus 53
Luca Hetruriæ latis ſilicibus ſtrata 37
Lucca Miſenæ prælio nobilis 55
Lyris ſulphurei coloris 20

M

Magunciacũ unde nomen habeat 60
Mammea Seueri Imp. uxor 32. de ſuo nomine pontem fecit. ibid.
Mare Adriaticum 9. & 12. mortuum 22. Tyrrhenũ 31. uel Tuſciũ 18
Marica nympha 20
Marij cædes 32. latebræ 19
Marmorei poſtes Rauennæ 10
Maximiliani periculũ in uenatione 46
Medicea familia de literis optimè merita 39
Megarenſes comœdiæ 29
Metalla Feſularum 40. Ilmenæ 51. Stercingi 45. Sauci. ibid.
Meureri periculum 10
Miraculum Sehefeldi 46
Mons perfoſſus in Campania 21. arte congeſtus Ferrariæ 42
Morborum effigies ad Baias 23
Muli barbati 21

N

Narnia montoſa 15
Narſes eunuchus ibid.

N Nauale Venetum 9
N Neapolis caput Campaniæ 21. portus 27. auctum pomœriũ 28. 29
N Nebulæ in Veseuo 29. Oeniponti 46
N Neronis piscina 22
N Noriberga bene constituta 49
N Nympheũ Bernardi Martyrani 28

O

O Oenus cum Æneа iunxit arma socia 40.41
O Oeni pons infestatur nebulis 46
O Olei ferax Vulsinia 34. Mutuscæ 14
O Ollæ in Sebergo 53
O Ortus Eridani 42
O Ostlandia pars Misenæ 53

P

P Paberga unde dicta 50
P Palatium Spoletanum à quo ædificatum 15. Patauinum 43. Florentinum 39
P Palus uitã restituens exanimatis animantib. 27
P Parthenope olim, Neapolis 21. 27
Patauium triplicem habet murum 43
Patulcis Nympha 21
Pegasus equus 15.35
Pegensis agri fertilitas 54
Perusia turrita 14. afflicta à Paulo Tertio ibid.
Phaethon in Eridano mersus 42
Pisæ à Pelope conditæ 36. seruiunt Florẽtinis. ib.
Placidea Galla 10
plumbũ in Fesularũ monte renascens 40
Pontes,
Antonini super Vulturnum 30
Argentoratensis 63
Ariminensis 11
Caligulæ per mare 26
Eræ 36
Lucanus super Anienem 32
Mammæus, super eundem 32
Super Metaurum 12
Super Prilam 34
Pontificũ Romanorũ imagines 35

Portæ

Portæ Perusinæ 14
Prenestæ unde dictũ 31
Principes,
Alphõsus Ferrariẽsis. 42
Cosmus Florentinus 39
Dedo Misniæ 53
Dicemanus Misniæ 54
Frãciscus Maria Vrbinas 11
Fridericus Fortis Misniæ & Turingiæ 55
Fridericus Strenuus 51
Hercules Ferrarienses. 42. 54
Mauricius Saxoniæ 54
Thimo Misniæ 53
Prognostica tẽpestatis. 20
Promontoriũ Caietæ fissum 30
Propertius poeta 15
Prouerbia: Cælũ ruit 40. Littore & aere inculatius. 30. Rumore secundo 27. 36
puellæ stuprum punitũ. 10
puellæ pulchræ Caietæ. 30
Senis 35
pumices electi incẽdio Puteolano 24. 25
Puteolani unde dicti 26
Pyramides 16. 32
Pyreneus mons in Alpibus 45

Q

Quæ barbaræ nationes infestarint Italiam 31
Querela Christi 59
Querelæ de hospitibus. 18. 34. 35. 40. 51

R

Rhodigium in Isthmo positum 42. 43
riuus Cremera ex fluuio factus 33
rosaria Senensia 35
rota Fuldensis 58
Ruinæ theatri Tarracinæ 18. turris Faberiana 13. Puteolani oppidi 26. Baianæ. 23. Romanæ. 15
Rupertus Cæsar Badẽsem Marchionem cæpit. 62
Rusticorum tumultus 51

S

Salacia nympha 23
Salinæ Ceruiæ 10
Salus dea 23
Scala arx una uia aditur in Alpib. Rheticis 44
Scala uilla in Apẽnino. 34
Scar-

Scarparia plena fabrorũ 40
Scipio Africanus exul 20
Scipionũ gloria ibid.
Scrobes Caroneæ 27
Scythæ uicti 32
Senensium humanitas 35
Sepulchra uariorum,
Ælij Hadriani 25.26
Burbonij ducis 31
Dantis Florentini 10
Dicemani 54
Drusi 60
Episcopi Tridentini. 44.45
Gallæ Placidiæ 10
Henrici II. Imperatoris filij 41. 42
Othonis III. Imp. 48
Virgilij 21
Sexti Alexandri iniuria et incestus 17
Sileta ad Minturnas 19
Sinuessa inculta 30
Spira unde dicta 62. Spiræ sex Cæsares sepulti. eod. iudicium imperiale ibid.
Statua equestris Herculis Ferrariæ principis 42
Strozæ Florentini exulaerunt Ferrariæ ibid.
Sublauio oppidum 45
Sudatorium ingens 23
Sueui libertatis olim studiosi. 49. Pannones fuderunt. 48. à Misenensibus uicti sunt 55. frameis usi 49. 57
Sulphur Cesenaticum 10. Leucogæorum collium in Campania 26
Superbia uitanda 47

T

Taburnus mons 26
Tecta aurata Erfordiæ 52. Oeniponti 46
Templa recentia diuorũ,
Erfordense 52
Florentinum 38
Francisci Assij 14
Gehulfi 58
Mariæ Lauretanæ 14
Pisanum 36
Senense 35
Spoletanum 15
Vetera in alios usus mutata 22
Apollinis, prope Baias 26
Aug. Cæsaris Puteolis. ib.

Ca-

Castoris & Pollucis Neapoli 27
Concordiæ Spoleti 15
Fortunæ Fani 12. item Preneste 31
Hebonis Neapoli 27
Isidis Capuæ 30. item Augustæ 48
Iunonis Tiburi 32
Mercurij in Francis 51
Neptuni prope Baias 22
Pacis Romæ 16
Pantheum Romæ. ibid.
Sibyllæ Tiburi 32
Terræmotus Mugellanæ uallis in Hetruria 40
Puteolanus in Campania 26

Theatra,

Capuanum 29
Minturnense 19
Puteolanum 26
Romanũ, nũc Colosseũ 16
Tarracinum 18
Tripergolanum 25

Thermæ,

Romanæ 16
Baianæ 23
Euganeæ 35
Senenses. ibid.
Viterbenses 34
Theodericus rex Gothorum Rauennam ornauit 10. Spoletanum palatium extruxit 15
Theodosius Imp. Bononiẽsem fundauit Academiam 41
Tibris leniter fluit 13
Tiburtina saxa 32
Tophi in Helba fluuiolo. 56 ad montem nouum Puteolanum 24
Totilæ patria Taruisium, 44
Tripergola incendio obruta 25
Triumphus de Sutrio 33
Turingica simplicitas 52

Turres,

Argentoratensis 63
Faberiana 13
Florentina 38
Pharea Pisis. ibid.
Pisana pendula 36
Veneta 9
Tusculani monachi Græco ritu sacrificant 31
Tusculum fauit Friderico Barbarossæ 31. à Romanis

nis deletum. ibid.

V

Venetiarum magnificentia 9
Vesevus mons fertilis 28
Vetulonia à Lydis cõdita 33.34

Viæ,

Acerrana 28
Appia 19.30
Ferentina 16
Flaminia 15
Herculea 23
Latina 16

Villæ,

Florentinæ 38
Hadriani 31
Luculli 21
Martyrani Leucopetrea 82
Vrbinatis ducis 11

Vina,

Cæcubum 18
Calenum 30
Cesenaticum 10
Falernum 30
Faliscum 34
Fundanum 18
Massicum 26
Setinum 17
Spoletanum 15
Vipertus dux Ostrolandiæ 53.54
Viterbum Germanicam habet etymologiam 33
Vnster Hessicus 58
Vnster Turingicus. ibid. & 56
Vrbes euersæ:
Bauli 23. Capua uetus 29. Fesulæ 40. Herculaniũ 29. Pompeij. ib. Sentina. 13. Spina 10. Tripergola 25. Vetulonia. 33.34.

Vrbium conditores:

Anconæ, Syracusani 13
Arimini, socij Herculis 11
Augustæ, Rheti 48
Baiarũ, socius Vlyssis 22
Caietæ, Æneas 19
Capuæ, Capys Troianꝰ 29
Chemnicij, Lotharius Imp. 55
Fesularum, Atlas 40
Formiarum, Lacones 19
Ostiæ, Ancus 31
Pisarum, Pelops 36
Prenestæ, Cæculus 31
Puteolorum, Samij 26

Ricinæ,

Ricinæ, Ælius Imp. 13
Senogalliæ, Senones 12
Tiburis, Tiburtus 32
Tusculi, Telegonus 31
Vetuloniæ, Lydi 33.34

X

Xenodochea,
Florentinum 39
Augustanũ Fuggarorũ 48
Senense 35

FINIS.

GEORGII
FABRICII CHEMNICENSIS,

ROMA.

ANTIQVITATVM LIBRI
Duo: ex ære, marmoribus, membranis ue ueteribus collecti, ab eodem.

ITINERVM LIB. I.

Auctiora omnia, cum Rerum & uerborum in omnibus hisce memorabiliũ Indicibus.

BASILEÆ, PER IOannem Oporinum.

GEORGIVS FAB. CIVS CHEMNICENSIS VOLFGANGO VVERtero, uiro claro & docto, Theodorici Equitis & Iureconsulti filio, S. D. P.



ALLVSTIVS, scriptor in primis nobilis, in Carthaginis mẽtionem incidẽs, de ea silere melius putat, quàm parũ dicere. idẽ multo iustius, de urbe Roma, non Carthaginis solùm sed orbis terrarum uictrice, scripturus, nunc ego dicerẽ: præsertim cùm multorũ hominum, eorumq; doctorum, sermones mihi subeundos esse intelligã. Aliqui enim hoc totum scribendi genus tanquam inutile improbant: aliqui uerò tot de Vrbe monumentis, nostra patrumq; memoria editis, condemnant, quasi minimè necessarium. obstat mihi præterea gentis & patriæ nomẽ, quòd homo Germanus, & in Hermunduris

natus, post tot uiros in literis claros, de urbe uetustissima & remotissima scribere audeam. Itaq; illi, qui non me solùm reprehendunt, sed alios etiam accusant, in hoc genere studij literarũq; uersatos: scribendi operam atq; industriam, in tradenda morum & bene uiuendi doctrina rectius, quàm in his, similibus ue rebus, collocari posse existimant. Nam aut lacum Seruilium ignorare, aut Turbonem pugilem nescire, aut tempora quibus Vrbs opibus aucta, uel diminuta uiribus sit, non tenere memoria: minus malum esse, quàm aut errare in uita, aut labi in officio, aut peccare in Rep. Hi cùm uiri boni sint, & cupidi honestatis, credo eosdem ueritatis quoq; esse studiosos. Atqui hominis animus rectè constitutus, cùm & actionibus uirtutis delectetur, & rerum fruatur scientia: utrumq; certè, & uirtutis præscripto uiuere, & res cognitione dignas inuestigare, uerum eius & proprium munus est, licet altero alterum habeatur præstantius. Bene igitur ho-

tur hominis excellentiam cùm bonis moribus, tum eruditionis elegantia sapientes metiuntur. Quamobrem & Aglaus Psophidius Arcas, qui in uita sua nihil præter agrum coluit: & Socrates Athenien̄sis, summus doctrina & sapientia philosophus, felices olim Apollinis oraculo uterq; sunt iudicati. Qua de causa ne nos quidem ita alterā præferamus, ut de altera detrahamus cum dedecore & incommodo. Vt autem ciuitatum magnarum, ex quibus mortalium omnium iudicio Roma maxima fuit, instituta, leges, mores, actiones libenter cognoscimus: ita ortum, incrementa, fortunam, ruinasq; scire desideramus, & loca ipsa muta cum admiratione intuemur: illud utile & necessarium est, hoc à liberali animo atq; ingenio nequaquam alienum. Tolle enim eiusmodi delectationis studiū: & omnis antiquitatis noticiam, & pulcherrimorum exemplorum copiam, & suauissimum artium disciplinarumq; fructum sustuleris: & hæc ciuilis societas

ferarũ numero a multitudini, quàm hominum congregationi erit similior. Meritò igitur gratia habenda illis, qui Vrbis potẽtissimæ & nobilissimæ memoriã passi non sunt interire: sed quicquid uel ex ueterũ scriptis discere, uel ex ruderibus colligere, uel uestigijs qualibuscunq; potuerunt deprehendere, id fidelibus literarum monumentis commendarunt. Quorum libros, cùm nondum uisa Vrbe admirarer, & bonos auctores legenti utiles & iucundos esse animaduerterem: tum in Vrbem ipsam tecum profectus Vuertere, magna (ut scis) cura diligentiaq; conquisiui atque perlegi, ut eos communi studio, & labore mutuo cum rebus ipsis præsentes conferremus: quod cùm totos quinque menses sine intermissione à nobis ageretur, non pauca uel neglecta ab alijs, uel non satis animaduersa, obseruatu tamen & scitu digna, annotauimus. Ea autem in id tantummodo comparaueramus, ut nobis profectionis susceptæ, & ocij nostri ratio con-

tio constaret. Nuper uerò cùm Casp. Peucerus, Melanthonis gener, doctus in primis uir, & philosophiæ deditus, ad me ueniret, & de Vrbe cum uiris aliquot eruditis loquentem auidè auscultaret: rogauit tandem, ut aliorum quoque studijs mea opera, si placeret, & ocium esset, consulerẽ. Quod cùm ille humaniter, ut solet, peteret, & uultu ipso significationem suę uoluntatis daret, ut quæ obseruaram rursus colligerem, facilè mihi non abhorrenti persuasit. Nouo igitur labore suscepto, ea cũ scriptis poetarum & historicorum maiore cura & attentione contuli: qua ratione cùm alij ante me Vrbem iam dirutam, quasi à fundamentis instaurarint, eorundem uestigijs institi. in quo proposito & ordinem rebus ipsis congruentem seruaui, & locos nõ paucos in Græcis Latinisq; scriptoribus illustraui. Propositi enim mei hæc summa fuit, ut ijs prodessem, qui historias ueteres legerent, & poetarum libellos in manibus haberent: unde & pluribus

testimoniis ipsorum utor: & ubi omissiores fuerunt interpretes, præcipuè recentiores, locos ipsos explico. Hoc quoniam publicæ utilitatis gratia factum à me est, bonam in spem uenio, me studiosis hominibus, & æquis lectoribus probaturum consilium & institutum meum, quòd ipse post plures alios ad hanc scribendi materiam, animum adiunxerim. Ignoscent autem ij quos patriæ nomen offendit, hospiti mihi atque extero, si quid minus in rebus uetustate planè obrutis uidi: aut si in ijs etiã quæ ante oculos sunt, parum Lynceus fui. hoc enim, quamuis arrogantiusculum sit, quia tamen uerũ est, dicam: me posse aliorum, qui de Vrbe nuper scripserunt, errores uarios certis ueterum scriptorum testimoniis conuincere. Syracusani certè olim, cùm indagatum sepulchrũ Archimedis ostendisset ipsis Cicero, non ideo iniqui aut ingrati ei fuerunt, quòd peregrinus esset, & Arpinas: neque mihi, si quid laudis Vrbi, aut studiosis commodi sum adferre

adferre conatus, ob[illegible]sse debet, quòd
sim Hermundurus: præsertim cùm exi
stimatione nullius læsa, simpliciter ex-
posuerim meã uel opinionem, uel sen-
tentiam. Primùm enim, ueterũ aucto-
ritate nitor, in notandis aut explican-
dis locis: deinde non solùm recentio-
rum libris, quibus adiutus plurimùm
sum, uerumetiã demonstratione Mar-
liani, qui diligentissimè omnium scri-
psit, hanc, qualiscunq; est, Vrbis cogni
tionem sum consecutus: cuius domum
cùm adiremus, situm montium nobis
indicauit ex Capitolio: & ad uiarum,
quæ in Vrbe sunt, initia nos perduxit:
& aliquoties apud Salamancã & Tra-
mezinum, nostram sententiam audire
uisus est perhumaniter. Hos labores
nostros tibi dedico Vuertere, & homi
ni amico, quo nomine omnia consue-
tudinis, fidei, beneuolentiæ officia con
tinentur: & uiro docto, qui hęc eadem
cognouisti magna cupiditate, studio,
industria. Quamobrẽ quædam ex his
tua recognosces: & multa agnoscet

Volfgangus Meürerus, philosophiæ scientia, elegantia literarum, cognitione antiquitatis uir celeberrimus, eius tẽporis socius, & comes studiorũ atq; itinerum nostrorũ. Optarim autẽ plurimos ex tuo Vuertere ordine, uiros splẽdidos & copiosos, ad euehẽda optimarum artiũ studia, cũ multorũ hominum fructu, & ipsorũ maxima laude atq; uerissima gloria excitari. Res enim humanæ cũm nihil firmi habeãt, nihil possideant diuturni, sola uirtutis & literarũ laus est æterna: imò ne uirtutis quidem, absq; literis. Exemplũ illustre est, & erit sempiternũ, Vrbs ipsa: cui alijs ornamẽtis omnibus aut ab hominib. detractis, aut uetustate & calamitate tẽporũ amissis, hæc sola reliqua manserunt, quæ conseruarũt doctorũ uirorũ ingenia: quæ quando uigent atque in precio sunt, ea tempora omnium iudicio habentur felicissima. Vale, & me ama. E' ludo illustri Misenæ Hermunduorum, Calend. Iulij. Anno nati Christi M.D.L.

VRBIS ROMAE RVINA.

Epigramma antiquum.

Vrbs cecidit: de qua si dignum dicere quicquam
Moliar, hoc potero dicere, Roma fuit.
Non tamen annorum series, non flamma, nec ensis,
Aeternum potuere hoc abolere decus.
Cura hominum potuit tantam componere Romam,
Quantam non potuit soluere cura Deum.
Confer opes, marmorq; nouum, superumq; fauorem,
Artificum uigilent in noua facta manus:
Non tamen aut fieri par stanti machina muro,
Aut instaurari sola ruina potest.
Tantum restat adhuc, tantum ruit: ut neq; stans pars
Aequari possit, diruta nec refici.
Hic superum formas superi mirantur, & ipsi
Se cupiunt fictis uultibus esse pares.

Lazarus Bonamicus.

Vos operum stratæ moles, collesq; superbi,
Quis modò nunc Romæ nomen inane manet:
Vosq; triumphales arcus, cœloq; colossi:
Aequati, Parijs cæsa columna tuis:
Edita Pyramidum fastigia, templa deorum,
Digna uel æthereis Amphitheatra locis:
Vos æui tandem attriuit longinqua uetustas,
Vos longa tandem fata tulere die.
At Romæ, Aeneadûm magnũ & memorabile nomen,
Tempus edax rerum tollere non potuit:
Nec poterit, donec clari monumenta uigebunt
Ingenij, quæ non ulla senecta rapit.
Cætera labuntur tacito fugientia cursu,
Calliope æternùm uiuere sola potest.

Capita

CAPITA HVIVS LIBRI.

I. De auctoribus, qui de Roma scripserunt.
II. De situ, & ambitu, item de gloria atque interitu urbis.
III. De mõtibus, à quibus Vrbi additi, quæ loca adiacentia habeant, quot nominibus, & unde sint appellati.
IIII. De portis ueteris nouæq; Vrbis, et quàm uarijs nominibus eædem appellatæ.
V. De uijs intra Vrbem & extra mœnia, item de cluis in urbe.
VI. De regionibus & tribubus.
VII. De foris, ad splendorem Vrbis, & hominum necessitatem factis.
VIII. De campis.
IX. De templis gentilium in templa Sanctorum mutatis.
X. De templis sacellisq; ueteribus, quæ ab alijs omissa sunt.
XI. De domibus quorundam doctorum.
XII. De theatris, circis, odeis, stadio, xysto: item de factionibus aurigantium.
XIII. De Curijs, Senaculis, Basilicis.
XIIII. De porticibus.
XV. De arcubus triũphalibus, & trophæis.

De Tiberi,

XVI. De Tiberi, & fluuijs Vrbis, & de ornamentis fontium, ac naumachijs.
XVII. De pontibus Tiberinis.
XVIII. De aquæductibus, quorum ueſtigia nũc ſciuntur extare.
XIX. De balneis & nympheis.
XX. De thermis.
XXI. De locis ſepulchrorum, & de ſepulchris quibuſdam inſignibus: item de ſepulchrorum ornamentis, ac conditarum urnarum ratione.
XXII. De ijs quæ nunc in Vrbe ſunt præcipuè uiſenda.
XXIII. De templis Sanctorum, cum ſelectis aliquot recentibus Epitaphiis.

AVCTORES VETERES ET noui, quorum inuentis & testimonijs uel ad confirmandum, uel ad explicandum utor.

Abdias
Ado Viennensis
Aemilius Probus
Albertinus
Allifanæ inscriptiones
Am. Marcellinus
Appianus
Arrianus
Asconius
Athenienſis inscriptio
Atticus
Augustinus
Aurelianus Imp.
Ausonius
Auximi inscriptio.
Baptista Leo
Bergomates inscript.
Blondus.
Cælius Ruffus
Catullus Charisius
Capuana inscriptio
Cassiodorus
Chrysorus
Cicero
Ciriacus Anconitanus
Claudianus
Columella
Corn. Balbus
Corn. Nepos
Corn. Tacitus
Corn. Theologus
Cornutus
Crator
Cuspinianus.
Dacicæ inscript.
Demosthenes
Desiderius Lignaminæus.
Dion Dionysius.
Egnatius
Eutropius.
Fab. Pictor
Festus
Florentina inscript.
Florus
Formianæ inscript.
Formula magistrat. Ro.
Frontinus

Frontinus
Fuluius.
Gallicæ inſcriptiones
Gellius
Gyraldus.
Helenius
Herodianus
Hieronymus
Hiſpanicæ inſcript.
Homerus
Horatius.
Ioſephus
Iul. Capitolinus
Iul. Obſequens
Iunius
Iuſtinus
Iuuenalis.
Lactantius.
Lampridius
Liuius
Lucanus
Lucilius
Lucretius
L. Higinius
Lud. Gometius.
Macrobius
Manutius
Marlianus
Martialis
Materenſis inſcrip.
Mediolanenſes inſcript.
Merula
Merſburgẽſis liber antiq.
Neapolitanæ inſcrip.
Non. Marcellus
Nouius
Nucerina inſcript.
Nummi antiqui.
Ouidius.
Pauſanias
Perſius
Perſij interpres
Petrus Bibliothecarius
Pindarus
Pindari interpres
Platina
Plautus
Plinius
Plinius iunior
Plutarchus
Poggius
Polybius
Pomp. Lætus
Pomp. Sabinus.

Porphyrio

Porphyrio
Porphyrius Homeri interpres
Portius
Preneſtinæ inſcript.
Priſcianus
Procopius
Propertius
Prudentius.
Quintilianus.
Reatinæ inſcript.
Romanæ inſcript.
Salluſtius
Salonenſis inſcript.
Seneca
Seruius
Sex. Aurelius
Sidonius
Siffridus preſbyter
Silius Italicus
Solinus
Sophoclis interpres
Spartianus
Spoletana inſcript.
Statius
Stephanus
Strabo
Suetonius
Sulp. Verulanus.
Tacitus
Terentij interpres
Terentius Scaurus
Teſtamenta antiqua
Theophilus
Thucydides
Tibullus
Tiburtinæ inſcriptiones
Torellus Sarayna
Tortellius
Tranquillus
Trebellius Pollio.
Val. Flaccus
Val. Maximus
Varro. Velleius
Veronenſes inſcript.
Verrius
Vibius Sequeſter. Victor
Vitruuius
Volaterranus
Vopiſcus
Vrbinates inſcript.
Vrbis epigrammata.
Xiphilinus
Zanchus Zonaras.

GEORGII FABRI

CII ROMA.

DE AVCTORIBVS, QVI DE Roma scripserunt.

Cap. 1.



RBEM Romã etsi plures olim literis monumẽtisq; celebrarunt, nihil tamen scriptorum ueterum relictum fuit, præter Fab. Pictoris & C. Sempronij, de origine Vrbis, fragmenta: de quibus meritò dubitatur. Catonis Origines, & M. Varronis de tribubus, & de ædibus sacris, & de ludis theatralibus atq; actionibus scenicis libri interciderũt. Extat Aristidis Smyrnæi, de Romæ laudibus oratio. Neruæ temporibus de aquæductibus Romanis, libros duos Iulius Frontinus: Diocletiani dominatu de regionibus Vrbis unum Publius Victor, uel (ut alijs placet) Sex. Ruffus, edidit. Ex recẽtioribus, Vrbis admiratione ad scribendum excitati sunt plurimi: Flauius Blondus, Pomponius Lætus, Andreas Fuluius (qui multis libris prosa & carmine scripsit) Carolus Poggius, Ioannes Tortellius, Raphael Volaterranus, Fabricius Varranus, Franciscus Albertinus, Bartholomæus Marlianus: sed diligentia inuestigandi, & iudi-

candi solertia hactenus excelluit Marlianus, qui & ueterum scripta maiore studio contulit, & plurimos aliorum errores prudenter animaduertit. Hunc secuti sunt Lucius Faunus, & Lucius Maurus, quos post primam editionem mei libri lingua uulgari iam perlegi. Nuperrimè scripsit Onofrius Veronensis Eremita, qui hunc meum libellum legit, et ex eo multa de uerbo transcripsit: maluit autem hominem exterum compilare, quàm nomen eius semel tantùm nominare. Scripserunt de Vrbe Manuel Chrysoloras, & Bernardus Oricellarius: & ex nostris hominibus Iacobus Questenbergius Misenus, patria Fribergensis, doctus atq; diligens Antiquitatis inuestigator, qui in Vrbe mortuus est: sed ex horum scriptis nihil ad nostras manus peruenit.

Totam Vrbem secundum regiones pinxit Fabius Caluus, sed eius picturæ cum nullius descriptione cõueniunt. Nuper etiam Pyrrhus Ligorius tabulas duplices confecit. De ædificijs ueteribus uulgari nunc Italorum lingua Franciscus Serlius scripsit, Bononiensis architectus. Picturas statuarum, columnarũ, colossorum, templorum, theatrorum, arcuum, portarum, sepulchrorum, Antonius Salamanca sparsim expressit. Antonius Lafrerius Germanus multas generis eiusdem collegit, & nouas insuper artificiosas adiecit. Imperatorum & uirorum illustrium imagines de nummis antiquis excudit Iacobus Mazochius, addita bre-

dita breui historiarum descriptione: quem secuti sunt Ioannes Huttichius, & Nicolaus Gerbelius, Germani. Sed Antonij Zantani opusculo, quod nuper prodijt, nihil fieri posse dicitur eo in genere elegantius, aut perfectius. Aeneas tamen Vicus Parmensis, uir diligentissimus, omnium horum conatus absoluisse, studia superasse, à non paucis iudicatur. Idem Mazochius ingenti libro Vrbis epigrammata ex ære, saxis, marmoribusq;, incerto auctore congesta, edidit: quem librum nos, inspectis locis plurimis, & correctiorem, & septingentis epigrammatis auctiorem habemus. Nec inutilis in ijsdem colligendis, Petri Appiani & Bartholomæi Amantij, & ante illos Sebastiani Sergij opera extitit. Annuorũ Romæ magistratuum cùm nomina, tum tẽpora exactè annotarunt, ut Theophilus theologus tradit, primùm Chrysorus, deinde Crator M. Aurelij Veri libertus, qui ea ab V. C. usq; ad patroni sui obitum deduxit. Anno autem superiore Marlianus Consulum, Dictatorum, Censorum nomina & triũphos descriptos ex marmorib. antiquissimis publicauit, quæ marmora in foro Romano effossa, nunc in Triumuirali palatio Capitolino asseruantur. ea explicauit & restituit Carolus Sigonius in Fastis singulari industria, magno labore, accurata diligentia. Noticias antiquitatis, in quibus magistratuum cùm Orientis tum Occidentis munera & dignitates consignata sunt, in bibliotheca Britãnica inuenta, cum

tas, cum picturis & insignibus, Gelenius edidit. De s
statuis antiquis nunc in Vrbe uisendis, nuper scripsit si
uulgari lingua Vlysses Aldrouandus. De antiquis ai
Romanorum familijs se scripturum mihi retulit Pau
lus Manutius, uir omnis elegantiæ atq; uirtutis & too
tius antiquitatis studiosissimus: & de ijs Commenta-
rium ante annos quatuor & quinquaginta promisit
Petrus Crinitus, qui, cùm alia eius opera in manibus
sint, nondum exijt. De mirabilibus Romæ non nomi-
nati auctoris libellus, uulgò circũfertur, ad decipien-
dos (ut apparet) illiteratos et superstitiosos homines
confictus. Si cui placet de donarijs basilicæ S. Petri,
& de sepulchris pontificum cognoscere, is Maphæi
Vegij libellum legat.

In cognoscendis Vrbis antiquitatibus, sermo uulgi
audiendus nõ est. Molem latericiam ante Amphithea
trum, quæ Meta sudans dicta fuit, aiunt fuisse turrim
Virgilij. Aedem Iani quadrifrontis, structura quadra
ta in fõro Boario, domum Boethij. Montem testa-
ceum, è testis ac fragmentis figulinis congestum, nomi
nant Montem omnis terræ, quòd religionis causa pe-
regrinantes eum uasis peregrino solo repletis annu
tim comportarint. Columnas æneas in S. Ioanne La-
terano, quas Augustus Cæsar ex præda Actiaca deu
cto Antonio conflauit, è templo Hierosolymitano re
ligionis causa nugantur translatas: de quibus Vir
gilius canit,

Nauali

——Nauali surgentes ære columnas.

Columnam Numidicam Iulio Cæsari interfecto à Dolabella erectam, acum S. Petri dictam scribit Siffridus presbyter: intelligens fortasse obeliscum in Vaticano, duplici nimirũ in errore uersans. Statuã æneam equestrem M. Antonini Pij, in area Capitolina positam, nescio cuius liberatoris Vrbis fingunt fuisse. Quæ licet apertè falsa sint, tamen uulgus asseuerat, & defensores pertinaces ac superstitiosos inuenit.

IDE SITV ET AMBITV, ITEM de gloria atq; interitu Vrbis. Cap. II.

VRbs Roma primùm unam ripam Tiberis tenuit, tandem fines suos cum orbis finibus terminauit: principiò Latij & Italiæ, pòst orbis terrarũ caput, à pastorum manu condita, Regum, Consulum, Dictatorum, Imperatorum dominatu usa, à uicinis quoq; populis tentata, ab externis gentibus sæpius petita, à Gallis Senonibus incensa, à Gothis Vandalisq; uastata & diruta. Contemptu nostrorum Imperatorum quater capta: primùm ab Arnulpho Franco, tum ab Othone Tertio Saxone, deinde ab Henrico Quarto itẽm Franco, nostra deniq; memoria à Carolo Quinto Austriaco. Posita in solo sterili, & partim in montibus, partim in uallibus campisq; subiectis, austro

obiecta, & cœli aliquanto grauioris: nunc malè habi
tata, & ruinarum plena. Antiquitùs, quod miraculo
similimum est, suffoßionibus montium, & meatibus
cloacarum pensilis, & subter ædificia nauigabilis ex
titit. Hodie ualles & campi ex uastitate & ruinis ædi
ficiorum altius quàm credi queat, exaggerati sunt.
Ambitus Vrbis, qui nunc est, XIII. M. pass. non ex-
cedit. In mœnibus circiter trecentas & sexaginta tur
res, multis tamen ex his collapsis, numerauimus. Ex-
cluso campo Figulino, ad Auentinum montem sito,
spacium urbis minuit Paulus Tertius. Vrbem amplia
to pomœrio auxerunt Sylla, Augustus, Claudius, Ne-
ro, Traianus, Aurelianus, Arcadius, Honorius: cuius
rei testes sunt Seneca, Suetonius, Tacitus, Vopiscus,
antiqua Epigrammata. Ex quibus & illud discitur,
censorum, augurum, præfectorum urbi, cura & au-
ctoritate id factum esse. Muri uetustißimi è rudi pri-
mùm lapide quasi coaceruati, quos extruxit Tarquì
nius Priscus quadratis lapidibus, quorum singuli iu-
stum plaustri onus complerent: fuere autem è saxo
Gabino, Albano, Tiburtino, & Preneßino: ea enim
saxa firmißima, & igni imperuia. Postea facti sunt la-
tericij, qui adhuc durant. Nam antiqui illi à Gothis
Vandalisq; diruti & effoßi sunt. Suetonius scribit,
Augustum gloriantem dixisse: Vrbem se latericiam
reperisse, relinquere marmoream. uel, ut Dion, ter-
ream se accepisse, relinquere lapideam. Propertius:

Hoc

Hoc quodcunq; uides, hospes, q̄ maxima Roma est,
Ante Phrygem Aeneam collis & herba fuit.
Atq; ubi Nauali stant sacra palatia Phœbo,
Euandri profugæ procubuere boues.

Verùm (quæ rerũ est humanarũ fragilitas & uicissitudo) illa ipsa Vrbs nunc rursus latericia & terrea est: & Palatinus à nullo habitatus, collis iam & herba factus est, & in foro Romano sues ueneunt, & in arce Tarpeia crux hominum nocentum supplicio cernitur erecta. Varius Imperator cùm decem millia pondo aranearum, opera seruorum per domos collegisset, ex ijs intelligi posse dicebat, quanta esset Roma. Nos risu hominis inepti & scurrilis omisso, in sequentibus summæ & clarissimæ Vrbis magnitudinem & amplitudinem ostendemus: in qua tot tantaq; ædificia fuerunt, quot, præter Vrbem, & quanta terrarum orbis uno in loco non habuit: è quibus sumptuosissimis sub terra Cloacam nominat Dionysius, intra & extra Vrbem uias stratas & aquæductus: ut de innumeris alijs ornamentis nihil dicam, nihil etiam de Imperij diuturnitate atq; gloria. Verè enim ad Germanicum Cæsarem canit Ouidius:

Gentibus est alijs tellus data limite certo,
Romanæ spacium est urbis & orbis idem.

Cùm aũt omni fortunæ uarietate primis quasi adolescentiæ tẽporibus sit exercitata, tamen in secũdis rebus nunquã secura, inuicta in afflictis semper extitit.

Vrbem olim arroganti titulo, sed nõ planè uano, appellarũt ABTERNAM: *quia Neptunio Homeri uaticinio posteritati Aeneæ, à qua orti credũtur Romani, imperij æternitas promissa fuit. Vaticinij uerba sunt:*

Νωῦ ϝὴ δὴ ἀινείαο βίη τρώεσσιν ἀνάξει,
Καὶ παῖδες παίδων, τοί κεν μετόπισθε γένωνται.

Vrbis nomini diuinos honores tribuerũnt Smyrnæi, Pergamenses, & Græcorum omnium cultissimi Athenienses. A' Smyrnæis id factum est, ut Tacitus scribit, M. Porcij Catonis consulatu: à Pergamensibus, imperante Augusto: ab Athenienſibus, dominante Aelio Hadriano. De his planius loquitur uetus inscriptio, quæ ante euersam à Mahomete Vrbem in uestibulo templi fuit, quod in arce quondam Palladi, postea B. Mariæ Virgini sacrum fuit.

Ο ΔΗΜΟΣ ΘΕΑΝ ΡΩΜΗΝ ΚΑΙ ΣΕΒΑ
ΣΤΩΙ ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΤΡΑΤΗΓΟΥΝΤΟΣ
ΕΠΙ ΤΟΥΣ ΠΟΛΙΤΑΣ ΠΑΜΜΕ
ΝΟΥΣ ΤΟΥ ΞΗΝΩΝΟΣ
ΜΑΡΑΘΩΝΙΟΥ, ΙΕΡΕΩΣ
ΘΕΑΣ ΡΩΜΗΣ ΚΑΙ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΣΩ-
ΤΗΡΟΣ ΕΝ ΑΚΡΟΠΟΛΕΙ ΕΠΙ ΙΕ-
ΡΕΙΑΣ ΑΘΗΝΑΣ ΠΟΛΙΑΔΟΣ ΜΕ-
ΓΙΣΤΗΣ ΑΣΚΛΕΠΙΑΔΟΥ ΑΛΑΙΕΩΣ
ΘΥΓΑΤΡΟΣ ΕΠΙ ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΑΡΗ-
ΟΥ ΤΟΥ ΜΩΡΙΩΝΟΣ ΠΑΙΑΝΙΕΩΣ.

Ad quod alludens cecinit Martialis:

Terrarum dea, gentiumq; Roma,

Cui par

Cui par est nihil, & nihil secundum.

Eadem de causa poeta doctißimus Romã Cybeli deorum matri, ipsos Romanos dijs superis comparauit, ita canens,

—— Illa inclita Roma
Imperium terris, animos æquabit Olympo,
Septemq; una sibi muro circundabit arces.
Felix prole uirûm: qualis Berecynthia mater
Inuehitur curru Phrygias turrita per urbes,
Læta Deûm partu, centum complexa nepotes,
Omnes cœlicolas. ——

Quinetiam in Vrbe, Romæ et Salutis, item Romæ & Veneris consors delubrũ fuit, et sacerdotis Vrbis: ut in hoc Græco epigrammate, ita in historicorũ scriptis, & in antiquis marmoribus Italiæ, Galliæ, Hispaniæ mentio extat. Quamobrem cùm templa sacro Vrbis nomini dicata, & festi dies memoriæ natalis eius (ut posteà dicam) instituti sint: minimè mirum, Victrici statuas fuisse triumphales collocatas. Cuius generis multæ elegantiæ & artificij, superiore anno reperta, & nũc in ornatißima Cæsiorũ domo statuta est: Roma sedẽs iuuenili habitu, galeata, sinistra manu tenet pugionẽ, dextra coronã laureã, designãs indice mulierẽ sub basi sedentẽ, uultu mœsto, ueßitu lugubri, capillo per uittam passo, caput sinistra manu sustentantem, dextra ad sinistrũ femur posita, projectisq; ad idem latus armis atq; clypeis, cũ hac inscriptione:

ROMA VICTRIX DE DACIA PROVINCIA SVBACTA TRIVMPHANS VVLTV AC HABITV BARBARORVM Q. SPOLIS INLVSTRIS.

Romanæ urbi Constans Imp. Constantini iunioris filius, septem dierum spacio plus ornamentorum ademit unus, quàm ducentorum quinquaginta octo annorum interuallo detraxerunt omnes barbari. Imperium autem quamuis ante septingentos & quinquaginta annos ad Germanos translatum sit, tamen Romani nomen retinuit. ut poetico quodam ac ueluti fatidico spiritu ceciniſſe uideatur Tibullus:

Roma tuum nomen terris fatale regendis. Hanc in flore uidere optauit episcopus sanctiß. Augustinus.

Sibyllæ de Romæ interitu tale uaticinium refert Lactantius Firmianus, in libro de Diuino præmio: Roma interibit, & quidem iudicio Dei, quòd nomen eius habuerit inuisum: & inimica iusticiæ, alumnum ueritatis populum trucidarit. Extant & hi uersus Sibyllini, ἔσται καὶ ῥώμη ῥύμη. Item:

καὶ σὺ θρίαμβος ἔσῃ πόσμῳ, καὶ ὄνειδος ἁπάντων.

Ortum nuper aliud est, nescio quo auctore, idq; occasione eiusmodi. Phocas Imp. eodem iure summam potestatem Pontifici tribuit, quo ipse imperium inuasit. id autem

id autem factū est anno à nato Christo DCVI. à quo primùm regia auctoritate Pontifex Christianorum ecclesiis præfuit. Ad hunc annorum numerum si addantur ij, quos ῥώμη, si græcè scribatur, in se continet (singulæ enim literæ certum numerum significāt) tum sublatum iri Vrbis & Pontificis potentiam: cōplent autem hæ literæ annos DCCCCXLIIX. Hæc qualia sint, à nescio quo excogitata, relinquo iudicandum alijs.

DE MONTIBVS, A' QVIBVS urbi additi, quæ loca adiacentia habeant, quot nominib. & unde sint appellati. Cap. III.

PRopertius, poeta elegans, & doctus Vrbis præco, canit:

Septem urbs alta iugis, toto quæ præsidet orbi,

Vnde ἑπτάλοφος à Græcis, Septicollis à Fabio Pictore, Septemgemina à Statio dicitur. Hos colles, Virgilius in Georgicis, et in Epithalamio Ausonius, propter sedes regias aliquando in ijs constitutas, septem Arces nominarunt. Nos decem Romanorum collium situm, & uaria eorum nomina, & loca circumiacentia, unde reliquæ urbis cognitio fiat apertior, paucis notabimus. Mœnibus enim inclusi hodie sunt: Palatinus, Capitolinus, Auētinus, Cœlius, Esquilinus, Vimina lis,

Viminalis, Quirinalis, collis Hortulorum: & trans Tiberim, Ianiculum, & Vaticanus.

Palatinus.

Euandri & Romuli sedes, unde & collis Euandrius à poeta Statio, & Romulius à Trebellio Pollione historico dictus. A Strabone τῆς ἄλσεως nomine, propter primam sedem regiam, appellatur. De eo Silius libro duodecimo:

——Surgit quà celsus ad auras
Aspice montis apex, uocitata palatia regi
Parrhasio. ——

Ad ortum habet Cœliũ, ad meridiem Auentinum, ad occasum Capitolinum, ad septentrionem forum. Adiacet ex eo latere, quod ortum spectat, arcus Constantini: quod meridiem, Circus maximus: quod occasum, Romuli ædes, & Velabrum: quod septentrionem, templa quæ in ipso foro sunt, & arcus Vespasiani. Hunc Virgilius à Palanteo oppido nominatum uult: Propertius & Ouidius, quòd ibi pecudes palari, id est errare consueuerint. Huius montis pars, forum uersus, Germali nomen habuit, in qua parte Ancus rex habitauit: Cœlium autem uersus, Veliæ, in qua Tullus Hostilius, & Valerius Publica. Quia autem prima Imperij sedes in eo cõstituta, cuiusuis principis aulam, aut splendidi hominis domum, Palatium nominamus. Hodie suffossionibus & subterraneis meatibus totus quasi pensilis, & aut ruinis

ruinis deformis, aut hortis occupatus cernitur.

Capitolinus.

Tatij Sabini sedes, qui & Saturnius, & Tarpeius: & à templo, Iouis arx, nominatus à Tibullo,
Et stabant humiles in Iouis arce casæ. Ad ortũ habet forum & montẽ Palatinum, ad meridiem Tiberim, ad occasum urbem planam, ad aquilonẽ collem Quirinalẽ. Ab ortu adiacent, Tullianus carcer, arcus Septimij, porticus Concordiæ: à meridie, Ianus quadrifrons, forum holitorium, theatrum Marcelli: ab occasu, circus Flaminius, in quo porticus Cn. Octauij, & recens turris Argentina: à septentrione, forum Traiani. Dictus à uetustissima Saturni sede, Saturnius: & mox (ut Iustinus inquit) quasi pulso à Ioue sedibus suis Saturno, Capitolinus. idem Tarpeius: quod uel à Tarpeia uirgine, arcis proditrice: uel
A' duce Tarpeio mons est cognomen adeptus,
ut canit Propertius. De eodem in VIII. Virgilius:
Hinc ad Tarpeiam sedem, & Capitolia ducit,
Aurea nunc, olim siluestribus horrida dumis.

Sub monte Tarpeio rerum sacrarũ scriptores custodiam Mamertinam ponunt: quod an de carcere plebis, qua mons spectat flumen: an de Tarpeio, qua forum: an de alio accipi debeat, nondum assequi potui.

Auentinus.

Ab Anco rege, crescente ciuium numero, ex parte additus, non totus habitatus: Auentini regis Albanorum, &

rum, & Tatij regis Romanorum, sepulchris celebris. Varijs appellatus nominibus. à Remo Romuli fratre, Remurius: à Murciæ deæ sacello, Murcius: à Dianæ templo, collis Dianæ. Martialis lib. XII.

Cum tu forsitan inquietus erras,
Clamosa Iuuenalis in Subura,
Aut collem dominæ teris Dianæ.

Et idem lib. VII. ad Maximum:

Esquilijs domus est, domus est tibi colle Dianæ.

In quadam sui parte, à lauri silua, Lauretũ appellatus, ut Dionysius ait. Altitudine sublimior Palatino & Capitolino fuit, teste Silio:

——Vicinis tollit se collibus altæ
Molis Auentinus.——

Propter longitudinẽ autem certò describi nequit: sed tamẽ, ut in prioribus, tentabimus. Ad ortũ in meridiem declinantẽ, respicit mœnia: ad meridiẽ, cãpum Figulinũ: ad occasum, flumen: ad septentrionẽ, montem Palatinũ. Ortũ uersus, sed ualde in meridiem flexum, propinqua est porta Capena: meridiem, porta Ostiensis, pyramis Cæstij, mons Testaceus: occasum, Nualia, salinæ, spelunca Caci: septẽtrionem, Dianæ templum, & Naumachiæ initiũ. Auentinus dictus ab auibus, quod nomẽ ante Euandri & Herculis in Italiam aduentũ, ut liquet ex Virgilio, habuit. Quòd si certis auctoribus scripsit ille, nomen ipsum non accepit ab Auentino rege, qui in eo extinctus bello, & sepultus

pultus fuerit, ut 4. Fast. ait Ouidius: quamuis in eadem pagina alteram, & cum Virgilio consentientem opinionem ponat. neq; etiã ab Auente Sabinorũ fluuio, ut de gente populi Ro. tradidit Varro. In hunc montem aliquando plebs secessit, propter Decemuirorum tyrannidem: ut est apud Dionysiũ. & apud Plin. lib. 19: Nemo Sacros, Auentinosq; montes, & iratæ plebis secessus circumspexerit. Sacer autem mons, ut hoc obiter moneam, iuxta ripam Anienis fuit. Auentinus quoq; est duplex: alter ad Verrestim fluuium, in quo conditũ Preneste oppidum: alter ad Tiberim, urbis Romæ pars, de quo nunc agimus.

Cœlius.

A Tatio Romuli consorte additus, ut Dionysius: uel ab Anco, ut Strabo: uel à Tullo Hostilio, ut Liuius: uel à Tarquinio Prisco, ut Tacitus. Tantam in scriptoribus diuersitatem peperit, quòd aliqui reges primi adiecerint, aut primi habitarint: reliqui deinde ædificijs alijsue rebus ornarint aut auxerint. A querna silua, Querquetulanus: à Tiberio Cæsare, quòd is post incendium habitatoribus ædificia consumpta instaurasset, dici cœptus mons Augustus. Ab ortu habet mœnia, à meridie Cœliolum, ab occasu Palatinum, à septentrione Esquilias. Adiacent ab ortu, Cœlimontana & Neuia portæ, & inter has Statilij Tauri theatrum dimidiata sui parte mœnibus inclusum: à meridie, uallis: ab occasu, Seueri septizonium: à

nium: à septentrione, Titi amphitheatrum, uulgò Co
losseum. Nominatus à Cœle quodam Hetruscorum
duce, qui cum Romulo contra Sabinos arma socia cō
iungens, castra in eo posuit.

Cœliolus pars est Cœlij, à Martiale libro 12 ad
Iuuenalem, dictus Cœlius minor:

Dum per limina te potentiorum
Sudatrix toga uentilat, uagumq;
Maior Cœlius & minor fatigat.

Ab ortu habet mœnia, à meridie Auentinum, ab
occidentis & septentrionis partibus uallem, per quā
fluit riuus Appiæ. Incipit post portam Gabinā, nunc
clausam: & inde ad Latinam flectitur, terminaturq;
ad Capenam.

Esquilinus.

A Tullo Hostilio adiectus, ut Liuius: à Seruio
Tullio, ut Trāquillus. Inuenio in aliquorum scriptis,
nomine eruditis ignoto dictū Superagium. Eundem
auctore Verrio Flacco, & Cispium & Oppium uete
res nominarunt. quod ego de parte eius quadam in-
telligo. Attingit ab ortu, Vrbis muros: à meridie, uiā
Lauicanam: ab occasu, uallem inter Cœlium & Pala
tinum, longè lateq; patentem: à septentrione, Vimi-
nalem. Adiacent ortum uersus, Esquilina porta, &
Querquetulana: meridiem uersus, Carinæ: occasum,
uallis subiecta, & regio Tabernulæ: aquilonem, ui-
cus Patricius & Subura, unde Suburanum nonnulli
uocarunt

uocarunt ex ueteribus. Dictus, quòd excubiæ ibi agerentur, primùm Excubinus: postea mutata pronunciatione, Exquilinus: & melioris soni gratia, Esquilinus: à poetis Esquilius, litera uidelicet de medio sublata. ut Ouid. 11. Fast.

Monte sub Esquilio. —— Idem. lib. 111.

Adde, quòd excubias ubi rex Romanus agebat,
Qui nunc Esquilias nomina collis habet.

Horatius in Sermonibus: —— At simul atras
Ventum est Esquilias.

Viminalis,

A Seruio Tullo ad reliquos additus: qui & Fagutalis, à silua fagea, ut est apud Varronem & Festum. In ortum tendens, respicit campũ Esquilinum: in meridiem, partem Suburæ & fori Romani: in occasum, Quirinalem, interiecta Subura plana: in septentrionem, uallẽ Quirinalẽ. Ab ortu adiacet porta Querquetulana: à meridie, Nouatij & Olympiadis thermæ: ab occasu, palatium Decij: à septentrione, lauacrum Agrippinæ. Nomen inuenit à uiminum copia: quæ tamen cuius generis fuerint, Varro, Festus, Plinius non dixerunt, neq; Iuuenalis Sat. 111.

Esquilias, dictumq; petunt à uimine collem.

In locis incultis, quæ hortos aut uineta non habent, nunc populi & salicum uimina, & harundines pollicis crassitudine nascuntur.

Quirinalis,

Ab eodem rege additus. Alio nomine Agonius, uel Agonensis: & in quadam sui parte mons Clatrati Apollinis, nostro tempore mons Caballinus. Habet ab ortu Viminalem: à meridie, Cæsaris & Neruæ forum: ab occidente, Vrbem planam: à septentrione, collem Hortulorum, & campum Martium. Contiguæ sunt ab ortu, portæ Viminalis & Collina: à meridie, Corneliorum domus: ob occidente, quæ in plana Vrbe sunt ædificia: à septentrione, porta Collatina. Dictus Quirinalis, ab æde Quirini.

Ouid. 11. Fast. de Quirino:

Templa deo faciunt, collis quoque dictus ab illo est.

Horatius secundo lib. Epist.

—— cubat hic in colle Quirini,
Hic extremo in Auentino. ——

Agonius, quòd circo Flaminio, eruptione Tiberis inundato, ludi Agonales in eo fierent. Clatrati Apollinis, à templi ædificio, atq; forma. Caballinus, à duobus equis marmoreis, qui stant ibidem in excelsa basi, cũ suis ductoribus, prope ædem S. Saturnini, qui à Phidia & Praxitele, si titulus uerus est, sunt facti.

Collis Hortulorum,

Vel (ut Suetonius) collis Hortorum, extra antiquos muros, Quirinali contiguus. Ab ortu tangit eiusdem montis campum, à meridie item aliquam eius partem, ab occasu uallem Martiam, & Domitiani naumachiam: à septentrione urbis mœnia. Ab ortu propin-

propinquam habet portam Collatinam, à meridie pilam olim Tiburtinã, ob occasu uiã Flaminiã, à septentrione templum Solis, & Neronis sepulchrum. Ab hortis ad nostra usq; tẽpora nomẽ antiquũ retinuit.

Vaticanus,

Trans Tiberim, olim habitatus nõ fuit, nec ad Vrbem pertinuit. Nomẽ accepit uel à uatum responsis, uel à Vaticano deo, qui & Vagitanus. Ad ortum, spectat campum Vaticanum, & flumen: ad meridiem, Ianiculum: ad occasum alium campum, in quo ex creta & argilla uasa fiunt, ab usq; Iuuenalis & Plinij temporibus nota: ad septentrionem, prata Quintia. Meminit huius montis Horat. 1. Carm. oda xx,

Care Mecœnas Eques, ut paterni
Fluminis ripæ, simul & iocosa
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago.

Olim fuit Scipionis sepulchro spectabilis: postea Othonis II Imperatoris: nũc uerò S. Petri basilica, itẽ Palatio, hortisq; Pontificijs clarus atque nobilis est.

Ianiculum,

Ab Anco mons hic additus, Numæ regis & Statij Cæcilij poetæ sepulchris celebratus, Ianicularis Seruio dictus. Ab ortu meridieq; Tiberim respicit, ab occasu campos, à septentrionis parte Vaticanum. Adiacent ab ortu, prata quondam Mutia: à meridie, porta Portuensis: ab occasu, Aurelia: à septentrione,

naumachia Neronis. Dictus uel ab arce Iani, de qua Ouid. 1. Fast. uel à uetustissimo oppido, quod idem condidit, de quo in VIII Virg.

Hîc duo præterea disiectis oppida muris,
Relliquias, ueterumq; uides monumenta uirorum:
Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit arcem,
Ianiculumq; illi, huic fuerat Saturnia nomen.

Vel quòd populo Rom. primùm in Hetruscos eunti quasi ianua fuerit, ut Verrius Flaccus. Nunc à flauis harenis, Mons aureus nominatus: & corrupto uocabulo, Montorius: aliquando mons S. Onofrij. Ex hoc propter altitudinem Roma maximè conspicua. cæteris autem infrequentior est, ob aeris grauitatem: utrumq; testante lib. primo Martiale,

Longo Ianiculi iugo recumbunt,
Et planus modico tumore uortex
Cœlo perfruitur sereniore:
Hinc septem dominos uidere montes,
Et totam licet æstimare Romam.

In hunc aliquando plebem secessisse Romanam, & à Q. Hortensio dictatore reuocatam, scribit Plinius libro 16. In eodem, si Italico & Claudiano fides, Prosena Hetruscus castra habuit. In eodem publicam pecuniam aliquando asseruatam, liquet ex Appiano.

Hi montes iam rarissimi habitantur, maxima ex parte hortis & dispersis hinc inde templis, aut claustris religiosis occupati, aut ueterum ædificiorum ruinis obruti.

nis obruti. Vetustissimis temporibus nemora & pascua habuit Palatinus, ut scribit Tibullus: Capitolinus dumeta, ut Virgilius: Auentinus lauretum, ut Solinus: Cœlius quercetum, ut Tacitus: Viminalis siluam fageam, ut Varro: Ianiculũ esculetum, ut Plinius: Vaticanus ilicetum, ut Fuluius: qui tamen quo auctore id scripserit, adhuc ignoro.

DE PORTIS VETERIS NOuæq; urbis, & quàm uarijs nominibus eædem appellatę. Cap. IIII.

PORtæ Vrbis in uniuersum sunt uiginti, antiquì nominis & loci quindecim, recentioris Vrbis quinque. Ad septentrionem sunt, Flumentana & Collatina. Ad ortum uernum, Quirinalis, Viminalis, & Clausa: ad ortum æstiuum, Esquilina & Neuia: ad ortum hyemalem, Cœlimontana, Gabina, & Latina. Ad meridiem, Capena & Trigemina: ad occasum, Naualis, Aurelia, & Septimia. Reliquæ quinque urbis Leoninæ sunt, ut mox dicemus.

I. Flumentana,

Quòd ad fluuium pertineret, dicta Flumentana, nùnc uia Flaminia, & uulgò nunc Porta populi, olim porta S. Petri, ut eam Ado Viennensis appellat.

II. Collatina,

In colle Hortulorum, à Collatia oppido: & à palatio Pincij Senatoris, modò Pinciana.

III. Quirinalis,

Alijs nominibus Collina, & Agonia, siue Agonensis. Ouid. 4. Fast.

Templa frequentari Collinæ proxima portæ.

Iuuenalis Satyra 6. —— proximus urbi
Hannibal, & stantes Collina in turre mariti.

Aliquando Lauernalis, quòd ad eius deæ fanum in uia Salaria duceret: & nunc à uia ipsa, Salaria.

IIII. Viminalis,

Quæ & Numentana, uel (ut Strabo scribit) Nomentana, & Figulensis, & nunc S. Agnetis.

V. Querquetulana,

Ab alijs porta inter aggeres, sine auctore. Propè enim sunt Aggeres Tarquinij, quadrata forma tumulus: qui à Collina olim incipiens, ad usq; Esquilinam pertinuit. Querquetulanam proximè Viminalem fuisse, uidetur indicare Plinius li. 16. Hæc nũc in uinetis iacet clausa, ad quã per uiginti gradus ascẽdimus.

VI. Esquilina,

A Procopio Prenestina, à Fuluio & alijs recentioribus Tiburtina: à bouis capite, quod supra eam est, nunc Taurina: à templo suburbano, uulgò S. Laurentij. Antiquissimo nomine Metia: id enim inde conijcio, quòd idem de Metia scribat Plautus, quod de

Esquilina

Esquilina Horatius: nec dissentiat ab utroque Corn. Tacitus, qui libro secundo Annalium ait, sumptum more prisco extra Esquilinam de nocentibus supplicium. Plautus in Casina:

Illum ædepol uidere ardentẽ te extra portã Metiam
Credo ecastor uelle. Horatius V. Epod.
Pòst insepulta membra different lupi,
Et Esquilinæ alites.

In quem locum annotauit Porphyrio, in regione Aggeris extra portam Esquilinam, solita fuisse pauperum corpora uel comburi, uel proijci. Combusta fuisse indicat Plautus, proiecta Horatius.

VII. Neuia,

A' Plinio Lauicana, à uetustioribus Rauduscula-na: hodie porta Maior, ab ædificij magnificentia, propter ductum aquæ Claudiæ, cuius ibi uestigia apparent.

VIII. Cœlimontana,

Aliquando Asinaria: nunc à templo, porta S. Iohannis, uel porta Laterana. Per hanc Alarico duce ingressi Gothi, urbem captam diripuerunt, Innocentio primo pontifice.

IX. Gabina,

Sub Cœliolo, nunc clausa: aliàs S. Methodij. modò corrupto nomine Gabiusa. Per hanc riuus Appiæ urbem influit.

X. Latina,

Quæ & Valeria, à uia: & Ferentina, ab oppido Hernicorum. De priore nomine incertum est: de altero suam coniecturam attulit Marlianus.

XI. Capena,

A' uia, interdum Appia: à templo olim, Camœna: à Tortellio & Merula Fontinalis, nũc S. Sebastiani. Celeberrima apud Poetas. Propertius lib. IIII.

Armaq; cùm tulero portæ uotiua Capenæ.

Iuuenalis Sat. III.

Substitit ad ueteres arcus, madidamq; Capenam.

Martialis lib. IIII. Epigram.

Capena grandi porta quà pluit gutta.

Per hanc Carolus V. Imp. est ingressus, uictor rediens è bello Africano.

XII. Trigemina,

Nunc Ostiensis, uel S. Pauli. Veteris Trigeminæ ad Tiberim in uineto quodam sunt uestigia. alium enim translata in locum à Claudio Imperatore fuit. Extra hanc tenues stipem petere solitos, significat Plinius libro XXXIIII, inquiens: Extra portam Trigeminam, unciaria stipe collata. & alludit eódem Plautus in Captiuis, apud quem sic loquitur parasitus:

——Vel extra portã ire Trigeminã ad sacculũ licet:
Quod mihi ne eueniat, nonnullum periculum est.

XIII. Naualis,

Trans Tiberim, quæ & Portuensis, & aliquando S. Felicis,

S.Felicis: nunc porta Ripæ, uel Vinaria, quòd extra eam uina externa, maximè tamen Campana & Tuſca, uendantur.

XIIII. Aurelia,

In Ianiculo monte, nunc S. Pancratij, aliquando Traiana.

XV. Septimia,

In eodem monte. hæc itidem Fontinalis, & uulgò ſub Ianum. Per hanc ingreſſi Fronsbergio & Borbonio ducibus Germani, Romam diripuerunt, Clemente Septimo Hetruſco Pontifice.

DE VRBE LEONINA, ET eius portis.

Planicies inter Tiberim & montem Vaticanum, uulgò Regio burgi. ſeu Vaticanum ſuburbium: à Leone Quarto Pontifice, urbs Leonina, & noua Roma appellata, quòd eam partem aduerſus Saracenos tũc uniuerſam Italiam ab utroq; mari infeſtantes, munitam reddiderat, mœnibusq; contra incurſiones ſepſerat. Ea nunc quinq; habet portas, quarum hæc ſunt nomina:

Poſterula,

Vel porta Turrionis, quæ ducebat ad ſcholam Saxonum & Langobardorum, prope Campum Sanctum.

S. Spiritus,

Infra Ianiculum, eundo ad Septimiam, à templo uicino nomen habens, circa quam olim Triumphalis porta fuit.

Pertusa,

Vel S. Peregrini, in dorso Vaticani, non longè à stabulis Palatinis.

Viridaria,

Vel porta Iulia, subiecta palatio Pontificis: hæc in campos ducit.

Subiecta,

Per quam apud molem Hadriani, nunc castellum S. Angeli, in campos iter est.

DE PORTIS, QVAE IAM non extant.

Legitur de alijs portis apud scriptores, quæ iam nullæ sunt: ut Vrbis Romuli antiquissimæ quatuor. Prima Romana, quæ ab Ouidio porta Palatij, à Varrone Mugionia, à Verrio Trigonia appellata. Altera Pandana, quæ & Saturnia, & Romula, & Libera. Tertia Carmentalis, à Carmenta Euandri matre fatidica: & à uicinia montis, Tarpeia: ab euentu ob cæsos Fabios, scelerata: ab oppido, ad quod ducebat, Veientana: à nomine cuiusdam aurigæ (ut ex Plinio onijci potest lib. VIII.) aliquando Ratumena. Quar-

tam ad-

tam addunt nõnulli, Ianualem. Præter has auctæ iam urbis & aliæ inueniuntur, uel à statis sacrificijs dictæ, ut Piacularis, & Catularia, & Cementina, & Stercoraria: uel à deorum templis, ut Sangualis à Sango, Salutaris è Salute, Libitinensis à Libitina, Minutia à sacello Minutij. De quibus malo allatas aliorum sententias sequi, quàm contra aliquem contendere, aut nouam coniecturam sine auctoritate affingere.

DE VIIS INTRA VRBEM ET extra mœnia: item de cliuis in Vrbe. Cap. V.

MAxima Senatus diligentia in uijs faciendis fuit. bonis enim Reip. temporibus id agebant principes Romani, non ut sua cupidè nimis augerent, sed ut honori publico, & ciuium commodis consulerent. Ac quod Demosthenes de Athenienſibus prædicat, Aristidem & Miltiadem, alios q; uiros illustres, cùm urbem publicè ita ornauerint, ut ad incrementi amplitudinem posteris uix reliquerint locum, priuatim ipsos nihilo magnificentius habitauisse, quàm quemuis ex modicis uicinis suis: idem de Romanis ueteribus, suorum temporum reprehendens immodestiam, meritò iactauit Horatius secundo Carminum,

Priuatus

Priuatus illis census erat breuis,
Commune magnum: nulla decempedis
Metata priuatis opacam
Porticus excipiebat Arcton.
Nec fortuitum spernere cespitem
Leges sinebant, oppida publico
Sumptu iubentes, & deorum
Templa nouo decorare saxo.

Ex talibus operibus laude dignis, & Reip. utilibus, fuit uiarum magnificentia. Earum curandarum munus fuit censoribus à senatu commissum, quibus Augustus Cæsar Viarum curatores addidit: qui, ut et Quatuoruiri uiarum tuendarum, in primis nominati fuerunt. id quod inscriptiones Tiburi, Formijs, Allifis, item Vrbini, Romæ, Preneste: & extra Italiam, Dacicæ, Gallicæ, Hispanicæ indicãt. Viæ autem eiusmodi cùm intra urbem, tum etiam extrà fuerunt, & in prouincias ipsas commoda earum translata sunt. Etenim uiæ Pompeiæ in Sicilia meminit Cicero contra Verrem: uiæ Domitiæ in Gallia, idem pro M. Fonteio: uiæ Græcæ prope Baias idem ad Marium, quæ alio nomine dicta Herculea: uiæ Posthumiæ in Insubria, Cornelius Tacitus: uiæ Domitianæ in Campania, Statius Papinius. Nunc ad Romanas uenio, & primùm ad urbanas.

VIAE VRBANAE.

Sex. Pompeius, ne hoc ignoretur, annotauit, in uiarum

uiarum nominibus, substantiuum in sermone præponendum, ut dicatur, Via sacra, & uia Noua: non Sacra uia, aut noua uia. Verùm hæc communis est præceptio, ut dicatur, fòrum Cæsaris, theatrũ Scauri, domus Pompeij: item mons Vaticanus, pons Sublicius, porta Metia, tribus Cornelia: ut id quod generis significationem habet, minus commune uerbum in sermone Romano usitatè antecedat. Hoc licet à poetis rarò, à Cicerone alijsq; non semper obseruetur, tamen plerunq; locum habet. Viæ interdum semitæ dicuntur, cùm angustæ sunt, ut alta semita: impropriè uerò plateæ, ut ab Aelio Spartiano.

Via Sacra,

Inter urbanas celeberrima: incipit ab amphitheatro, & per uicinos hortos iuxta templum Pacis & fòrum Cæsaris rectà tendit in Capitolium. In hac uia, Numæ regia fuit: ut ex Asconio constat.

Per uiam Sacram triumphantes Capitolium ascendebant. Propert. lib. II.

Actiaq; in Sacra currere rostra uia.

In eadem, ut fit, animi caussa homines ambulabant. Vnde Horatius in Sermonibus:

Ibam fortè uia Sacra, sicut meus est mos.

Item populo se ostentabant auræ popularis studio si: ut de Mena, Pompeij Magni liberto, idem Epodis:

Vides' ne Sacram metiente te uiam,
Cum bis ter ulnarum toga,

Vt ora

Vt ora uertat huc & huc euntium
Liberrima indignatio?

Et de puella populo se præbente Propertius:
Cui sæpe immundo Sacra conteritur uia socco,
Nec sinit esse moram, si quis adire uelit.

Vitellius in Forum & Viam sacram, tanquam celeberrima Vrbis loca, seminudus cùm traheretur, facinorosorum ac seruorum more per contumeliam illusus & uexatus est.

In eadem uia propter frequentiam res uiles uænibant, ut poma, flabella, tesseræ, talitestantibus Varrone, Ouidio, Propertio. Sacrauienses, ut Suburenses, qui ad uiam Sacram & Suburam habitant, nominauit Festus.

Via noua,

A' Velabro, inter Capitolium & montem Palatinum, ducens in forum. Ouid. VI. Fast.

Quà uia Romano nunc noua iuncto foro.

Ad hanc uiam in Velabro Accæ sepulchrum fuit, ut ait Varro.

Via noua alia,

Prope Seueri Septizonium, declinans ab Appia, Auentinum uersus, & rursus in eam sub thermis Antoninianis incidens: qua pulchriorem inter plateas Romanas nullam inuentam, scribit Spartianus.

Via lata,

A' macello coruorum, ad septa campi Martij extensa.

tensa. Hæc uetus nomen retinet, & istis temporibus Romæ est pulcherrima.

Via alta,

Inter Quirinalem & Viminalem, tendens ad portam Viminalem, lapide olim quadrato strata, & Alta semita dicta.

Via recta,

Ducens per longitudinem campi Martij. Seneca de morte Claudij: Trahit capite obuoluto, ne quis eũ posset agnoscere, per campum Martium, & inter Tiberim & uiam rectam descendit ad inferos. Hæc uia prope Flaminiam fuit. Martialis lib. VIII.

Dum repetit sera conductos nocte penates,
Lingonus à Recta Flaminiaq; recens.

Via fornicata,

Prope Flaminiam, ea parte qua fleterunt Ouilia. Huius sæpe mentionem facit Liuius.

Via Suburana,

A' foro Traiani, ad ædem nunc S. Agathæ.

Via piscinaria,

Inter Cœliolum & Auentinum, porrecta ad piscinas publicas: quæ quamuis tollerentur, uiæ tamen nomen remansit.

Via triumphalis,

A' campo Vaticano cõtinuabatur in Capitolium. Eius particula silicibus strata adhuc cernitur, inter templum S. Spiritus, & Tiberim.

Via

Via Aelia,

Ab Aelio Hadriano facta, Triumphali contigua.

VIAE EXTRA VRBEM.

Hæ uiæ partim intra urbem initium habuerunt, ut Flaminia, Preneſtina, Tiburtina, Lauicana, Campana, Gabina, Appia, Ardeatina, Aurelia: partim extra urbem inceperunt, ut reliquæ omnes. Nomina ſortitæ ſunt, una tantum à porta unde oriretur, ut Salaria: plures ab auctoribus, ut Flaminia, Aemilia, Caſſia, Valeria, Numicia, Appia, Aurelia, Cornelia, Vitellia: pleræq; à ciuitatibus, ad quas erant deductæ. quædam Cenſoricæ dicebantur, à cenſoribus ſtratæ: quædam conſulares, à conſulibus. Tam latè pleræque fuerunt, ut binos currus ſimul euntes caperent: tam longæ, ut prouinciarum terminos attingerent. Primùm in urbe tantùm ſilice ſternebantur, extrà uerò glarea, ut ex Tibullo & Plinio licet cognoſcere: poſterioribus temporibus omnes ſilicibus ſtratæ ſunt. Verùm unde tanta lapidum copia aduecta ſit, nondum me legere memini. In Campania duos montes uidi, ex quibus ſaxa eiuſmodi excinduntur: unum prope Sueſſam, alterum ad mare inter Puteolos & Neapolim. Silices lati ſunt ternos quaternosúe pedes, & reperi quaque uerſus latos pedes quinos. Viarum nomina recenſebo ſecundum portas. Quòd autem diſcrepant interdum ſcriptorum ſententiæ, minimè mirandum eſt, ſiquidem non uno tempore ſunt ſtratæ:

& una in

& una in alteram sæpe exiguo, sæpe longiore interuallo incidens, nomen alterius immutat.

Via Flaminia,

Hæc à Cn. Flaminio per Hetruscos Aretium, ab Augusto Cæsare per Vmbriam & Picenum, Ariminum usq; strata, longa ad XL miliaria Germanica. Claudianus ad Olibrium: —— Tempore nullo Cessant Flaminiæ puluerulenta uiæ. Martialis. lib. x. Totaq; Flaminia Roma uidenda uia.

Huius inter Ocriculum & Romam uestigia in uepretis uidimus. Crebra eius mentio apud Tacitum: & de eádem inscriptio Tarraconensis Hispaniæ, quæ L. Ouinio, L. F. Quirina Rustico posita, in qua inter cætera legitur,

CVRATOR. VIAE FLAMIN. LEGATO LEG. MYS. INFERIORIS CVRAT. VIAE TIBVRTIN.

Claudia,

Flaminiæ iuncta. Ouidius 1. de Ponto:

Nec quos pomiferis positos in collibus hortos
Spectat Flaminiæ Claudia iuncta uiæ.

Aemiliæ,

Aemiliæ duæ fuerunt. unam strauit Lepidus Bononiam, & ex ea Aquileiam. Martialis libro III, alloquens librum suum,

Romam uade liber: si, ueneris unde, requiret,
Aemiliæ dicas, de regione uiæ.
Si quibus in terris, qua simus in urbe, rogabit:
Corneli referas me licet esse foro.

Idem de eadē libro VI. & Plinius libro I. agens de mirifico portento agri Mutinensis, in eādem Fauentiam positam significat, lib. XIX. Plinius iunior ad Pontium: Mihi nunciatum est, Cornutum Tertullum accepisse Aemiliæ uiæ curam. Alteram Aemiliam strauit Scaurus, quæ per Pisas, Lunam, Sabbatios, Dertonam usq; pertinuit.

Cassia,

Extra Flumentanam per Sutrium & Viterbium, Vulsinios mittebat. Huius rudera quædam inter oppida nominata extant.

Cimina,

Fuit propinqua superiori, uel ab oppidi, uel à montis, uel à lacus nomine dicta. Huius mentio apud Victorem, & in marmore Auximi,

C. OPPIO C. F. VEL. SABINO
CVR. VIAR.
CLODIAE ANNIAE CASSIAE CIMINAE APPIAE AVRELIAE TRIVM
TRAIANARVM ET
AMERINAE.

Clodia, quæ in hac inscriptione nominatur, est quæ ab

quæ ab Ouidio Claudia. De Annia, & tribus Traianis, nihil certi habemus: reliquæ notæ sunt.

Amerina,

Hanc ex modò posita inscriptione fuisse cognouimus, & duxisse Ameriam.

Collatina,

Extra portam eiusdem nominis, ducēs Collatiam, post exiguum spacium incidens in Salariam.

Salaria,

A porta Collina mittens in Sabinos, non magnæ (ut Strabo inquit) longitudinis. nomen à deportando sale adepta est. Martialis,

Illic Flaminiæ, Salariæq;,
Gestator patet essedo tacente.

Tacitus lib. XIX. Vt transuersis itineribus per agrum Sabinum, uia Salaria urbem introirent. & paulo pòst: Tertiū agmen per Salariam Collinæ portæ propinquat. In hac uia ad quartum & decimū miliare, ut Vibius: uel ad undecimum, ut Liuius, prope Alliam flumen uictoria contra Romanos pe... sunt Galli. Allia autem flumen è Crustuminis montibus prælto defluens alueo, haud multò infra uiam Tiberi miscetur. Ad hanc uiam sita fuerunt Reate & Crustumium oppida, ut constat è Varrone de re Rustica. Inuenitur autem in monumentis Salaria uetus & noua,

Numentana,

A' Viminali, uel (ut Strabo) à Collina inchoans, apud Eretum uicũ in Salariam incidit. Quamobrem superiorem & hanc tanquam uicinas coniungunt, Suetonius in Nerone, & Eutropius, loquens de morte Caligulæ. Numentanæ prope Vrbem extant adhuc uestigia. Ouid. IIII. Fast.

Hac mihi Numento Romam cùm luce redirem,
Obstitit in media candida turba uia.

Tiburtina,

Extra Esquilinam, Tibur mittens. Ab hac porta multæ uiæ incipientes, in diuersa porrò loca diuidun tur. Horat. 1. Serm.

Cùm Tiburte uia prætorem quinque sequuntur.

De eadem inscriptio suprà posita in uia Flaminia.

Tusculana,

Hanc unà cum Albana instaurauit M. Messala, quem laudibus celebrat lib. 1. Tibullus:

Nec taceam monumenta uiæ, quæ Tuscula tellus,
Candidaq; antiquo detinet Alba lare.
Namq; opibus congesta tuis hic glarea dura
Sternitur, hîc apta iungitur arte silex.

In Albana olim uia, Iulio Proculo apparuit post mortem Romulus: in Tusculana patriam obsessurus castra posuit Martius Coriolanus.

Prenestina,

Huius initium cœpit à Subura, cuius intra urbem adhuc

adhuc ex lapide quadrato supersunt uestigia, & in frutetis extra urbem, à Tusculo Prenestæ euntibus. In Prenestina Gabios sitos, constat ex Dionysio & Strabone. Vnde ex hac uia quæ dicta postea Gabina est, esse deductam colligimus.

Lauicana,

Inter Esquilinum & Cœlium, per Esquilinam (ut Strabo inquit) portam exiens, uel (ut alij) per Næuiam, deduxit ad Lauicorum oppidum. Sed & hoc & Tusculum à dextra relinquens, ad Pictas & Latinam uiam terminabatur.

Campana,

Extra Cœlimontanam. de qua Neapoli in marmore, item Romæ, in hunc modum:

HHVIC MONVMENTO ITVS ADITVS AMBITVS DEBETVR EX SENTENTIA EROTIS AVG. L. IVDICIS A VIA CAMPANA PVBLICA.

& apud Suetonium in Cæsare Augusto.

Valeria,

A Tiburtina capiens initium, in qua Valeria, Carseoli & Alba oppida, de Latina declinauit per Sabinos ad Marsos: & inde ad Corfinium, Pelignorum metropolim pertinuit.

Gabina,

Hanc ex Prenestina ductam suspicamur. alioquin enim Strabo lib. v. non idem dicit. primùm enim ait,

Latinam inter Appiam & Valeriam positam idq; re
cte: postea, inter Latinam & Valeriam, interijcit Pre
nestinam, & in Prenestina uia Gabios sitos inquit.

Latina,

Hæc per Ferentum, Frusinum, Fabrateriam oppi-
da ad Casinum extensa, ubi in Appiam incidit. In
Dacia hæc legitur inscriptio,

L. ANNIO FABIANO
III. VIRO CAPITALI CVRATORI
VIAE LATINAE, LEG. X. FRE-
TENSIS LEGATO.

Hanc uiam Martialis modò Latiam, modò Auso-
niam nominat, libro IX.

——simili uenerandus ab Hercule Cæsar,
Consecrat Ausoniæ maxima fana uiæ.

Idem eodem libro:

Herculis in magni uultus descendere Cæsar
Dignatus, Latiæ dat noua templa uiæ.
Quà Triuiæ nemorosa petit dum regna uiator,
Octauum domina marmor ab Vrbe legit.

Cicero pro Cluentio, cauponem quendam de ob
uia Latina nominat.

Appia,

A porta Capena, uel potius à Septizonio initium
sumpsit, omnium maxima & laudatissima, ab Appio
censore (ut Frontinus inquit) ad urbem Capuam mu-
nita. Sed uerius Tacitus, & auctor de Viris illustri-
bus, qui

bus, qui Appium hãc uiam deduxisse Brundusiũ usq; affirmant. Certè Augusti temporibus eò pertinuit si Horatio credimus: item Tiberij dominatu, si Strabboni. & hoc ipsum sub Nerua potuit ignorare Frontinus? Longitudine circa sex & sexaginta milliaria Germanica (unumquodq; autem V. M. pass. continet) est complexa. quamobrem bene ad Pollium Statius,

——quà limite noto
Appia longarum teritur regina uiarum.

Hæc prope Romam deflectens, primùm Bouillas: hinc inter Tusculum & Albam, per montes deducit Aritiam, Algidum, Pictas, Pandochiam: hinc ad maritima peruenit Taracinam, Formias, Minturnas, Sinuessam: & inde Capuam, Sidicinum, Callateriam, Calydium, Beneuentum, Brundusium. Libo Drusus Scribonius, coniurationis aduersus Tiberium reus, aliquando consultauit, an habiturus esset opes, quis uiam Appiam Brundusium usque pecunia operiret. Ab auctoris nomine, dicta Appia: à gentis, Claudia: ab Imperatoris qui restituit, Traiana. Eius mensi partem sumus à Monticella, Fundis, Itro, Formijs, ad x x. M. pass. & iterum uidimus apud Capuam nouam: quo in loco eam restituisse Antoninum Pium, inscriptio pontis supra Vulturnum fluuium demonstrat.

Numicia,

Appiæ uicina, testimonio Horatij libro 1. Epist. Brundusium Numici melius uia ducat, an Appi. Cic.

ad Atticum, Cohortes sex quæ Albæ fuissent, ad Curtium Numicia transisse.

Ardeatina,

Ex Auentino, iuxta Antonini thermas, strata Ardeam.

Laurentina,

Ex eodem monte, Laurentum deducta. Ouidius II. Fastorum,

Est uia, quæ populum Laurentes ducit in agros.

Inter Ardeatinam & Ostiensem, Gellius Laurentinam ponit: & Laurentinam atque Ostiensem tanquam propinquas inter se, coniungit Plinius iunior, in epistola ad Gallum.

Ostiensis,

Quæ ad Ostiam mitteret. De hac inscriptio Neapolitana,

M. BASSAEO M. F. PAL.
AXIO
PATR. COL. CVR. R. P. II. VIR MV-
NIF. PROC. AVG. VIAE OST.
ET CAMP.

Hæc exigua spacio fuit.

Portuensis,

Quæ ultra flumen ad portum Ostiensem, totius orbis amplissimum ducebat. In hac uia fuit Sex. Philippi prædiū, de quo infrà de Tiberi ex antiquo codice, & in uita Simplicij & Faustini Martyrū fit mētio.

Aurelia,

Aurelia,

Maritima Thusciæ ora, per agros siluasq; Pisas extensa. Hæc & Consularis dicta fuit, & ab instauratore Traiana. Inuenitur Aurelia uetus & noua: altera fortasse ob auctorem, altera propter reparatorem. Tiburi in epigrammate C. Popilij inter cætera sic legitur,

CVRATORI VIAR. AVRELIAE VETERIS ET NOVAE CORNELIAE ET TRIVMPHALIS.

Cicero XII. Philippic. Tres uiæ sunt ad Mutinam, à supero mari Flaminia, ab infero Aurelia, media Cassia.

Cornelia,

De hac in Tiburtina inscriptione, & in Romana domus Cæsiæ. in utraq; hæc uerba leguntur,

CVRATORI VIARVM AVRELIAE CORNELIAE TRIVMPHALIS.

Ex quibus conijcio, inter Aureliam & Triumphalem interiectam fuisse.

Triumphalis,

Hæc intra urbem initium habuit, de qua suprà dictum est.

Vitellia,

A' monte Ianiculo ad mare usq; munita, auctore Suetonio.

Curatores uiarum uectigalia certis hominibus locabant: quæ qui redimerent, mancipes dicti sunt. Vnde mancipum fraude, & magistratuum incuria uiæ sæpe interruptæ, & imperuiæ factæ sunt: de quare conqueritur Tacitus. De eiusmodi mancipe inscriptio Romæ, in domo Cardinalis Carpensis:

CN. CORNELIO
CN. F. SAB.
MVSAEO
MANCIPI VIAE APPIAE.

Viarum munitio ac restitutio maximæ curæ fuit C. Graccho, ut Plutarchus: M. Agrippæ, ut Dion: itē ex Imperatoribus Tiberio, ut Tacitus scribit: & Vespasiano, ut Sex. Aurelius, probatq; marmor uetus Romanum,

IMP. CAES. VESPASIANO AVG.
PON. MAX. TRIB. POT. IMP. IIX.
P. P. COS. III. DES. IIII. S. C.
QVOD VIAS VRBIS NEGLIGENTIA SVPERIOR. TEMPOR. CORRVPTAS IMPENSA SVA
RESTITVIT.

Post hos Traiano, à quo multæ uiæ nomen abolito pristino acceperunt, ut Appia, & Aurelia: & trium Traianarū suprà est facta mentio. Ad uias prope urbem ædificata fuerunt templa, domus, tabernæ, arcus, hippodromi, prædia, horti, & (ut suo loco dicemus) sepulchra,

sepulchra, tanta frequentia atq; splendore, ut exterarum gentium legati per suburbana euntes, in ipsa Vrbe se uersari crederent. Ad easdem, ut diximus, clara oppida fuerunt. Obseruatione dignum est, uias antiquiores & maiores, ferè nominatas à Scriptoribus. nam recẽtiores & minorum oppidorum sub illis intelligũtur: ut Cimina & Amerina, sub Cassia: sub Salaria, quæ duxit Numentum: sub Appia, quæ à Numicio appellata est. Eodem modo sub Prenestina comprehenditur Gabina: sub Latina, quæ dicta est Valeria. Antequam à uijs abeamus, cliui exponẽdi sunt, in auctoribus celebres. Nam & cliui uiæ sunt, hoc nomen à collium altitudine consecuti.

Capitolinus,

Qui è foro Romano, à Saturni templo, iuxta Concordiæ & Iouis Tonantis, duxit in Capitolium: ut è Seruio liquet. Hunc puto à Varrone de lingua Latina, dictum Cliuum ueterem: & quia sacrificaturi per eum ascenderent triumphantes, ab Horatio Sacrum, lib. IIII. Carm.

—— trahet feroces
Per sacrum cliuum, merita decorus
Fronde, Sicambros.

In eadem sententia est interpres Helenius.

Publicus,

Qui è Velabro & foro Boario in arcem deduxit, secundum

secundum eundem Varronem propinquus superiori, sed ex altera montis parte fuit.

Palatinus,

Ab æde Vestæ tendens in Palatium: hunc quoque sacrum nominauit Martialis lib. I.

Inde sacro ueneranda petes Palatia cliuo.

Scauri,

Qui à circo in eundem montem tetendit, adeptus nomen ab auctore Scauro.

Suburanus,

Quo è Subura in Esquilinum itur. Mart. lib. V.

Alta Suburani uincenda est semita cliui.

Virbij,

Hunc fuisse uico Cyprio propinquum, quidam tradere non uerentur. Quòd si auctorem habent, tum è Carinis duxit in Esquilinum, iuxta templum S. Petri cognominati in umeulis. Apud Persium ultima Satyra,

——*accedo Bouillas,*

Cliuumq; ad Virbi.

Intelligit uetus interpres de Aricia oppido, in colle sito. In Esquilinum è Carinis cliuus quidem fuit: sed nomen antiquum, quod ego sciam, non annotatũ est.

Victoriæ,

In Palatino, Amphitheatrum uersus.

Martis

Martis,

De quo nihil extat præter inscriptionem, quæ inuenta iuxta uiam Salariam est:

S. P. Q. R.
CLIVVM MARTIS PER PVBLICA IN PLANICIEM REDIGEND. CVRAVIT.

Fuerunt in urbe alijs montibus cliui plures, & ut ueri simile est, plures in unum montem deducentes: ut in Capitolinum, dictus Capitolinus & Publicus: in Palatinum, Palatinus & Scauri: in Esquilinum, Suburanus & Virbius: qui fortasse corrupto nomine Vrbicus à recentioribus appellatur: è ueteribus quia plures non inuenimus, contenti eo quod præsens est, regiones adeamus.

DE REGIONIBVS ET tribubus. Cap. VI.

VRbs Roma in regiones quatuordecim diuisa fuit, quod Plinius scribit, & his uerbis Tacitus, de incendio loquens Neroniano: In regiones quatuordecim Roma diuiditur, quarum quatuor integræ manebant, tres solotenus deiectæ: septem reliquis pauca tectorum uestigia supererant, lacera & semiusta. Testatur idem antiquus lapis in Capitolio ante domũ Triumuirũm, quos nunc Conseruatores nominant:

IMP

IMP. CAESARI DIVI
TRAIANI PARTICI FIL.
DIVI NERVAE NEPOTI
TRAIANO HADRIANO
AVG. PONTIF. MAXIMO
TRIBVNIC. POTEST. XX.
IMP. II. COS. III. P. P.
MAGISTRI VICORVM VRBIS
REGIONVM XIIII.

De regionibus extat libellus Publij Victoris, seu (ut alij uolunt) Sex. Ruffi, qui hæc imponit illis nomina: porta Capena, Cœlimontium, Isis & Sarapis, Via sacra, Esquilina, Alta semita (cuius & Suetonius mentionem facit in Domitiano) Via lata, Forum Romanum, Circus Flaminius, Palatium (hoc quartam regionem nominat Varro) Circus Maximus, Piscina publica, Auentinus, Transtiberina. Regionibus præfuerunt uicorum curatores, prætores, & tribuni plebis. Spacia & terminos nemo ex antiquarijs Romanis, in tanta loci opportunitate, & cæterorum adiumentorum copia adhuc inuestigauit. Augustus ad custodiam Vrbis, propter tumultus subitos, aut nocturna incendia, septē Vigilū cohortes ex libertinis conscripsit, eisq; regionem Transtiberinā habitandā concessit. ijs qui præerat, Præfectus uigilū, aut Vigilibus præpositus (ut apud Tacitū) dicebatur. Ex quatuordecim regionibus prima, duodecima, et tertiadecima,

Gothico

Gothico incendio ita consumptæ sunt, ut neq; tunc, neq; postea, unquã restitui potuerint: auctor Pomponius. Regiones hodie (ut recẽtiora cũ antiquis coniungam) totidẽ numero sunt, sed & nominibus & distributione diuersæ: Regio, mõtiũ, Triuij, Colũnæ, Cãpi Martij, Põtis, Parionis, Harenulæ, Eustachij, Pineæ, Angeli, Cãpitelli, Ripæ, Trãstiberina, Burgi. Regiões ipsæ in uicos, quẽadmodũ tribus in Curias, diuidũtur.

Tribus autem Vrbis antiquæ fuerunt quinque & triginta: ut ex actionibus Ciceronis contra Verrem & Rullum, & ex primo libro Appiani de Bellis ciuilibus, & ex Valerio Maximo (qui excepta Metia, quatuor & triginta tribus inter ærarios relatas à Sanctinatore scribit) item alijs auctoribus Latinis & Græcis, clarum est. M. Varro de tribus libros scripsit, & singulas singulis satyris lacerauit Lucilius. de quo Persius,

——secuit Lucilius urbem.

& apertius Horatius in Sermonibus:

Primores populi arripuit, populumq; tributim.

Asconius in secundam Verrinam, tribus improprie Curias: item Varro libro IIII de Lingua latina, non rectè regiones nuncupat: idem tamen paulo ante ipse se corrigit. De tribus, unde nomina habeant, & quibus temporibus auctæ ad hanc multitudinem peruenerint, dicere hoc loco non est necesse. De priore qui uolet cognoscere, legat Sex. Pomponium: de posteriore, T. Liuiũ. quanquam nec Liuius, nec Flo-

nec Florus, nec Valerius planè inter se consentiunt: & Varronis de Tribubus libri, qui earum initia & incrementa continuerunt, desiderantur. Tribus ratione triplici fuerunt distinctæ: in urbanas, & suburbanas, quæ fuerunt libertinorum: & in rusticanas, quæ ingenuorum. Vrbanæ ex sententia Varronis & Plinij quatuor, Suburana, Palatina, Esquilina, Collina. Suburbana una tātū, Romelia. Rusticanæ triginta,

Aemilia	Pontina
Anienſis	Popilia
Claudia	Publicia
Cornelia	Pupinia
Cruſtumina	Quirina
Fabia	Sabatina
Falerina	Scaptia
Galeria	Sergia
Lemonia	Stellatina
Metia	Terentina
Narnienſis	Tromentina
Ocriculana	Veientana
Ouſentina	Velina
Papiria	Veturia
Pollia	Volitina.

Harum nomina eruditè collegit Paulus Manutius, in Scholijs quæ in Ciceronis epistolas edidit, appositis qui de ijs meminerunt, scriptoribus. Nobis nullius mentio crebrius occurrit, quàm Palatinæ. Proo

pter an-

pter antiquitatis ſtudioſos omittendum non eſt, tribus in ſcribendo tantùm literis prioribus notatas fuiſſe: aliter enim rarò inuenitur. Aliquæ tribus uariè ſcribi ſunt ſolitæ, ut Cruſtumina Cluſtumina, Pontina Pomptina, Suburana Sucurana. De hac poſtrema, propter mutatam literam, Varro & Quintilianus. quæ mutatio eſt in marmore Romano,

M. CAECILIO SP. F. SVC.
RVFO
SOLIARIO AB LVCO SEMELES.

Eandem quoq; unica litera r ſcriptam, ex Iunio & Varrone, & epigrammatis antiquis cognoſcitur. Anienſis, in inſcriptione Florentina ARN. id eſt, Arnienſis: ſed id marmor deprauatum uidetur. Publicia, in marmoribus Veronenſibus POB. id eſt, Poblicia. Vfentina, in Mediolanenſibus OVF. id eſt, Oufentina: nec aliter apud Sex. Pompeium. Veturia, in inſcriptionibus Germanicis, Vuormaciæ, Viennæ, Cerciaci, VOT. id eſt, Voturia: cuius mutationis in eo nomine eſt apud Soſipatrum mentio. Volitina, in marmore Reatino & Lugdunenſe, Voltinia. De Sapinia, quam aliqui ex Liuio (ſi correctus liber eſt) addunt, nihil habeo dicere: ſicuti & de Menia, apud Ciceronem in epiſtola ad Craſſipedem: item de Camilla, Flauia, Vlpia, quas in antiquis marmoribus reperi. Veligitur à poſterioribus plures ſunt adiectæ, quod ego ſine auctoritate perſuadere mihi non poſ-

sum: uel ex illis aliquæ diuersis nominibus appellatæ: id quod factum est aut à Censoribus, qui populi partes in tribus describebant, & (ut Sex. Pompeius inquit) uni tribui alios diuersarum ciuitatum sæpe ascribebãt: aut, quod uero similius est, ab Imperatoribus, qui tribus ampliabãt: ut à gente Domitiani Flauia, à Traiani Vlpia fuerit dicta. Traianus quidem certè tribus auxit, ut manifestè indicat marmor Romanum in domo Alexiorum,

IMP. CAESARI DIVI NERVAE F. NERVAE TRAIANO AVG. GERMANICO DACICO PONTIFICI MAXIMO TRIBVNIC. POT. VII. IMP. IIII. COS. V. PP. TRIBVS XXXV. QVOD LIBERALITATE OPTIMI PRINCIPIS COMMODA EARVM ETIAM LOCORVM ADIECTIONE AMPLIATA SINT.

Ciuium in tribus distributorum nomina Elephantinis, hoc est prægrandibus libris conscripta, asseruabantur primùm in ærario Saturni: deinde in bibliotheca Vlpia. Ne quid autem temerè affirmasse uidear, res ipsa postulat, ut inscriptiones, unde ignotæ illæ tribus sumptæ sint, adscribam, si quis ad inuestigandum diligentius fortè excitari queat.

Menia,

Menia, *de qua Cicero.*

Allifis.

M. GRANIO M. F.
MEN. CORDO. *&c.*

Nuceriæ.

P. AIO. P. F. MEN.
EX TESTAMENTO.

Camilla, *Romæ.*

TI. CLAVDIO TI. F. CAMIL.
SOTERI CHO.
VIXIT ANNIS DVOBVS.

Ibidem.

Q. MANLIVS Q. F. CAM.
SECIVS
ALBA POMPEIA VETER.

Flauia, *Romæ.*

C. VALERIVS C. F.
FLAVIA SPECTATVS
SISCLA MIL. COH. VIII. PR.

Vlpia, *Romæ.*

C. GALLONIVS C. F.
VLP. MARITIMVS.

Reſtat adhuc alia quædam, quæ his ſignificatur literis HOR. cuius nomẽ diuinare aut conijcere nequeo: legitur tamẽ in inſcriptione Neapolitana, Materẽſi, Spoletana, Romanis duabus. quamobrem alijs occaſionem inueſtigandi, dum quid afferam non in-

uenio, præbere uolui. Docemur autem ex his inscriptionibus, initiò positum fuisse nomen proprium, proximè familiæ, tum patris, deinceps tribus, ad extremùm cognomen. Ita in IX. Philippica Ciceronis, Seruius Sulpitius Quinti filius Lemonia Rufus. Item pro Quintio, L. Albius Sexti filius Quirina. Vbi cognomen, quod fortasse non fuit, omißum est. In oratione, de Nouo agendi genere, seu prima actione in Verrem, inquit idem: Inuentum esse fortem amicum ex eadem familia, Q. Verrem Romilia. quo in loco & nomen patris, & cognomen quoq; contempti hominis præterijt: tribum, cum suburbana esset, collocauit. Tribus autem appellationem ablatiuo casu ponebant, subintellecta præpositione: quod Asconius in Verrinas, & Seruius in tertium, & in decimum Aeneidos, annotauerunt.

DE FORIS, AD SPLENDOREM VRBIS, & hominum necessitatem factis. Cap. VII.

FOra Romana distinguemus primùm in ea, quæ ad splendorem Vrbis facta sunt, & in quibus hominum conuentus fierent, uel negotiorũ ciuilium, uel delectationis causſa. Deinde in illa, quæ ad communes populi usus parata, negociantibus patèrent, quibus propter necessitatẽ carere nulla ciuitas potest.

DE FO-

DE FORIS PRIMI GENERIS.

Romanum,

Incipit à Capitolij radicib. ubi nunc Septimij arcus est: & secundum longitudinem ad S. Mariam nouam, ubi Titi arcus, protenditur: secundum latitudinem à Palatini radicibus ad uiam Sacram, Saturni ædem. Varijs nominib. appellatum fuit. Primùm simplex nomen fori, sine alia adiectione, Romanum significat. Ouid. de Ponto:

Te modò Campus habet, dẽsa modò porticus umbra:
Nunc, in quo ponis tempora rara, Forum.

Per campũ, Martius: per porticum densa umbra seu umbrosam, Pompeia: per forum, Romanum, in his uersibus intelligitur. Romanum dictum, à dignitate urbis, quòd præ cæteris esset ornatißimum, propter ædificia: & frequentißimum, propter iudicia.

Propert. lib. 4.

Atq; ubi nunc terris dicuntur iura subactis,
Stabant Romano pila Sabina foro.

Dictum etiam forum Latium. Ouid. 4. Fast.

Cuius in ingenio est patriæ facundia linguæ,
Qua prior in Latio non fuit ulla foro.

Præterea forũ magnũ, à Victore, & Ouid. 3. Fast.

Et tenet in magno templa dicata foro.

Ad extremũ, Forũ uetus, in uita M. Antonini apud Herodianũ. Hoc Plautus in tres partes diuidit, & uaria in ijs hominum studia describit in Curculione.

In foro infimo boni homines atq; dites ambulant. In medio propter Canalem, ibi ostentatores meri, Confidentes, garruliq;, & maleuoli. Supra lacum, Qui alteri de nihilo audacter dicunt contumeliam, Et qui ipsi sat habent, quod ipsis possit uerè dicier.

Per lacum, significat Curtium, quem describit & Fast. Ouidius. *Circa Forum undequaque fuerunt tabernæ, per pilas distinctæ, quæ aut nomen habuerunt ab opificibus, aut à positu atque numero. Catullus,*

Tu ô taberna, uosq; contubernales
A' pileatis nona fratribus pila.

Id est, nona taberna, uel ab Horatijs fratribus qui secundum Victorem ibi tropæum habuerunt: Vel à templo Castoris & Pollucis, secundum recentem interpretem: qui à pilis, hoc est hastis, pileati fratres, quia bellatores fuerunt, dicuntur. In parte Fori fuerunt Rostra, & statua Marsyæ coronati, ad quam homines litigantes conueniebant. Horatius 1. Serm.

—— *Non sollicitus, mihi quòd cras*
Surgendum sit manè, obeundus Marsya. ——

Seneca VI *de Beneficijs: Forum ipsum ac rostra, ex quibus pater legem de adulterijs tulerat, filiæ in stupra placuisse, cotidianum ad Marsiam cõcursum. de qua re item Plinius lib.* XXI. *cap.* III. *Hæc propter locum Plauti attuli. In liberis Græciæ ciuitatibus, ita Marsyæ statua olim in foro collocabatur, ut nunc Rolandi in superiore Germania, & præcipuè in Saxonia. Ere-*

nia. E regione Marsyæ alius locus erat, ad quem cõ-ueuirent fœneratores, quem Libonis puteal nominabant, inter porticum Iuliam & arcum Fabianum, ut Persij interpres scribit. Horatius:

Roscius orabat sibi adesses ad puteal cras.

Persius:

Si puteal multo cautus uibice flagellas. Libonis puteal etiam in nummis antiquis legitur. Verùm ad fora reliqua abeamus.

Sallustij,

In monte Quirinali, quo in loco nũc ædes S. Susannæ. Hoc forũ Sallustius post Africanã prætura emit, unà cum hortis, qui & nunc Sallustiani appellantur.

Cesaris,

Post templum Pacis & Faustinæ, iuxta uiam sacram ædificatum à Cæsare de Gallicis manubijs, hoc tempore est in hortos mutatum. Situm eius indicat Ouid. III. Tristium:

—— Hæc sunt fora Cæsaris, inquit,
Hæc est à sacris quæ uia nomen habet.

Hoc restituit Domitianus, & nominauit Palladium. Martialis lib. I.

Limina post Pacis, Palladiumq; forum. Fuerunt in eodem, ut in Romano tabernæ, testante eodem Martiale: Contra Cæsaris est forum taberna.

Augusti,

Superiori uicinum, turrim Comitum uersus: &

hoc in hortos nunc mutatum. Templo Martis Vltoris, & colosso Augusti conspicuũ. De templo Ouid. 5. Fast. loquitur:

Templaq; in Augusto conspicienda foro.

De utroq; Martialis lib. 8.

Foroq; triplici sparsus ante equos omnes,
Aedemq; Martis, & colosson Augusti.

Spacio modicum fuit, ne aut alienas domos uiolenter inuaderet, aut publica ædificia ignominiosè euerteret. Vnde poeta, quisquis ille est, ad Liuiam Augusti coniugem:

Nec uires erasse tuas campoq; foroq;.

In suo foro Augustus, cùm Tiberis Circum inundauit, decursus & uenationes fieri mandauit. Hoc forum inter Vrbis miracula refertur à Plinio. Restitutum ab Hadriano est, teste Spartiano. Latini scriptores cùm de tribus foris loquuntur, Romanum, Cæsaris, & Augusti intelligunt: quod interpretes rarò obseruarunt. Seneca De ira: Adijce nunc publica periuria gentium, circumscriptiones, fraudes, inficiationes, quibus trina non sufficiunt fora. Martialis in Epigrammatibus:

Caussas, inquis, agam Cicerone disertius ipso,
Atq; erit in triplici par mihi nemo foro.

Statius in Siluis:

Nec saltem tua dicta continentem,
Quæ trino iuuenis foro tonabas.

Ouidius

Ouidius 3. Triſtium:

Scena uiget, ſtudijsq; fauor diſtantibus ardet.
Cumq; tribus reſonant terna theatra foris.

Fora quæ ſint, nominauimus. Theatra ſunt, Pompeij, Marcelli, Statilij: ſingulorum adhuc ueſtigia extant, ut infrà dicetur.

Neruæ,

Poſt templum S. Hadriani, quod templum inde à tribus foris dictum eſt, hoc ad Quirinalem uſq; montem, parte eius aliqua complanata, pertinuit. Tranſitoriũ dictum, quòd inde in tria fora tranſitus patêret. Martialis lib. x. —— Nec illi
Sunt triplices thermæ, nec fora iuncta quater.

Per thermas triplices, Agrippæ, Neronis & Titi intelligit: per quatuor fora, Romanum, Cæſaris, Auguſti, Neruæ. Hoc etiam reſtituit Domitianus, ut eſt apud Suetonium. In eodem, Turinum fumi uenditorem Seuerus Imp. fumo necauit.

Traiani,

Inter Capitolinum & Quirinalem, locus antea montoſus fuit: ſed quanta altitudo columnæ eſt, tanta montem perfodit, & in planum redegit. Iam occupatur ædificijs, & operibus Giganteis comparatur à Marcellino. In huius medio pulcherrima columna Cochlis, è ſaxo ſolido fundata, & compacta ſine cæmentis & calce, ita ut non artificioſa, ſed naturalis uideatur. Alta eſt pedes 128, ut Marlia-

nus: uel pedes 140, ut Eutropius, quem sequitur Platina. Sed alter à columna, alter à basi initium mensuræ sumpsit. Gradus habet 187. fenestellas 44. latitudine & palmi & dimidij intra ædificium, quæ in ualde angustum contrahuntur, ut foris acceptum lumen intus diffundant. Columna ipsa Pario marmore incrustata, in qua res gestæ Traiani, & præcipuè bellum Dacicum est expressum. Cernere in ea est formas munitionum, propugnaculorum, pontium, nauium: item uaria militum opera lignantium, ædificantium, castrametantium, fossas agentium, equos adaquantium, trophæa ferentium, in triumpho euntium: item formas thoracum, galearum, clypeorum, scutorum, zonarum, lituorum, pugionum, pilorum, gladiorum, pharetrarum, aliorumq; armorum. Ab ea parte, in qua inscriptio est, Victoriæ sunt alatæ, cum duabus aquilis. In hoc foro poetæ Ausonij statua fuit, de qua Sidonius Apollinaris:

Plausores cui fulgidam Quirites,
Et carus popularitate princeps,
Traiano statuam foro locarunt.

Idem etiam de seipso canit: Quòd legimur medio, conspicimurq; foro. In eodem foro M. Antoninus proponi edictum mandauit, in quo Christianos pœnarum crudelitate exemit, eosq; uocari in ius propter religionem prohibuit: delatorem uerò ipsorum cremari uiuum præcepit.

DE FO-

DE FORIS SECVNDI GENERIS. Boarium,

In Velabro, inter Palatinum montem, Scholam Græcam, & Ianum quadrifrontem. Ouidius 1. Fastorum:

Hìc ubi pars Vrbis de boue nomen habet. & 6:
Area quæ posito de boue nomen habet.

In eo templum nunc est S. Georgij, corrupto nomine, ad Velum aureum: item Arcus boarius. In eo arcu cernuntur taurorum immolationes, & uictimarij sacrificuli cum instrumentis, malleo, cultro, securi, aheno, capide, pateris, flagello, candelabro, linteis, & quibusdam alijs ad sacrificia pertinentibus.

Suarium,

Ad radices Quirinalis, prope cliuum qui ducit ad Caballos marmoreos. De eo foro cognominatum templum S. Nicolai de Porcilibus.

Piscarium,

Proximè ædem S. Angeli in piscina, ubi olim Mercurij porticus stetit. Vetus forum piscarium inter templa nunc S. Mariæ in porticu, & S. Mariæ Aegyptiacæ. Plautus in Curculione,

Symbolorum collocatores apud forum piscarium.

Pistorium,

Vnum, inter Capitolium & Palatium, iuxta ædem Vestæ: alterum, in Auentino. Hodie tria sunt: unum prope

prope S. Mariam rotundam, alterum in uico Iudæorum, tertium apud S. Laurentium in Damaso.

Cupedinis,

In quo esculenta & poculenta delicatiora uenderentur: alij in Cœlio, alij in Esquilino statuerunt, eo in loco, in quo olim Numerius Equitius Cupes habitarit. nam ante illum, ad Corneta appellatum fuit: utriusque rei testis Varro. Vetus nomen mutauit Aemilio & Fuluio Censs. ut Festus & Plutarchus testãtur.

Suburanum,

In quo res ad uictum necessariæ, à rusticis importatæ, uenderentur. Martialis lib. VII.

Quidquid uillicus Vmber, aut colonus,
Aut rus marmore tertio notatum,
Aut Tusci tibi, Tusculiq; mittunt,
Id tota mihi nascitur Subura.

Hunc locum urbis habitauerunt, qui mercede inhonesta uiuerent, tortores, lenones, tonsores, meretrices. Vnde de impudica canit poeta uetus:
Nota suburanas inter Theletusa puellas.

Vtputa de quæstu libera facta suo. Et magistram Suburanam Martialis lenam nominat: nec caret totus locus ille Satyricorum reprehensione. & Propertius lib. IIII. Vigilantis furta Suburæ, inquit.

Agonium,

Olim campus Agonius, nunc commune forum est omnium mercium.

Holito-

Holitorium,

Inter Capitolium & theatrum Marcelli quondam fuit, & nunc est: uulgò platea Montanaria.

Præter hæc, fori Aurelij facit mentionem Cicero, Archimonij Victor, Esquilini Appianus, Ceditij Festus, Argentarij Vitruuius, Iugarij nescio quo auctore recentiores.

DE CAMPIS. CAP. VIII.

CAmpi in Vrbe fuerunt planicies uacuæ ab ædificijs, qui aut spectaculorum caussa habebantur, certorumq; conuëtuum, aut usibus ciuium necessarijs addicti erant. Persequemur tantum eos qui in Vrbe fuerunt. nam campum Horatiorum, de quo M Martialis: item Ridiculi, de quo Plinius, extra Capenam portam: utrũq; prudens omitto. ut & urbanos Dithos, Vulcani, de quo Festus: & Iouis, de quo Spartianus: & Licinij, de quo Persius. nec Sceleratũ ponam, quẽ describit Plutarchus, quoniã supplicij locus fuit.

Campus Martius,

Qui à uicinitate fluuij, cui à septentrione adiacet, etiam Tiberinus: fuit ager Tarquinij, post eius exactionem dicatus Marti. hunc plenissimè describit Strabo. lib. 5. Quamuis autem Arrianus Nicomedien sis multos enumerat celebres campos, fama tamen omnes uincit Tiberinus. Incœpit ab eo loco, ubi nunc S. Laurentius in Lucina, usq; ad pontem Muluium extensus.

extensus. Quæ in eo ludicra & exercitia fierent, Horat. lib. 1. Car. describit: —— Cur apricum
Oderit campum, patiens pulueris atq; solis?
Cur neq; militares
Inter æquales equitet, Gallica nec lupatis
Temperet ora frenis?
Cur timeat flauum Tiberim tangere? cur oliuum
Sanguine uiperino
Cautius uitat? neq; iam liuida gestat armis
Brachia: sæpe disco,
Sæpe trans finem iaculo nobilis expedito.

In eundem Tribus uocabantur ad Comitia, ut nouos magistratus crearent in eo loco quem comitijs dicatum Septa uocabant, ornatum picturis & incrustationibus. In campo, tumultu exorto delectus habebatur. In campo, clari uiri mortui cremabantur: ut Sylla, Hircius, Pansa. item Imperatores, qui rogo extincto, certis quibusdam ritibus & ceremonijs referebantur in deos; quam rem pulcherrima narratione exponit in uita Antonini Herodianus. Si qui autem ex Imperatoribus S. P. Q. Romano probati non essent, eorũ reliquiæ non deferebãtur in campũ. sed tracta corpora præcipitabantur in Tiberim: ut Vitellio & Vario accidit, & de Cõmodo decretũ fuit. In campo, animi caussa ambulabãt homines ocioſi. Horatius in Epist. Gaudentẽ paruisq; ſodalibus, & lare certo,
Et ludis, & post decisa negocia campo.

Nunc

Nunc pars eius mœnibus inclusa, & uarijs ædificijs occupata est. Campi autem solius nomine, propter celebritatẽ, Martius intelligitur. Horatius III. Carm. —— hic generosior
Descendat in Campum petitor.

Sylla ciuili sanguine campum maculauit, qui, ut Florus scribit, quatuor hominum millia: ut auctor illustrium uirorum, nouem: ut Valerius, quatuor legiones Marianas in eo, contra fidem publicam obtruncari iussit.

Martialis,

In Cœlio, à Martio denominatus. hic ad superioris differẽtiam, Minor campus appellatur à Catullo,
Te quæsiuimus in minore campo,
Te in Circo. ——

Tiberi autem Martium inundante, in Martialem, hoc est, è plano Vrbis loco in magis editum, ludorum pompa transferebatur. auctores sunt Festus & Ouidius 3. Fast.
Altera gramineo spectabis Equiria campo,
Quem Tiberis curuis in latus urget equis.
Qui tamen ejecta si fortè tenebitur unda,
Cœlius accipiet puluerulentus equos.

Esquilinus,

Inter aggeres Tarquinij, & urbis mœnia, septentrionem uersus. In eo ante Augusti principatum cadauera

uera cremabantur, à Mecœnate conuersus in hortos, & his temporibus uinetis consitus.

Viminalis,

Post Diocletiani thermas, porrectus ad muros: hodie Viuarij campus, partim consitus, partim uastus, & repletus uarij generis uiminibus.

Agrippæ,

In radicibus Quirinalis, regione uiæ latæ.

Vaticanus,

Planicies illa patens, & à Ianiculo ad Tiberim diffusa, protensaq; in lõgum, à sinistra mœnibus cincta: nunc ex magna parte habitata.

Figulinus,

Ad Auentini latus, quo fluuium spectat, lata planicies, in qua hodie Equiria, ut olim in campo Martio, fiunt. Excluſus autem urbe campus est, ut antè dixi, à Paulo Tertio, mœnibus in Auentini latere rectà ductis ad portam Trigeminam. In campo Figulino collis est ex fractis figulorũ testis congestus, formam habens cucurbitæ: quẽ montem Testaceũ appellant.

Floræ,

A Flora Pompeij liberta, ut aiunt. in hoc campo Pompeiani theatri extant uestigia. Spacio non magnus, sed satis celebris. Profestis diebus uariæ in eo merces uenduntur: festis autem, præcipuè equi.

Agonius,

Inter uallem Martiam, & circum Flaminium, nomen

men uetus retinet: & in eo nunc commune forum rerum uenalium.

DE TEMPLIS GENTILIVM IN Templa sanctorum mutatis. Cap. IX.

DE sacris ædibus M. Varro diligenter scripsit: & recentiores, quos initio nominaui, ex antiquis multas collegerunt, quorum labori & studijs uolo honorem haberi suum. Hoc uerò capite de ijs tantum deorum templis dicam, quæ nunc ex antiquitate restant, & in nostrorum sanctorum sunt mutata: sequenti uerò addam ea, quæ omissa sunt ab alijs. Olim igitur aut singulis dijs erant dicata templa, aut duo pluresúe consors habebant delubrum: unde ὁμωχέται καὶ συνναοι sunt appellati. Romæ in domo ciuis priuati,

ΔΙΙ ΗΛΙΩι
ΜΕΓΑΛΩι
CΑΡΑΠΙΔΙ
ΚΑΙ ΤΟΙC CΥΝΝΑ
ΟΙC ΘΕΟΙC

Eadem ratione Carthagine, coniuncta templa habuerunt Ceres & Bacchus, quia uictui humano præbent necessaria: ijsq; adiunctus Phœbus, prudentiæ deus, qui admoneret, deorum muneribus esse moderatè &

ratè & sapienter utendum. Quamuis autem multa in uno templo culta numina sunt: tamen ab eo quod præcipuum fuit, appellationem obtinuit. Vt Iouis Capitolini, cui adiũcta fuit Iuno & Minerua: Apollinis Palatini, cui Latona & Diana. Apud Romanos munus tuendi sarta tecta templorum primùm Censoribus, post eos Aedilibus fuit demandatum. In uetustatis monumentis & Conseruatores ædium sacrarũ, & Duumuiri fanorũ legũtur. Nunc ad templa, primùm plurium deorum, deinde singulorum, accedamus.

Iouis, Mineruę, Iunonis,

S. Saluatoris in Maximis, in ea Capitolij parte, quæ occasum uersus, fòrum Holitorium respicit. Hoc templum dicatum statim post eiectos reges, ut scribit Polybius. in eo mediam ædem tenuit Iupiter, dextram Minerua, sinistram Iuno, sub uno tecto atque pinnaculo. Ex hoc intelligitur locus Ouidij, qui est 2 Trist.

Cùm fuerit Iouis æde, Iouis succurret in æde.
Quàm multas matres fecerit ille deus.

Proxima adoranti Iunonis templa, subibit,
Pellicibus multis indoluisse deam.

Pallade conspecta, natum de crimine uirgo
Sustulerit quare, quæret, Erichthonium.

Item alter in Consolatione ad Liuiam:

Iuppiter antè dedit fati mala signa cruenti,
Flammifera petijt cùm tria templa manu.
Iunonisq; graui nocte, impauidæq; Mineruæ,

Et sancta

Et sancta immensi Cæsaris icta manu.

Scribunt de eodem templo Macrobius & Seruius, & eius magnificentiam à fundamentis describit Dionysius, commendat Marcellinus. Idem templum cum porticu post incendium esse restitutum maiore luxu, quàm fuerit conditum, testantur lib. 4. Dionysius, et lib. 9. Martialis. De eo templo, quod ambitum octo iugerum habuit, ut scribit Dionysius: & quod ipsi cœlo comparauit Martialis, nunc ne uestigium quidem ullum relictum est.

Herculis, Musarum,

Nunc S. Luciæ in apothecis obscuris, in aditu circi Flaminij. Ouid. 6. Fast.

Dicite Pierides, qui uos addixerit isti,
Cui dedit inuitas uicta nouerca manus?

Idem de eodem loquitur lib. 3. de Arte:

Fœmina procedit densissima crinibus emptis,
Proq; suis alios efficit ære suos.
Nec rubor est emisse palàm: uænire uidemus
Herculis ante oculos, uirgineumq; chorum.

Porticum huic addidit Martius Philippus ornatissimam: de qua infrà.

Veneris & Cupidinis,

Nunc S. Crucis in Hierusalem, in monte Cœlio. Pauimentum eius tessellatum è uario marmore, & aurata laquearia. Ab Helena Constantini matre in

pios usus conuersum. Fuit antiquitus palatium Soranum, ut scribit Ado Viennensis.

Romuli & Remi,

Nunc SS. Cosmæ & Damiani, in uia Sacra, prope turrim Comitum dictam. posterior eius pars quadrata, prior sphærica, cum rotunda & unica tantum fenestra, lumen in medio tecti præbente: & excipiente imbres ac pluuias, facta in pauimento fossula. Aeneæ ei ualuæ sunt, & ex porticu tres columnæ reliquæ. Quondam per aliquot gradus in id ascendebatur: nunc per sex descenditur, adeò ex ruinis antiquorum ædificiorum altius solum factum est, ut pressa & humilia nunc sint, quæ aliquando eminuerunt. Alij hoc uolunt Castoris & Pollucis fuisse, sed errant. illorum enim ædes (si Suetonio & Ouidio fides est) in foro ad lacum Iuturnæ fuit, eiq; proximum cum templũ Iulij Cæsaris, ut idem Ouid. lib. 2 de Ponto: tum Domitiani, ut inquit in 9 Martialis.

Aesculapij & Salutis,

Nunc S. Mariæ nouæ, secundum Pomponium Lætum, in fine fori Romani: ex ruinis antiqui, hoc nouum iam ædificatum. In horto templo huic adiuncto, duo fornices uetustate collapsi, e regione inter se positi conspiciuntur, quos Victor uidetur dicere Isidis & Sarapidis. Marlianus conijcit reliquias esse templi Solis & Lunæ. Flauius fuisse opinatur Aesculapij &

lapij & Apollinis, Poggius Castoris & Pollucis, quibus minimè assentior.

Saturni & Opis,

Nunc S. Mariæ in porticu, in regione Ripæ.

Martis & Veneris,

Nunc S. Mariæ rotundæ, de quo in Ioue Vltore prolixè agetur.

Iouis Capitolini,

S. Saluatoris in Maximis, de quo initio capitis.

Hoc & Iouis Opt. Max. à plerisque & Iouis Latij à Propertio dictum, libro tertio:

A Assuescent Latio Partha tropæa Ioui.

Iouis Superi à Catullo, quòd in altissima montis parte esset:

In templo superi Iouis sacrato.

Idem ornatissimum fuit. Martialis lib. 10.

Nec Capitolini summum penetrale Tonantis,
Quæq; nitent cœlo proxima templa suo.

In eo homines religionis caussa incubabant. Ad quod alludit Plautus in Curc.

Siquidem incubare Ioui uelint, qui peieraverint,

Locus non præberi potis est in Capitolio.

Ad id uictimas gratulationis caussa mactabant. Ouid. 3. Fast.

A Ad penetrale Numæ, Capitolinumq; Tonantem,
Inq; Iouis summa cæditur arce bidens. Id suo tempore prodigioso fulmine tactum, scripsit libro 11. De

consulatu suo Cicero: Ipse suos quondam tumulos ac templa petiuit, Et Capitolinis iniecit sedibus ignes.

Iouis Statoris,

Nunc S. Mariæ de pœnis inferni. Cõtra ædẽ Vestæ in Palatini radicibus, clarè monstrãte Ouidio 6. Fast.

Tempus idem Statoris erit, quod Romulus olim
Ante Palatini condidit ora iugi.

Martialis Palatinum Iouem nouum, Capitolinum ueterem appellat lib. 7.

Inde nouum, ueterem prospicis inde Iouem.

Iouis Feretrij,

Nunc S. Mariæ in ara cœli. Olim fuit fanum exiguum, & magis fama quàm magnificentia notum. Cognominis caussam eruditè explicat Propertius libro ultimo,

—— causa Feretri,
Omine quod certo dux ferit ante ducem.
Seu quia uicta suis humeris hæc arma ferebant.
Hinc Feretri dicta est ara superba Iouis.

Alias præterea eius nominis causas affert Dionysius.

Iouis Vltoris,

Nunc S. Mariæ rotundæ, & omnium Sanctorum. Aliquando Cybeli sacrũ: cuius deæ caput antiqui opere ex saxi, cum duobus piscibus muro templi inclusum adhuc cernitur: à M. Agrippa Pantheum, quasi πάν τῶν πάντων θεῶν dictũ: Marti tandẽ ac Veneri, quæ auctores urbis Rom. habiti sunt, ut Liuius & Lucretius scri-

tius scribunt, consecratum. Hoc Bonifacius III Pontifex, à Phoca Imp. qui rem pontificiam auxit atq; extulit, acceptum, beatæ Virgini & omnibus Sanctis dicauit. fuitq; primùm dictũ, Virgo ad martyres: sicuti nunc à circulari forma, S. Maria rotunda. Altũ est pedes 144. totidem latum. Contignationes æneis trabibus canaliũ modo cõpactæ, pedũ 40. ut testatur Bap. Leo. Valuæ ingẽtes, item trabes ex ære Corinthio, & inauratæ, lithostrotum uarij marmoris, aræ duæ marmoreæ, sex marmoratæ. Interstitia, sex colũnarũ spacio distãtia. Testudo tẽpli laqueata, uacuis circũquaq; spacijs relictis, ne nimio pondere ædificiũ premeretur. Nulla fenestra penitus inest, nisi in medio foramẽ sphæricum æneis inauratisq; trabibus fultum, quod lumen præbet, eiq; in pauimẽto subiectum ad imbres excipiendos impluuium. Ad foramen illud in tecto XL gradibus plumbeis ascenditur: ad quod tectum antequã peruenitur, bini ambitus sunt, ad quorum primum ex imo templi per CL gradus est eundum. Alluſit ad hoc, in Didonis structura, Virgilius:

Aenea cui gradibus surgebant limina, nexæq;
Aere trabes, foribus cardo stridebat ahenis.

Marcellinus lib. 16. Pantheum, regionem teretem, speciosa celsitudine fornicatam, nominat.

In tecto nunc sunt plumbeæ laminæ, quæ olim argenteæ fuerunt, quas Constans Imp. Constantini iunioris filius, detraxit. Gradus ænei ante templum su-

blati, et saxeis permutati sunt. Ascensum ad templum fuit per gradus duodecim, nunc per totidem descendi tur: ex quo intelligitur, ut & antea dicebamus, quàm altè sit ex ruinis solum exaggeratum. Parietes nunc latericij sunt, olim marmoribus incrustati fuerunt. Inter omnia igitur Vrbis opera, nullũ admirabilius, siue molem, siue artem, siue impensam consideres. nullum etiam ex antiquissimis integrius: nam nec iniectis ignibus Gothi corrũpere aut frangere potuerũt.

Iouis in Insula,

Nunc S. Bartholomæi, descriptum ab Ouidio Fastorum:

Accepit Phœbo nymphaq; Coronide natum
Insula, diuidua quam premit amnis aqua.
Iuppiter in parte est, cœpit locus unus utrunq;,
Iunctaq; sunt magno templa nepotis auo.

In eo quatuor columnæ ex ophite, & porphyretico labrum, cum tabula ex marmore Pario, qua uix pulchriorem uidi.

Saturni in Capitolio,

S. Saluatoris in Statera, infra saxum Carmentæ, seu rupem Tarpeiam, cuius nunc semidiruta turris extat, reliqua pars tabernis occupata est. Mira mehercule rerum mutatio. Traiani & Seueri temporibus ex tabernis tẽpla facta sunt à Christianis, id permittentibus ethnicis Imperatoribus: nunc ex templis tabernæ

tabernæ fiunt, comprobantibus, aut certè conniuentibus Episcopis, & Pontifice maximo.

Saturni in foro,

Nunc S. Hadriani, antè forum est Romanum, pòst Neruæ, à latere Cæsaris, unde in Tribus foris uulgò dicitur. Valuæ sunt æneæ antiquæ. In eo olim ærariũ populi Romani fuit. Legitur in antiquis monumentis, si quis aut testamenta corrupisset, aut uiolasset sepulchra, pœnæ loco additum,

INFERAT AER. POPVLI
ROMANI. Item,
INFERAT AERARIO
SATVRNI.

Vnde & acta, quæ susceptis liberis parentes facie bant, in eodem conseruabantur, & omnium ciuium Romanorum nomina, ut antea de tribubus dictũ est, descripta. Erant eiusdem certi magistratus, ut præfectus ærario, item ærarij curatores, ærarij scribæ, ærarij sodales, ærarij quæstores, & tribuni ærarij. Nomen accepit ærarium, cum aurum argentumq; nondum signaretur. Vnde ab hoc templo æs Saturnium dicitur Persio. Officina autem cudendi æris in arce fuit, eo loco, in quo primùm domus regis Tatij, postea M. Manlij extiterat. Nummularius officinæ monetæ, M. Vlpius Secundus in inscriptione Romana nominatur.

Apollinis Palatini,

S. Lucia in Palatio. Hoc & Apollinis Actiaci, & Naualis, & Parætonij dicitur, quod Augustus deuicto Antonio & Cleopatra, ex marmore (ut Seruius testatur) Lunensi fecit. Nullum fuit Poetis celebrius, nullum donis opulentius. siquidem Augustus aureas argenteasq; statuas sui honoris gratia positas, huic tẽ plo donauit: nullum deniq; opere splendoreq; magnificentius. Templum ipsum ad Deliaci formã fictum, & è solido marmore extructum. Supra portam aureus solis currus cum equis quatuor. Valuæ ex nitidissimo ebore, in quibus exsculpta Apollinis prælia atq; victoriæ contra Brennum ducem Gallorum, & contra Nioben Thebanorum reginam. In templo statuæ togati Apollinis sumptuosissima, media inter statuas Latonæ matris, & Dianæ sororis. quæ omnia luculenter Propertius describit lib. II.

Tum medium claro surgebat marmore templum,
Et patria Phœbo carius Ortygia.
Auro Solis erat supra fastigia currus,
Et ualuæ Libyci nobile dentis opus.
Altera deiectos Parnasi uertice Gallos,
Altera mœrebat funera Tantalidos.
Deinde inter matrem Deus ipse, interq; sororem,
Pythius in longa carmina ueste sonat.

Virg. VIII Aen. de scuto Aeneæ, in quo Augusti Cæsaris triumphi expressi erant:

Ipse

Ipse sedens niueo candentis limine Phœbi,
Dona recognoscit populorum, aptatq; superbis
Postibus. ——

Huius ne uestigia quidem relicta sunt, diruto etiam S. Luciæ sacello. Adiunctæ ei fuerunt bibliothecæ insignes, cum lychnis ardentibus odoratis.

Apollinis Capitolini,

S. Mariæ sub Capitolio, inter forum holitorium, & circum Flaminium, extra portam olim Carmentalem, ut ait Asconius.

Apollinis Vaticani,

Nũc S. Petronillæ, iuxta uiam olim Triũphalem.

Apollinis circi Flaminij,

Nunc S. Apollinaris, ut Flauius Blondus, & Pomponius Sabinus sentiunt.

Martis Vltoris,

Nunc S. Martinæ, in foro Augusti, unum ex maximis & sumptuosissimis cùm opere, tum artificio: quod his uersibus celebrat Ouid. v. Fast.

Vltor ad ipse suos cœlo descendit honores,
Templaq; in Augusto conspicienda foro.
Digna Gigantei sunt hæc delubra trophæis:
Hinc fera Gradiuum bella mouere decet.
Prospicit armipotens operis fastigia summi,
Et probat inuictos illa tenere deos.
Perspicit in foribus diuersæ tela figuræ,
Armaq; terrarum milite uicta suo.

Hinc

Hinc uidet Aenean oneratum pondere caro,
Et tot Iulææ nobilitatis auos.
Hinc uidet Iliadem humeris ducis arma ferentem,
Claraq; dispositis acta subesse uiris.

In aditu templi ante fores ab utroq; latere, Martis & Veneris statuæ erant, eodem testante II. *Trist.*

Stat Venus Vltori iuncta uiro, ante fores.

Iungi autem has statuas solitas, Claudiani iocus indicat, de Veneris statua magnetica, & Martis ferrea. Ad idem templum Apellis tabulam posuit Augustus, in qua Alexander triumphans, Belli imaginem uinctis ad tergum manibus quasi captiuam ducit. quam rem in Augusti gratiam uidetur notasse doctissimus poeta:

——furor impius intus
Sæua sedens super arma, & centum uinctus ahenis
Post tergum nodis, fremit horridus ore cruento.

Nunc in eo templo picta cohors Romana, cuius uexillifer pro signo labrum habet. Fuerunt & alia Martis Vltoris templa: de quibus sequenti capite.

Martis in Vaticano,

Nunc S. Mariæ de febribus, ad sinistram ingredienti basilicam S. Petri.

Herculis Victoris,

Nunc S. Alexij in Auentino ad occasum, Tiberim & portam Trigeminam uersus. Virgil. VIII. *Aen.*

——Hæc li-

—— Hæc limina uictor
Alcides subijt. ——

In eo non licebat esse (ut in alijs) lectisternium, nec cuiquam nisi ingenuo sacris interesse: auctores Cornelius Balbus, & Seruius grammaticus. Ab eodem mulieres arcebantur, cuius rei caussam prolixè reddit libro quarto Propertius. Talia sacella, à quorum ingressu muliebris sexus arcetur, ne quid paganismo decedat, adhuc Romæ sunt, in S. Petro Vaticano, in S. Ioanne Laterano, in S. Cruce in Hierusalem, in S. Praxedi, in lauacro Constantini, & locis fortasse pluribus.

Herculis,

In eodem monte, nunc S. Priscæ, orientem uersus.

Herculis in ara Maxima,

Nunc S. Mariæ in Cosmedim, post muros scholæ Græcæ. Nomen corruptum est: dicebatur enim S. Mariæ τῶν ἀκουσμάτων. Ara autem maxima, de qua Virgilius, Propertius, Ouidius, poetæ, quæ in foro boario fuit, & longo durauit tempore: non tantùm hoc nomen accepit propter magnitudinem structuræ, uerumetiam propter celebritatem. nam ad eam & iusiurandum fiebat, & firmabantur pacta: & in eadem decimæ de facultatibus offerebantur. Ad hanc arã & eius sacrificia admittebatur omnis ætas: sed nõ omnis ordo atq; sexus, nã arcebãtur serui et mulieres pellebantur inde canes, nec aduolabant ad eã muscæ.

Romuli,

Romuli,

Nunc S. Theodori, *in* Velabro, *sub* Palatino: *templum uetus, & sphæricum, cũ rotũda feneſtra, quod in medio tecti lumen præbet: & cum impluuio, quod in ſolo imbres excipit. Alij Panos Lycæi antiquitus fuiſſe autumant.*

Neptuni,

Nunc S. Blaſij, *ad ripam Tiberis, in uico qui modò Iulius appellatur.*

Neptuni equeſtris,

Nunc S. Anaſtaſiæ, *in radicibus* Palatini, *ante Circum maximum. Annis ſuperioribus poſt huius diuæ ædem, ſacellum ſubterraneum inuentum, quod parietes conchis ornatos habuit, & in medio teſtudinis aquilam albam, cum criſta rubra. Hoc ſe uidiſſe, Marlianus & Gyraldus teſtantur: nobis ad id acceſſus nõ patuit. Neptunus equeſtris, alio nomine Conſus appellatus, quòd conſiliorum ſecretorum deus eſſet.*

Caſtoris,

Nunc S. Laurentij *in* Miranda, *inter Fauſtinæ uetus templum & porticum, foro* Romano *adiacens. Plaut. in Curc. recenſens loca circa forum:*

Pone ædẽ Caſtoris, ibi ſunt ſubitò quib. credas malè.

—— *In Caſtoris templo ſomniorum interpretes incubarunt, ut eſt apud Perſij interpretem.*

Aeſculapij,

Nunc S. Ioãnis Coleuitæ, *in inſula Tiberina. In hoc incuba*

incubabãtægroti,ualetudinis cauſſa.unde qui morbo leuatus non erat,apud Plautũ his uerbis incuſat deũ:

Migrare certum eſt iam nunc è fano foras,
Quando Aeſculapi ita ſentio ſententiam.

Prope hoc templum in horto,nauis eſt prælonga, ex Thaſio (ut ferunt) lapide, cuius inſigne eſt caput Tauri,& à latere ſimulacrum Serpentis.

Bacchi,

Nunc S. Conſtantiæ, extra portam Viminalem, in uia Numentana,circulare,& uermiculato opere, columnisq; duodecim in gyrum diſpoſitis ſuſtentatum,tribus inter ſe coniunctis, inter quas aliquo ſpacio relicto,aliæ eodem modo ſubiunguntur.Vidi pro pè in ſepulchri fracto marmore, Bacchantium turbam,qui angues ore geſtarent,& caprum ducerent: de quo more Prudentius, Chriſtianus poeta, in ſuis grauiſsimis libris contra Symmachum ſcribit,

——— Baccho caper omnibus aris
Cæditur,& uirides diſcindunt ore chelydros,

Qui Bromiũ placare uolunt:quod & ebria iam tum Ante oculos regis Satyrorũ inſania fecit. In ipſo tẽploſepulchrũ porphyreticũ, in quo pueri nudi et alati ſunt cũ bullis in collo, bacillis in manib. quorũ alij manuas colligũt,alij cõportãt,alij ſeſe amplexãtes exp: i mmunt pedib. iuxta quos auiculæ ſunt,et aries uilloſus.

Fauni,

Nunc S. Stephani in Cœlio ſphæricum, & colum nis in

nis in orbem æqualiter dispositis ornatum. Columnarum ordo triplex fuit: in interiore, columnæ XX, cum pilis duabus: in medio, XLII. qui ordo nũc pro muro est. extremi ordinis tantũ rudera in adiũcto horto apparent. Fuit igitur terno ambitu, quasi porticibus ampliſsimum. Structura unum ex pulcherrimis, tempore ex antiquiſsimis, ſpacio ex ampliſsimis.

Siluani,

Nunc S. Agathæ ſub Viminali, in uia Suburana, cuius mentio in teſtamento Galli Fauonij.

Mercurij,

Nunc S. Angeli in piſcina, in foro piſcario.

Boni euentus,

Nunc S. Euſtachij, proximè Pantheum.

Hadriani,

Nunc S. Mariæ Tranſpontinæ, ſiue Carmelitarũ, trans pontem Aelium, e regione ſepulchri ipſius. Hoc templum Hadriano Antoninus Pius contra uota penè omnium dicauit.

Iunonis Lucinæ,

Nunc S. Laurentij in Lucina, in campo Martio. habet columnas ophiticas & porphyreticas. De hoc templo Ouid. III. Faſtorum:

Iunonis Matutæ,

Nunc S. Nicolai in Mentuza, in foro holitorio. Ouid. VI Faſtorum:

Hæc ubi luce ferunt Matutæ ſacra parenti,

Sceptri-

Sceptriferas ſerui templa dediſſe manus.

Iunonis Capitolinæ,

S. Saluatoris in Maximis, cum Iouis delubro coniunctum. Vnde Ouid. in Faſt.

Hic color, hic teneo cum Ioue templa meo.
& ibidem, —— dicor matrona Tonantis,
Iunctaq; Tarpeio ſunt mea templa Ioui.

Veſtæ,

Nunc S. Mariæ de Gratia, in ualle quæ inter Palatinum & Capitolinum eſt. Sphæricum eſt, de quo ſatis planè & perſpicuè idem, VI *Faſt.*

Hic locus exiguæ qui ſuſtinet atria Veſtæ,
Tunc erat intonſi regia magna Numæ.
Arte Syracuſia ſuſpenſus in aere clauſo
Stat globus, immenſi parua figura poli.
Et quantum à ſummis, tantum ſeceſſit ab imis
Terra: quod ut fiat, forma rotunda facit.
Par facies templi, nullus procurrit in illo
Angulus, à pluuio uendicat imbre tholus.

Veſtæ in foro Boario,

Nunc S. Stephani, paruum & rotundum, & in ambitu decem & octo columnis incluſum. De hoc maximè diuerſæ ſunt ſcribentium opiniones. Blondus & Marlianus affirmant Veſtæ fuiſſe, Volaterranus Herculis, Lætus Matutæ, Albertinus Dianæ, neſcio quis alius Auroræ.

Fortunæ Virilis,

Nunc S. Mariæ Aegyptiacæ, ad ripam Tiberis iuxta pontem Palatinum, ex lapide quadrato, cum tectorio ad regulam antiquorum facto: columnæ ex latere utroq; septem, duæ in frontibus. Porticus parua columnarum quatuor, & ante aram totidem. Ad ortum æstiuum parieti inserta columella ex alabastro, quæ claro solis ortu, luce perspicua, & lumine fulgente incendit parietes. Ouid. IIII. Fast.

Dicite nunc quare Fortunæ thura Virili
Detis, eo gelida qui locus humet aqua.

Simulachrũ huius Deæ duabus undulatis togis fuit opertum, perinde ut olim reges Romani undulatas & prætextas togas soliti sunt gestare: ita Varro libro primo de Vita populi Rom. Est autem conditum à Seruio Tullio, cum alio templo bonæ fortunæ, in foro boario: ut memoriæ prodidit Dionysius.

Fortis Fortunæ,

Nunc S. Cosmati, trans Tiberim sub Ianiculo, in hortis Cæsaris Dictatoris, quos ipse populo Rom. legauerat: ut Tacitus narrat. Terentius Scaurus: Fœdus Græciæ (inquit) camelo æreo in hortis Cæsaris, ædi Fortis Fortunæ incisum, & pro porta positum. De eodem horto & templo Suetonius. Fuerunt & alia Fortis fortunæ templa, ut ex Varrone & Liuio conijcimus. Colebatur ab infimæ conditionis hominibus, nimirum ab operarijs, rusticis, seruis, & (ut Terentij interpres

interpres ait) ab omnibus qui sine arte aliqua uiuerent. Columella in libro de Hortis:

Allia cum cepis, cereale papauer anetho
Iungite, dumq; uirent, nexos deferte maniplos,
Et celebres Fortis Fortunæ dicite laudes.

Ne quis autem hoc ignoret, hæc dea Fors fortuna, ut à Comicis seruis inuocatur, non Fortis fortuna, in quo aliquos errore lapsos uidemus, appellata fuit. Fortuna culta fuit, quæ posset prodesse & obesse: Fors Fortuna, quæ tantum prodesse. illa Fortuna dubia dicta est, & templum habuit in Auentino: hæc Fors Fortuna, quæ in ripa Tiberis. Cicero: Fors domina, inquit, campi. nulla adiectione facta. ita Tibullus, Fors iuuat audentes.

Isidis iuxta Ouilia,

Nunc S. Marcelli, in uia lata, ut Victor: non procul à Septis, ut Iuuenalis:

A A' Meroe portabat aquas, quas spargat in ædem
Isidis, antiquo quæ proxima surgit Ouili.

Isidis in circo Flaminio,

Nunc S. Mariæ in Equiro, quòd in eo loco fierent Equiria.

Isidis in uia Appia,

Nunc S. Nerei, inter S. Sixtum, & thermas Antoninianas, ad caput uiæ nouæ. Huius deæ opem in recuperata ualetudine experti, tabellas ei suspendebãt. Vnde Tibullus, —— nam posse mederi

Picta docet templis multa tabella tuis.

Hic mos tabellas de parietib. templorũ suspendendi, in tota adhuc durat Italia. Isidis sacra quomodo sublata, & quam ob causam sacerdotes urbe pulsi, & templa diruta sint, Iosephus docet in Antiqu. libro XVIII.

Telluris,

Nunc S. Pantaleonis in Subura, intra Carinas. Aedificatum in area domus Caßij, qui regni affectati pœnas dedit: auctores Cicero & Valerius.

Honoris & Virtutis,

Nunc S. Sixti, ex aliquorum sententia, quæ mihi falsa uidetur. Propinquius enim portæ Capenæ fuit, quàm nunc hoc recens est.

Carmentæ,

S. Catharinæ, sub rupe Tarpeia.

Pietatis,

Nunc S. Saluatoris de pietate. Iulius Obsequens ponit hoc templum in Circo Flaminio, Victor in foro holitorio: Plinius eo loco, ubi postea theatrũ Marcelli fuit. Vnius loci uaria designatio, quamuis eadem sit ab adiacentium locorum uicinitate sumpta. Aliquando eodem in loco carcer plebis erat, in quo cùm filia matrem uinctam suis uberibus aluisset, impunitas illi concessa, & locus Pietatis numini dicatus est.

Dianæ Auentinæ,

Nunc S. Sabinæ, supra Tiberim, occasum uersus, ad

Seruio o

Seruio Tullio rege conditum. Horatius in Epodis:

Quæq; Auentinum tenet, Algidumq;,
Quindecim Diana preces uirorum
Curet. ——

Antiquum marmor Salonæ in Dalmatia de hoc templo testatur, CAETERAE LEGES EAEDEM SONTO, QVAE ARAE DIANAE SONTO IN AVENTINO MONTE DICATAE. Hoc templum Gracchus prophanauit, qui ab Opimio oppressus est.

Dianæ in Cœlio,

Nunc S. Ioannis Euangelistæ, ante portam Latinam, minimum, & nullorum planè ornamentorum.

Bonæ deæ,

Nunc S. Mariæ Auentinæ, in medio penè eius montis, quà Tiberim spectat. Situm depingit Ouid. v. Fast.

Est moles natiua loco, res nomina fecit,
Appellant saxum, pars bona montis ea est.
Huic Remus instituerat frustra, quo tempore fratri
Prima Palatinæ regna dedistis aues.
Templa patres illic, oculos exosa uiriles,
Leniter accliui constituere iugo.
Dedicat hæc ueteris Clausorum nominis hæres,
Virgineo nullum corpore passa uirum:
Liuia restituit. ——

Mineruæ,

Nunc S. Mariæ supra Mineruam, post Pantheum.

In hoc fuit breuiarium rerum in oriente gestarum à Pompeio Magno. quod legitur apud Plinium lib. VI, cap. XXVI.

Mineruæ Capitolinæ,

S. Saluatoris in Maximis, Iouis Capitolini delubro coniunctum. Vnde bene cecinit poeta antiquus,

Vtq; Palatinis Capitolia condita saxis
Signarent titulo proaui Iouis, atq; Pelasgæ
Palladis, & Libyca Iunonem ex arce uocarent.

Veneris Victricis,

Nunc S. Mariæ in Cripta picta, uicinum Pompeij theatro, testante III. Trist. Ouidio:

Altera templa peto, uicino iuncta Theatro:
Hæc quoq; erant pedibus non adeunda meis.

Veneris theatri Pompeiani,

Nunc S. Barbaræ. In hoc Catia cum duobus adulteris libidinem sub uelo publicè exercuit: ut auctor est interpres Horatij.

Salutis,

Nunc S. Vitalis, in ualle Quirinali. Ouid. I. Fastor. Ianus adorandus, cumq; hoc Concordia mitis,
Et Romana Salus, araq; Pacis erit.

Hæc ædes à C. Iunio Bubulco dicata, à Fabio Pictore coloribus ornata.

Quietis,

Nunc S. Petri & Marcellini, in uia Lauicana, à Constantino in meliorem usum conuersum, quum matrem

matrem suam prope illud in Mausoleo sepeliri uoluit: quod in Siluestro primo asserit Platina.

Concordiæ,

Nunc S. Sergij & Bacchi, infra Capitolium, quà forum respicit. Hoc conditum ex S. C. post secundam seditionem Gracchanam, ut apud Appianum legitur. Fuerunt & alia duo, unum in arce, alterum supra Comitium, ad Vulcani aream.

Sciendum est, cùm temporis uerbum omisimus, loci nomine simpliciter notato, & uetusta & recentia templa euersa esse. In illis autem uetus magnificentia quærenda non est: & nos quæ posuimus, cùm ad antiquitatis qualiacũq; uestigia cognoscenda, tum ad auctores intelligendos putauimus pertinere. Varro memoriæ prodidit, ornamenta templorum olim lignea & fictilia fuisse, quæ pòst aliquãto ex marmore, ebore atq; auro facta sint. Item Tacitus ait, apud antiquissimos rudi cæmento & informibus tegulis templa fuisse extructa, quæ postea marmore nituerunt, & radiarunt ære atq; auro, non tantum firmis & duraturis parietibus, sed etiam expolitis arte, & splendentibus. Structuræ eorum quæ nunc extant, non uniformes sunt: etenim uarijs ætatibus atque ingenijs uaria placent. Alia sunt circulari forma sine columnis, sine contignatione, sine fenestris, sphærico foramine in tecti medio lucem præbente: quorum præcipuum & amplissimum, S. Mariæ rotundæ, &

post illud S. Mariæ de gratia, item SS. Cosmæ & Damiani, & S. Stephani in foro boario, & S. Theodori. Alia eadem forma, sed plurimo columnarum ordine, et adiunctis fenestris: ut S. Stephani in Cœlio, & S. Constantiæ extra portam Viminalem. Hæc licet ex antiquis cuncta sint, nouis tamen nominibus tanquam notioribus appello. Alia quadrangulari forma, ordine columnarum recto, & plerunq; uno tantum, interdum duplicato, ut in recentioribus illis magnificis, S. Ioannis Laterani in Cœlio, S. Petri in Vaticano, S. Pauli in uia Ostiensi, quod olim etiam multo amplius & cultius fuit. ita enim depingitur in quodam hymno Prudentiano:

Parte alia titulum Pauli, uia seruat Ostiensis,
Quà stringit amnis cespitem sinistrum.
Regia põpa loci est. princeps bonus has sacrauit arces,
Clausitq; magnis ambitum talentis.
Bracteolas trabibus subleuit, ut omnis aurulenta
Lux esset intus, ceu iubar sub ortu.
Subdidit & Parias suluis loquearibus columnas,
Distinguit illic quas quaternus ordo.
Tum camurus hyalo insigni uariè cucurrit arcus:
Sic prata uernis floribus renident.

Tale autem fuit Theodosij Magni temporibus. Nonnulla pilas tantum habent, interiectis columnis, & fenestellas sub ipso tecto: aliàs plures, aliàs paciores, pro reliqui ædificij forma atq; modo. In ipsis tem-

plis plu-

plis plurimæ columnæ precioſæ, ex uarijs diuerſiſq; marmorum generibus. Verùm de his recentibus ſanctorum templis plura dicemus ad finẽ capite ultimo.

IDE TEMPLIS SACELLISque ueteribus, quæ ab alijs omiſſa ſunt. Cap. X.

SVperiore capite dictum eſt de templis prophanis, quæ in diuorum nomina ſunt mutata: hoc autem capite enumerabimus ea, quæ nunc quidem nulla ſunt, ſed apud ueteres fuiſſe leguntur, & à recentioribus ſunt omiſſa: qui tamen in eo, ut colligerent omnia, uidentur elaboraſſe. Quamuis autem ad eam urbem, uel cadauer potius urbis, quod nunc eſt, nihil pertineat hæc diligentia: tamen ad poetas & hiſtoricos intelligendos, quam ob cauſam nos hunc laborem præcipuè ſuſcepimus, hæc uel nominũ cognitio, uel locorum notatio, utilis, ut opinor, futura eſt.

Termini & Iuuentatis.

Manſerunt in Capitolio, cum euocari ſicut cæteri dij, & in locum alium transferri non poſſent. Manſerunt autem in ambitu aræ, tantum ne magnificentia noui ædificij impediretur, iaciente fundamenta Tarquinio Priſco.

Romæ & Salutis,

Hoc memoratur ab antiquis, ſed locus non nominatur. Fortaſſe illud eſt, quod Romanæ Salutis appelat in Faſtis Ouidius.

Veneris & Romæ,

Consors delubrum fuit in uia Sacra, testante id contra Symmachum Prudentio:

Ac Sacram resonare uiam mugitibus, ante
Delubrum Romæ: colitur nam sanguine & ipsa
More Deæ, nomenq; loci ceu numen habetur.
Atq; urbis Venerisq; pari se culmine tollunt
Templa, simul geminis adolentur thura deabus.

Vrbis etiam dies natalis colebatur XII. Kal. Maij. Vrbis sacerdotes memorantur Adicinus Vrbici F. in Lugdunensi marmore: Q. Cæcilius, in Veronēsi. Vrbis Romæ & Salutis M. Tullius M. F. Corn. Cratippus, in alia quadam inscriptione. Hoc autē templum fortasse idem est cū eo quod Seruius Veneris Romæ nominat. Inter singularia certè & digna admiratione loca, Vrbis templum numerat Marcellinus.

Iouis Fagutalis,

In monte Viminali, à luco fageo: de quo Varro, Plinius, Festus, Victor.

Iouis Prædatoris,

In quo prædam hostibus ereptam ponebant. Locus ignoratur: sed fuisse, & ad illud alluisse Virgiliū Seruius scribit, —— ipsumq; uocamus
In prædam partemq; Iouem. ——

Iouis Inuicti,

Et huius nescitur locus. Ouid. VI. Fast.

Idibus Inuicto sunt data templa Ioui.

De eodem

De eodem Augustinus de Ciuitate Dei.

Iouis Tonantis,

In aditu Capitolij, hoc est in ipso cliuo, ut Victor: uel in Capitolio, ut Plinius. Dictum item à loco Iouis Tarpeij, ut in inscriptione Prenestina:

TARPEIO COLERIS VICINA TONANTI.

Eiusdem mentio in antiquis nummis Augusti, qui id templum & condidit, & dedicauit.

Iouis Inuentoris,

Iuxta Salinas sacellum fuit, quod inuentis bobus, & punito Caco, Hercules patri Inuentori dicauit: auctores Dionysius & Solinus.

Iouis Sponsoris,

In Capitolio, dicatum à Sp. Posthumio, Nonis Iunij: eodem Dionysio auctore.

Iouis Custodis,

Hoc imperium adeptus Domitianus posuit, quòd in Vitelliana factione euaserat, seq; in sinu Iouis sacrauit. Ingens fuit templum, locus non exprimitur.

Iouis Propugnatoris,

In Palatio, cuius mentionem inuenimus in antiquis Epigrammatis:

IN AEDE IOVIS PROPVGNATORIS IN LOCVM CLAVDI PATERNI VITA FVNCTI ATERIVS COLONIVS COOPTATVS.

Hæc in-

Hæc inscriptio posita sexto consulatu Commodi Imperatoris, in quo Petronius Septimianus ei collega fuit.

Iouis Conseruatoris,

Hoc quoq; in uetusto epigrammate Romano legimus, non expresso loco. In eo templo signum cum base posuit P. Aelius Coh. VI. Prætoriæ miles, missus honesta missione, Bellicio Torquato & Attilio Glabrione Coss. anno Hadriani Imp. septimo. Ioui conseruatori sacellum cum ara Domitianus extruxit iuxta Velabrum. auctor Tacitus.

Iouis Arbitratoris,

In decima urbis regione ponitur à Victore: & appellatur Pentapylon, quasi quinq; portarum.

Iouis Statoris,

Aliud à superiore, quod Varro de Rebus diuinis in Circo Flaminio posuit. huius certiorem locum Vitruuius indicauit, Metelli porticum, quæ ad eundem Circum fuit.

Iouis Mariani,

In Esquilino, à Mario cum cæteris monumentis conditum. In hoc S. C. factum est, de reuocando Cicerone ab exilio: quod ipsi etiam fuit per somnium significatum, ut scribit Valerius.

Martis bis Vltoris,

Marti Vltori Augustus in foro suo templum erexit bello Philippico, quod patris ulciscendi causa susce pit:

ſcepit: de quo ſuprà dictum eſt. Alterum Marti ſecundùm Vltori, ſeu (ut ipſe dici uoluit) bis Vltori, ſtatuit in Capitolio, in quo ſuſpenſa ſigna ſunt à Parthis redita. Ouid. in Faſt.

Ritè Deo templumq; datum, nomenq; bis Vltor.
Factum hoc fuiſſe ad Iouis Feretrij ſimilitudinem ſcribit Dion, & magnificentiæ cauſa iuxta id fuiſſe conditum, Coniectura ducimur.

Martis in campo,

Hoc antiquiſſimum fuit, & ab eo templo campus ipſe Martius denominatus eſt.

Martis in circo Flaminio,

Cornelius Nepos, citante Priſciano: In circo Flaminio (inquit) fuit ædes Martis, architectata ab Hermodoro Salaminio.

Herculis defenſoris,

Incerti loci, in quo, ut in Iouis Propugnatoris, milites honeſta miſſione miſſi, & gladiatores emeriti, arma clypeoſq; ſuſpendebant. De L. Domitio Valeriano milite, loquitur Romana inſcriptio: de Veianio gladiatore Horatius, —— Veianius armis
Herculis ad poſtem fixis, latet abditus agro.

Herculis extra urbem,

Duo fuerunt: Vnum extra Capenam modicum, ſed frequens, de quo Martialis lib. IIII.
Et quà puſillum ſeruet Herculis fanum.
Alterum extra Latinam, quod ſtatuit Domitianus, longiu-

longiusculè ab Vrbe, cuius lib. I x. idem poeta mentionem facit. Versus positi sunt suprà, ubi de uia Latina agitur.

Apollinis Paciferi,

De hoc in inscriptione antiqua, Romæ:

DEO SANCTO APOLLINI
PACIFERO EX VOTO
LIBES SOLVIT MIL. COHORT.
X. PRETORIAE.

Ex eadem cohorte C. Martius, Genio Centuriæ aram posuit, ut ex alio marmore deprehenditur.

Apollinis Tortoris,

Suetonius in quadam urbis parte locat, sed eam non exprimit: in Augusto.

Genij popularis,

Genio populi Romani, quasi proprio & tutelari Deo, positum templum: cuius mentio apud Dionem, sed locum nondum inuenimus. Genius populi Romani quibusdam nummis antiquis inscriptus est.

Fidij,

In Quirinali. Ouid. v I. Fast.

Hunc igitur ucteres donarunt sede Sabini,
Inq; Quirinali constituere iugo. Hunc Diuũ Fidium usitato & uulgari nomine dixerunt: unde populare iuramentum, me Dius Fidius, ut me Hercules, & me Castor. Repugnare uidetur huic sententiæ marmoris cuiusdam scriptura, quam minimè uetustam iudico: neq;

dico: neque tamen meliora sentienti contradico.

Summani,

Sacellum fuit in fastigio templi Iouis Capitolini, ædes prope Circum maximum. Idem,

Reddita, quisquis is est, Summano templa feruntur,
Tunc, cùm Romanis Pyrrhe timendus eras.

Iani,

Iuxta forum Olitorium: quod, quia pugna nauali primus prosperè rem gesserat, struxit C. Duillius, longo post tempore instaurauit Tiberius.

Mutini,

Aduersum murum Mustellinum, ut inquit Festus, Huic mulieres uelatæ togis prætextatis solitæ sunt sacrificare: & nouæ nuptæ iubebantur eius turpi simulacro insidere.

Solis,

Templum uetus apud Circum, refertur à Tacito.

Sarapidis,

M. Aurelius Antoninus in pontificatu suo, posuit circa eum locum, ubi nunc S. Stephanus de Trullio.

Adonidis,

Refertur ab Ouidio in Arte, non expresso loco.

Iani Curiatij,

Prope tẽplũ Iunonis Sororiæ, de quo mox dicemus.

Sangi,

Locus ignoratur: ponitur à Varrone & Plinio.

In eo

In eo lana, colus, & fusus reginæ Tanaquilis fuerunt consecrata.

Quirini,

De nouo ædificatum ab Augusto, & LXXVI columnis ornatum: quasi fatali præsagio. totidem enim annos, quot columnas posuera, tsuperstes fuit. Locus non ostenditur à Dione. Cùm plura Quirini templa fuerint: ego suspicor id esse, quod in ualle Quirinali fuit, porticu insigne.

Iulij,

In foro medio, eo in loco, in quo ipse crematus est, extructum: ut auctor est Appianus. De eodem Ouid. III. Fast. & IIII. de Ponto.

Augusti,

Duo fuerunt: alterum in Palatino, quod Liuia Augusti coniunx fecerat, Vespasiani dominatu, publico consumptum incendio: alterum in foro, à Tiberio Cæsare extructum.

Claudij,

Hoc à Porphirione nominatur, sed locus non designatur.

Iunonis Capratinæ,

Extra urbem, cui sub caprifico faciebant mulieres, ex eadem arbore uirgas ramosq; circumferentes: Varrone & Festo auctoribus. Templum frequentabatur Nonis Quintilibus, quæ inde Capratinæ dictæ sunt. Origo talis fuit. Fidenates post urbem à Gallis incensam,

incensam, si reliquias saluas esse uellent, Romanos co
ggere uoluerunt, ut omnes puellas & matres familiás
sibi traderent. Patribus igitur dubijs, & de suorum
pudicitia ac Reip. summa sollicitis, ancillæ se ituras
Philoti quadam suadente promiserunt: quæ cùm do-
minarum habitu profectæ essent, per castra distribu-
tæ, hostes uino inuitauerunt: illisq; sopitis, signum Ro
manis ex caprifico dederunt: quo dolo & pœna de
hostibus sumpta est, & Romanarum matronarum fa
ma conseruata. In huius beneficij memoriã ingenuæ
simul & seruæ Iunonis Capratinæ diem solennem
celebrabant.

Iunonis Sororiæ,

Prope Carinas, ad cliuum Suburanum, qui nunc
ducit ad ædem S. Petri in uinculis, à Sororio Tigillo
nomen habens, quod cum Iano Curiatio dicauit Ho-
ratius, unus ex Trigeminis uictor contra Curiatios,
ut inquit Festus.

Veneris Capitolinæ,

De hoc in Caligula & Galba Suetonius.

Veneris Romanæ,

Si licet coniecturam sequi, puto hoc Veneris &
Romæ delubrum fuisse, de quo huius capitis initio,
& capite secundo suprà dictum est. Hæc alio nomine
Venus genitrix, de qua Lucretius:

Aeneadûm genitrix.

Huic non thure solum, ut Veneri Paphiæ, sed etiam

uictimis sacrificabatur, ut ait Seruius, tanquam primariæ & genitrici.

Veneris Genitricis,

Hoc aliud à Venere Romana genitrice: nam hoc in foro suo posuit Iulius Cæsar, qui à Venere se prognatum ferebat, eiq; spolia de hostibus dedicauit, ut thoracem de margaritis Britanicis, & in ea statuam posuit nondum planè ab artifice absolutam, quia dedicari ædem festinabat. Dedicata autem est ædes ab Augusto, & statua ænea in ea collocata Cæsari Diuo, cum stella crinita supra caput ipsius fulgente, quia eiusmodi post mortem eius stella uisa est.

Veneris Lubentinæ,

Locus ignoratur: de templo scribunt Cicero, Varro, Marcellus. Solebant puellæ, quæ excesserant annos puericiæ, pupas ætatis suæ insignia huic dicare Veneri: ut ex Persio docemur. Eodem modo pueri bullas dijs suspendere penatibus, cirrhos ad Apollinem ponere consueuerant: illud Asconius, hoc Varro tradidit.

Veneris Verticordiæ,

Extra Collinam, uia Salaria. Huius ædes facta, cùm tres Vestales uno tempore incestum commisissent (ut ait Iulius Obsequens) ut puellarũ animos lasciuos ad castitatem uerteret. De eodem Valerius, & Ouid. I III. Fast.

Roma pudicitia proauorum tempore lapsa,

Cumæam

Cumæam ueteres consuluistis anum.
Templa iubet Veneri fieri: quibus ordine factis,
Inde Venus uerso nomine corda tenet.

Veneris Erycinæ,

Intra Collinam portam, quod alij extra eandem opponunt, *etiam contra Strabonis sententiam. Locum* hic demonstrat Ouid. II. de Remed.

Est prope Collinam templum uenerabile portam,
Imposuit templo nomina celsus Eryx.

Hoc fuisse ex nominatissimis, constat ex Appiano lib. primo Belli ciuilis.

Veneris Cluacinæ,

In ea fori parte, quo Romani & Sabini armis depositis pacem inierunt, & facto sacrificio se purgauerunt. Hoc templum à Tatio rege constructum. Eius locum, cùm iuxta forum fuerit, uariè designant auctores. nam Ouidius ait, prope uiam Sacram fuisse: Plautus prope Comitium, in Curc.

Qui periurum hominem uult conuenire, mitto in Comitium:

Qui mendacē et glorioſum, apud Cluacinæ sacrū.

Liuius III. ab V.C. ad Tabernas fuisse indicat. Dicta Cluacina, quòd cluere antiqui purgare dicebant, ut Plinius inquit lib. XV. Marlianus Cloacinam uocat, & diuersam eius nominis etymologiam affert: secutus auctorem, ni fallor, Lactantium.

Pudicitiæ Patriciæ,

In foro boario, quod condidit Aemilius.

Pudicitiæ Plebeiæ,

In uico Tusco, quod Virginia struxit, cùm ex altero propter ignobilitatem fuisset electa. Allusit poeta ad utrunque:

Templa Pudicitiæ quid opus statuisse puellis? quasi dicat, nõ minus patricias, quàm de plebe mulieres, contemptu religionis peccare.

Fortunæ Malæ,

Templum, seu (ut Cicero ait) ara, consecrata in Esquilijs fuit. de hoc apud suspectum sibi scriptorem se legisse scribit Lilius.

Fortunæ Mammosæ,

In capite uiæ Nouæ, à qua etiam uicus nomen accepit: dicta uel ab ubertate, uel à forma statuæ.

Fortunæ Barbatæ,

Huius ædem in sua regia habuit Tullus. Cyprij eodem modo Barbatam Venerem coluerunt. Masculæ Fortunæ, quòd prope templum Veneris fuerit, meminit Plutarchus.

Fortunæ Plebeiæ,

Ab eodem Tullo conditum, de quo VI Fast. Ouid. Plebs colit hanc: quia qui posuit, de plebe fuisse
Fertur, & ex humili sceptra tulisse loco.

Fortunę Priuatę,

Templum in Palatino. Plutarchus.

Fortunæ

Fortunę Tarpeię,

De quo templo in Prænestina inscriptione, quæ in domo episcopi est scripta pereleganti carmine. Hæc dicta est cognomento Primigenia, ut plurima saxa marmora Prenestina indicant.

Fortunę Muliebris,

Extra urbem in uia Latina, ad quartum milliarium, ut ait Valerius: eo in loco factum, quo Coriolanus à Veturia matre & Volumnia uxore fu erat, ut dub armis abstineret, exoratus. Huius simulacrum nefas erat tangi aut tractari ab alia, quàm quæ semel tantùm nupsisset.

Fortunę Reducis,

A Domitiano factum. Martialis lib. VIII.

Hic tibi Fortunæ Reduci fulgentia latè
Templa patent, felix area nuper erat.

Claudianus:

Aurea Fortunæ Reduci si templa priores
Ob reditum uouere ducum, non dignius unquam
Hæc dea pro meritis amplas sibi posceret ædes.

In antiquo marmore Paterniaci: FORTVNAE REDVCI D. APPIVS AVGVSTVS DEDICAVIT.

Cybeles,

Sub Palatino, Iunonis Sospitæ templo contermi-
num, ut Victor inquit. Ouidius II Fastorum:

——— Phrygiæ contermina matri Sospita. ———

De eodem Martialis VII.

Hinc uiduæ Cybeles, illinc sacraria Vestæ.

In sacris Cybeles, æreis crepitaculis utebantur, unde ab æs Corybantium: ut in Apollinis lebetibus æreis, à quo æs Dodonæum nomen habet.

Annonę,

In Capitolino fuisse, conijcimus ex inscriptione, quæ nunc ibidem legitur:

ANNONAE SANCTAE HAELIVS
VITALIO MENSOR PERPETV-
VS CORPORIS PISTORVM SI-
LIGINARIORVM D. D.

Segetię,

In Circo maximo. Segetia autem frumentis superpositi terram, ut Seia satis in terra, Tutulina in horreo commoditis præerat.

Dianę Suburbanæ,

Trans Tiberim Ouid. I. de Arte,

Ecce Suburbanæ templum nemorale Dianæ.

Mineruę Medicę,

In quinta Vrbis regione. Victor.

Mineruæ Chalcidicæ,

Idem ponit in nona regione, & eius facit mentionem Dion. Fortasse hæc illa est, quæ Chalciæce dicitur, cui æneum templum Domitianus condidit: ad immutationem illius quod inter Tænarum & Lacedæmonem fuit.

nem fuit, de quo Aemilius Probus, & Liuius, ex Thucydide.

Mineruæ Auentinæ,

Antiquissimum, & Liuij Andronici poetæ donarijs celebre, quibus ipse ab alijs poetis, & ab histrionibus, quibus fabulas scripserat, honoratus, eadem ad Mineruam ingeniorum præsidem, grata pietate detulerat. De hoc templo Ouid. v i. Fast.

Cœpit Auentina Pallas in arce coli.

Mineruæ Captæ,

In ualle Cælij, cuius situm describit i i i. Fast. Ouid.

Cælius, ex alto quà mons descendit in æquum,
Hîc ubi non plana est, sed propè plana uia est.

Parua licet uideas captæ delubra Mineruæ,
Quæ dea natali cœpit habere suo.

Quare autem Capta dicta sit, quinque coniecturas affert idem poeta.

Vacunæ,

Locus ignoratur. De templo Ouid. v i. Fast.

Nunc quoq; cùm fiunt antiquæ sacra Vacunæ,
Ante Vacunales stantq; sedentq; focos.

Mihi uidetur extra urbem fuisse.

Nemesis,

Prope forum Traiani.

Lauernæ,

Extra portam Collinam, uia Salaria, ut inquit Helenius supra illum Horatij locum,

Labra mouet metuens audiri pulchra Lauerna,
Noctem peccatis & fraudibus obijce nubem.

Nouius poeta:

Per deam sanctam Lauernam, quæ cultrix quæstuis est.

Fidei,

Non procul ab æde Saturni ponitur à Dione.

Salutis Publicæ,

Quo in loco fuerit, nescitur: statuis ornatum ab Augusto est.

Quietæ,

Extra eandem portam, quietis deæ: quam, cùm suburbanum haberet templum, in urbem recipere no luerunt. D. Augustinus.

Liuiæ Augustæ,

In foro Romano.

Tutulinæ,

In Auentino, cuius apud Varronem mentio. Tutulina autem dea, frumentis collectis atq; conditis custos præesse perhibebatur.

Bonæ deæ subsaxanæ,

Non procul à uia Noua, & thermis Antoninianis, in Auentino.

Iuuentutis,

Quam Heben Græci nominant: fuit in Capitolio. Hæc in condendo Capitolio, cum Termino atq; Marte, cedere loui noluit. D. Augustinus.

Victoriæ,

Victoriæ,

Vnum in Auentino, conditum ab Arcadibus: alterum in Palatino, in quo loco antea P. Valerij Publicolæ domus fuit. Prioris meminit Halicarnasseus: posterioris, ex L. Higinio de uiris claris Asconius.

Corniscarum,

Trans Tiberim, dearum à cornicib. dictarũ, quas alij in Iunonis, alij in Cõcordiæ tutela fuisse asseuerãt.

Ne molestus sim, prætermittam illa: ut Clementiæ Cæsaris, de quo Plutarchus: Iusticiæ Augusti, de quo Ouidius: Fœcunditati Poppeæ, de quo Tacitus, dicata templa. nam translata ad unum Imperij potestate, superstitiosa assentatio modum non inuenit.

DE DOMIBVS QVORVNdam doctorum. Cap. XI.

DE domibus Regum, Imperatorum, ciuium illustrium, aut diuitum, de quibus passim legitur, nihil dicam: & satis multa ab alijs, præsertim à Marliano, sunt collecta: sed referam tantum domicilia quorũdam doctorum, qui etiamsi Octauiorum, Scaurorum, Messalarum, Catulorum, Lateranorum, Corneliorum, Balbinorum, Parthorum, quæ dicebantur, similes ædes non possederint, tamen & illas celebrarunt, & casulas suas nobilitarunt uirtute & ingenijs. Imò uerò quicquid alij laudis habent, id doctorũ sunt beneficijs, non immensis ædificijs consecuti. Tantum enim scimus, quantum à literis accepimus.

Crassi oratoris,

In Palatino, ut illis temporibus, magnifica fuit. In eius atrio, cùm in publico nondum ullæ marmoreæ essent, columnæ Hymettiæ quatuor, ut Plinius lib. XVII, uel ut idem XXXVI bis prodidit, sex fuerunt, non longiores duodenûm pedum: cùm tamen ideo Cn. Domitij & M. Bruti reprehensionibus non caruerit. Alij in Viminali ponunt: sed ea fuit Crassi cognomento Diuitis, de qua Persius Satyra secunda,

——nunc Crassi mittit in ædes.

Calui oratoris & poetæ,

Prope forum Romanum, supra scalas Anularias. eam primùm habitauit Augustus Cæsar.

Philippi,

In Carinis, sub Esquilino. Horatius 1. Epist.

Strennuus & fortis, causisq; Philippus agendis
Clarus, ab officijs octauam circiter horam
Dum redit, atq; foro nimium distare Carinas
Iam grandis natu queritur. ——

Hortensij,

In Palatino, quam domum secundam possedit Augustus, non procul ab æde nunc S. Anastasiæ.

Ciceronis,

In eodem Palatino, supra ædem Iouis Statoris: quam incensam à P. Clodio, magnificentius publico sumptu ædificauit Senatus.

Sallustij,

Sallustij,

In Quirinali, cuius ruinas supra hortos eiusdem in ualle subiecta extare aiunt. Qui de uita ipsius scripserunt, propè Mineruæ ædem, quæ hodie S. Mariæ sacra est, uolũt habitauisse. Quod si ita est, hæc prima fuit: altera, post prætură Africanã ab ipso culta.

Attici,

In eodem monte, ubi nunc S. Vitalis templum, fuit, situ & sylua amœnißima.

C. Aquilij,

Iurisconsulti, in dorso montis Viminalis, omnium consensu pulcherrima. Plinius lib. XVII.

M. Manilij,

Iurisconsulti celebris, & prudentis oratoris, in Carinis. Cicero in Paradoxis.

L. Annei Senecæ,

In Palatino Cœlium uersus, supra balneum: de cuius domus incommodo, & non quieto situ, ipse scribit lib. VII ad Lucilium, Epist. LVII.

Plinij iunioris,

Oratoris, supra Suburam in Esquilino: quod ipse in Epistolis, Martialis in Epigrammatis testatur.

Ennij poetæ,

In monte Auentino, iuxta Tutulinæ fanum: ut ex Porcio tradit Varro.

Virgilij,

In campo Esquilino, iuxta Mecœnatis hortos, qui erant

erant inter aggeres Tarquinij, & urbis mœnia.

Propertij,

In Esquilino. ita enim ipse libro secundo:

I puer, & citus hæc aliqua propone columna,
Et dominum Esquilijs scribe habitare tuum.

Ouidij,

Infra Capitolium, qua Velabrum respicit, circa eum locum ubi nunc est S. Mariæ templum de consolatione. Innuit ipse libro 1. Trist. —— Capitolia cernens, Quæ nostro frustra iuncta fuere lari.

Lucij,

Ab Attico in Annalibus refertur, sed locus non adscitur. Fuit autem ea, quæ Antiochi regis filio obsidi fuit publicè ædificata, ut est apud Asconium.

Martialis,

Inter Viminalem & Hortulorum collem, prope pilam dictam Tiburtinam. Sic enim ipse libro v.

Sed Tiburtinæ mihi proximus accola pilæ,
Qua uidet antiquum rustica Flora Iouem.

Idem lib. 1.

Longum est si uelit ad Pilam uenire:
Et scalis habito tribus, sed altis.

Stellæ,

In aditu Suburæ. Idem lib XII.

Vel si malueris, prima gradiere Subura,
Atria sunt illic Consulis alta mei.
Laurigeros habitat facundus Stella penates.

Suræ,

Suræ,

In Auentino, Palatinum uersus. Idem libro VI.

Quiq; uidet propius magni certamina circi,
Laudat Auentinæ uicinus Sura Dianæ.

De frugalitate ueterum in ædificando, Varro scripsit, qui antiquos Romanos domibus latericijs habitasse ait, paululum modò suffundatis lapidibus, ut hunc morem effugerent: sabulum etiam iecisse à parietibus aut cryptis, ubi ambulare possent.

DE THEATRIS, CIRCIS, ODEIS, stadio, xysto: item de factionibus aurigantium. Cap. XII.

IN liberis ciuitatibus multa populo concessa sunt: qui cùm grauibus & diuturnis bellis, sine quibus libertas retinetur difficulter, sæpenumero uexaretur, domesticæ quædam animorum relaxationes inductæ sunt, & multiplices ludi, ac diuersa spectacula publicè exhibita: idq; cùm in Græcis ciuitatibus usitatissimum fuit, tum in Romana Rep. Contrà Scipionis Nasicæ, prudentissimi & optimi uiri, consilium ita increbuit, ut lusus licentiam, iocus turpitudinem, frequentia lasciuiam, consuetudo deniq; crudelitatem pepererit. Nam & spectatores, & fautores, & actores scelerum aderant ipsi interdum principes, atq; imperatores. Scipio autem ideo theatra construi dissuaserat, quia nõ felicem censebat Remp.

stantibus

stantibus mœnibus, & ruentibus moribus. Aedificijs theatrorum præerant censores: ludis & spectaculis, ædiles curules: &, ut ex Iuuenale patet, prætores: quibus & consulares addidit Nero, & Domitianus præfectos, quales sunt apud Martialem Lectius quidam, & Oceanus. In Capuanis inscriptionibus, exactor operum publicorum, & theatri legitur: & dux theatralium operarum, apud Tacitum. Theatra autem non solùm ex lateribus fuerunt structa, ut in urbe Statilij: ad Lyrim fluuium, Minturnense: & quod est Puteolis, quæ nos uidimus: neq; ex quadratis tantum lapidibus, ut Pompeij, Marcelli, Titi: uerumetiam ex solido marmore, quale fuit Capuanum, cuius ruinas mirati sumus: item Nolanum, de quo Bap. Leo: item Veronense, de quo Torellus Sarayna: item Athenienſe, quod inspexit Ciriacus Anconitanus. Sed ad Romana. De theatro Cassij Paterculus, de Scauri Plinius, de Curionis Cælius, de C. Cæsaris Tacitus, de Balbi Ausonius, de Claudij Suetonius, de Neronis Sex. Aurelius, de Traiani Spartianus: de tribus theatris, & uno amphitheatro campi Martij, Strabo: de theatro montis Esquilini, Martialis. Hæc cùm nulla amplius sint, de ijs quorum aliqua remansere uestigia, agemus.

Theatrum Pompeij,

Ad campum Floræ, contiguum circo Flaminio, uestigia cernuntur in cella uinaria, & in equili domus Vrsinæ. Hoc Pompeius mansurum instruxit, igne consumptum

sumptum instaurauit Tiberius, perfecit Caligula: iterum ambustũ restituit Claudius, uetustate collapsum refecit Theodoricus rex Gothorum. Adeò tenui & apta iunctura fuit, ut non compositum opus, sed ex uno perpetuoq; lapide factũ uideretur. De hoc theatro exprobrat Pompeio Lucan. lib. 1.

——totus popularibus auris
Impelli, plausuq; sui gaudere theatri.

Hoc theatrum habuit proscenium. Claudian. lib. 11. de Stilicone,

Pompeiana dabunt quantos proscenia plausus?

Fuit & aliud Pompeij, uicinum campo Martio, de quo Plinius lib. XXXIIII. Vnum fortasse ex illis, de quibus Strabo loquitur.

Marcelli,

Inter Capitolium & Tiberim, in cuius ruinis hodie ædificatum est palatium Sabellæ familiæ: & ampliora eius uestigia sunt, quàm Pompeiani. Hoc forum Holitorium uersus nunc tabernas habet: extructum præcipuè opera Octauiæ, matris eius. De hoc canere uidetur Propert. lib. III.

Quid genus aut uirtus, aut optima profuit illi
Mater, & amplexum Cæsaris esse focos?
Aut modò tam pleno fluitantia uela Theatro,
Et per maternas omnia gesta manus?

Quia autem matris sedulitate & cura, multa ædificia ampliſsimè extructa, factum est ut Octauiæ matris &

tris & Marcelli filij operum nomina sint in auctoribus confusa, ut postea dicemus.

Statilij Tauri,

Inter portam Næuiam & Cœlimontanam, adhuc propè integrum, & urbis mœnibus inclusum, una eius parte intra, altera uerò extra murum. De his tribus loquitur Ouid. III. de Arte:

Visite conspicuis terna theatra locis.

Item III. Triſtium, quem locum suprà explicaui.

Tiberij,

Eius aliqua restant uestigia in priuatis ædificijs inter aquam Virginem, & columnam Cochlidem Antonini: nam iuxta Septa fuit.

Titi,

Inter Cœlium & Esquilinum, uulgus à mole ædificij Colosseum appellat, urbe media, auctore Suetonio, situm: altitudinis tantæ, ut uisio humana ad eius summitatem ægrè conscendat: quod testatur in XVI. Marcellinus. In altum habuit fornices quatuor, alterum alteri impositum. tres inferiores in extremo colum nis sustentantur, cum diuersis capitellis: superioris pars pro muro est, fenestris aliquot lucem admittentibus. Adeundi loca uaria. Primus enim introitus est in ipsam aream circularem, quam nunc nominant harenam: proximus ascensus est ad sedilia. sequitur alius ad aream aditus: postremus descensus in loca subterranea, ad quæ obruta iam peruenìri nequit.

Sedilium

Sedilium ratio nõ planè perſpicitur, muri tamen magis ac magis ſunt ad ſpectantium commoditatem decliues. Poſt ſedilia latus & ſpacioſus ſupra porticum ambitus. Ex ruinarum amplitudine, rectè ſcriptum à Martiale uidetur,

Omnis Cæſareo cedat labor Amphitheatro:
Vnum præ cunctis fama loquatur opus.

De ludis Theatralibus, itẽ de ſcenicis actionibus & originibus, M. Terentius Varro libros ſcripſit. Ludorum tempore contra æſtum theatra uelorum umbraculis tecta fuiſſe, & ſedilia croco conſperſa, prodiderunt, præter Plinium lib. XIX. etiam poetæ, cùm ueterum frugalitatem laudibus efferunt. Vt Ouid. libro primo de Arte:

Tunc neq; marmoreo pendebant uela theatro,
Nec fuerant liquido pulpita rubra croco.
Illic, quas tulerant nemoroſa palatia frondes
Simpliciter poſitæ, ſcena ſine arte fuit.
In gradibus ſedit populus de cæſpite factis,
Qualibet hirſutas fronde tegente comas.

Item Propertius lib. IIII.

Nec ſinuoſa cauo pendebant uela theatro,
Pulpita ſolennes non oluere crocos.

Vas ipſum quo ſedilia ſpargebantur, Nimbus appellatur à Martiale, qui ad Agathinum pugilem his uerbis ſcribit:

Lulrica Corycio quamuis ſint pulpita nimbo,

Et rapiant celeres uela negata noti.

Fuit θεατρικὸν ἀργύριον, quod extar Latino uocabulo nuncupat Charisius. Romanus populus ludos spectabat coronatus, ad quos omnis ætas et sexus admittebatur. Quæ quisq; ad luxuriam theatris & scenæ addiderit, de institutis Romanorum memoriæ prodidit Valerius. Quamuis autem theatra, circi, campus, singulares quæq; ac proprios ludos haberent, & exercitationes cuique loco accommodatas: tamen eadem sæpe omnibus in locis peracta sine discrimine fuerunt. Nam ut de circo dicam, in eo cursores, pugiles, luctatores, gladiatores, confectores ferarum uersabantur. in eo enim bigarum, quadrigarumq; cursus, & ludi tauriles, & ferarum uenationes, & equestria ac pedestria prælia exhibebantur: id quod Plinius, Suetonius, Ouidius, & Horatius testantur. Intro ducti etiam sunt mimi, saltatores, citharœdi, histriones, funambuli, qui in theatris solebãt agere frequentius. Contrà in theatro nauale prælium edidit Domitianus. In eodem gladiatores spectari, abhorrere à suorum temporum consuetudine dicit interpres uetus Terentij. Nunc de Circis breuiter dicendum est.

CIRCI.

Maximus,

Qui & Magnus à poetis: eius legitur integra descriptio apud Dionysium antiquitatum Romanarum lib.

rum lib. III. Ex Palatini latere est meridionali, quod Auentino opponitur, cuius ruinæ cernuntur ab æde S. Anastasiæ usque ad Septizonium Seueri, fornices quadrupliciter alter alteri impositus, & sedilium directus ordo. hinc illud Ouidij:

Quid frustra refugis? cogit nos linea iungi,
Hæc in lege loci commoda circus habet.

In hoc circo superne fuerunt cellæ, è quibus populus curiatim diuisus spectabat: ad latus utrunque extrinsecus officinæ hoc modo dispositæ, ut per eas ingressus et ascensus in cellas superiores esset. Carceres primùm ex topho ligno q; fuerunt, quos marmoreis permutauit Claudius Imp. Metæ intus multæ, quæ cùm aurigantes sæpe errare non sine magno periculo propter similitudinem facerent, opera quædam rotunda, specie uuorum, quædam animalium, ut delphinum formis expressis, Agrippa posuit, quæ conuersionem & flexionem cursus ostenderent. Metas insignires inaurari uoluit Claudius: solum minio & chrysocolla sterni Caligula, auri atq; argenti scobe conspergi mandauit Heliogabalus, dolens quòd non posset etiam electri. Id ex Suetonio & Lampridio notum est. Capiebat circus C L.M. hominum, qui introire, spectare, exire poterant, nequis alteri impedimento foret. unde Ouid. I. de arte:

Multa capax populi, commoda Circus habet. Ne
quis non sederet molliter, non solùm magistratibus

& honoratioribus tomentum, quod leuconium & gnaphalium: sed & multitudini substernebatur, quod è concisis arundinibus factum, nomine proprio Circense dictum est, ut Suetonius & Martialis indicant. Ne quis porrò importunè sedendo alteri molestus foret, sedilia cancellis erant separata. Itaque spectantibus dantur præcepta eiusmodi ab Ouidio:

Tu tamen à dextra, quicunque es, parce puellæ:
Contactu lateris læditur illa tui.
Tu quoque qui spectas post nos, tua contrahe crura,
Si pudor est, rigido nec preme terga genu.
Sed pendent tibi crura: potes, si fortè iuuabit,
Cancellis primos inseruisse pedes.

In Circo ornamenti causa, cùm Deorũ imagines gypseæ, tũ detracta hostibus spolia suspẽdebantur. Idẽ:

Siue erit ornatus, non ut fuit antè, sigillis,
Sed regum positas Circus habebit opes.

Per circum nuces, & fractum cicer, clamando solebant serui circumferre: item in cortinis aquam portare, quam esurienti sitientiq; plebi uenderent: quod adhuc in Italiæ ciuitatibus usitatum est, ut res uariæ uenales per uicos circumportentur. Ad illud respexit Horatius, ubi equestrem & patricium, & copiosorum hominum ordinem, ab infima plebe discernit, scribens ad Pisones:

Offenduntur enim quibus est equus, et pater, & res:
Nec si quid fracti ciceris probat, & nucis emptor,

Aequis

Aequis accipiunt animis, donantúc corona.

Per emptores ciceris & nucis, imperitum & humillimum uulgus accipitur. Alterum in Pœnulo ostendit Plautus:

Multa replebo atritate, ut atrior multo sies (ferunt.

Quàm Aegyptij, aut qui cortinam ludis per circum

Sub Circo in cellis antrisúe subterraneis habitabant, quæ corpore facerent quæstum mulieres, ut ex Iuuenale, & antiquo incerti auctoris epigrammate colligitur:

Deliciæ populi, magno notißima circo

Quintia.

Idem apertè satis declarat in Vario Lampridius: Omnes de theatro, de circo, de stadio, & omnibus locis & balneis meretrices collegit. Inde Romanis gynnea, quasi γύνια uidentur dicta, quòd sub terra & in cooperto essent. Ad eundem res furto sublatæ uendebantur: quod in Horatium, cùm Circum fallacem uocat, annotauit Helenius. Circi nomine, etiamsi nihil aliud addatur, intelligitur Maximus: ut fori appellatione, Romanum accipimus: campi uocabulo, Martium.

Flaminius,

Ab Apollinis templo, quod alijs magis cõspicuum in eo fuit, alio nomine Apollinaris. Incœpisse uidetur circa ædem S. Angeli in piscina, protensus ad Campum usque Agonium. Eius inter ruinas plurimas uestigia sunt, apud Apothecas obscuras, prope ædem S.

Rosæ, & sacellum Sepulchri sancti. In hoc circo uitri officina fuit, in qua pocula fierent, punctis coloratis quasi gemmis insignita, & crystallinis similia: quæ ut precio gemmatis æquanda non erant, ita usu reperiebantur firmiora, quòd aquis calidis, ut uerè gemmæ, non uiciarentur, aut fluerent. quod Martialis in Apophoretis docet, disticho Calices: & expressius lib. XII.

Cum tibi Niliacus portet crystalla cataplus,
Accipe de circo pocula Flaminio.
Nullum sollicitant hæc Flacce torcumata furem,
Et nimium calidis non uiciantur aquis.

Floralium,

In ualle, inter collem Hortulorum & Quirinalem. Ouidius de hoc v. Fast.

Circus in hunc exit, clamataq; palma theatris,
Hoc quoq; cum circi munere carmen eat.

Intimus,

Qui antiquiore nomine Circus ad murum, ut Varro. In campo Figulino, & in uinetis Tiberi adiacentibus, eius ruderà spectantur.

Neronis,

In ualle inter Ianiculum & Vaticanum.

Antonini Caracallæ,

Ab alijs Prætorianus, quòd ibi cohortis Prætoriæ statio fuerit, extra Capenam. Vestigia qualiacunque apparent prope S. Sebastianum, & molem illam quæ hunc Bouis caput dicitur.

Alexan-

Alexandri Seueri,

Eo *in loco, ubi campus nunc Agonius. Antequam ad reliqua progrediamur, illud admonendum est, claris uiris, & ad populum gratiosis, in Theatrum aut Circum introeuntibus, clamore publico & plausibus uulgi gratulationes factas. ut Mecœnati, de quo Horatius:*

Datus in theatro Cum tibi plausus.

Et *Cæsari Domitiano, de quo in* VIII. *Martialis:*

Dum te longa sacro uenerantur gaudia circo,
Nemo quater missos currere sensit equos.

ODEVM,

Græco nomine dictum ᾠδεῖον, publicum ædificium erat, in quo, ut in xysto athletæ, in laniſtæ ludo gladiatores, ita citharœdi & tibicines à musico, & reliqui actores scenici ab histrione exercebantur antè, quàm in theatrum prodirent: quale Athenis fuit Odeum Herodis, cuius apparatum & magnificentiam Pausanias in Achaicis ostendit. Odea in urbe quinque fuerunt. Vnum, in monte Auentino, de quo ad Atticum loquitur Cicero, etiamsi locus mendo non uacet: Monumentum illud (inquit) quod tu tollere laudibus solebas, ut Odeum laxaremus, & usque ad atrium Libertatis explicaremus, contempsimus. Alterum, inter Palatinum & Cœlium, prope Metam sudantem (hæc nunc inter amphitheatrum Titi, & arcum Constantini collapsa cernitur) cuius quidem

nomen Seneca non exprimit, sed ab usu describit, ad Lucilium lib. VII. In ijs quæ me sine auocatione circumstrepunt, essedas transcurrentes pono, et fabrum inquilinum, & serrarium uicinum: aut hunc qui ad Metam sudantem, tubam experitur & tibias, neque cantat, sed exclamat. Tertiũ, prope theatrum Pompeij, quod innuere uidetur Marcellinus lib. XVI. cuius uerba, quantumuis corrupta, quia locis aliquot eorum testimonio sum usus, cuncta subscribam: Intra septem montium culmina, per accliuitates planicieq; posita urbis membra collustrans, & suburbana, quidquid erat primum, id eminere inter alia cuncta sperabat: Iouis Tarpeij delubra, quantum terrenis diuina: præcellentia lauacra, in modum prouinciarum extructa: Amphitheatri molem solidatam lapidis Tiburtini compage, ad cuius summitatem ægrè uisio humana conscẽdit: Pantheum, uelut regionem teretem, specioſa celsitudine fornicatam. Elatos uertice scansili suggestus Consulum, & priorum principum imitamenta portantes. Vrbis templum, & Pacis, Forum, & Pompeij theatrum, & Odeum, & Stadium, aliaq; inter hæc decora Vrbis æternæ. Verùm cum ad Traiani fòrum ueniſſet, ſingularem ſub omni cœlo ſtructuram, ut opinamur, etiam numinum aſſenſione mirabilem, hærebat attonitus, per Gigan-teos contextus circumferens mentem, nec relatu effabiles, nec rurſus mortalibus expetendos. Hæc ille.

Quar-

Quartum, Odeum inter cætera opera mirabilia & memorabilia fecit Domitianus, ut in uita eius Suetonius tradit: quamuis non planè indicet, extruxerit ne an instaurauerit. nam (ut ait Sex. Aurelius) multa ædificia ab eo sunt cœpta, multa à fundamentis constructa. Quintum à Traiano extructum cum gymnasio iuxta suum forum, idq; factum opera architecti Apollodori, scribit è Dione Xiphilinus.

STADIVM.

Locus cursoribus destinatus, & hoc extructum à Domitiano, eodem testante Suetonio. Etsi autem ubi fuerit, & unum'ne an plura extiterint, nesciatur: tamen inter maxima & præcipua urbis loca poni, intelleximus è Marcellino, & è Lampridio: quorum uerba in hoc ipso capite citauimus. Martialis libro III. ad Matronam:

Gymnasium, thermæ, stadium est: hac parte recede,
Exuimur: nudos parce uidere uiros.

Stadiodromum quendam Astylon nominat Plinius lib. XXXVIII. & multos celebrat Pindarus: & notus historijs est Milo Crotoniata, & eadem patria natus Ischomachus. unde studium ambitiosæ his in rebus Græciæ magis cognoscas.

XYSTVS.

Græca quoq; appellatione locus dictus, in quo sub tecto, hyemis tempore, uersabantur athletæ. Vt autem Odeum theatri, Stadium circi, ita Xystus forma

porticus erat exstructus: inde & hypæthras, hoc est (ut uertit Plinius) subdiales ambulationes, neutro genere xysta appellarunt Romani.

Odeum multa sedilia, multasq; columnas habuit, cum pronis & decliuibus tectorijs, ut in Pericle describit Plutarchus: stadium, carceres, & metas, non secus atq; circus: xystus, columnas in latum directas. Qui concertantibus præerat, Xystarchus: qui ipse certabat, Xysticus nominatus. In antiquo marmore:

L. THENODORVS XYSTICVS PARIDI THYMELICO BENE MERENTI FECIT.

Factiones aurigantium, qui ludis Circensibus palmam quærebant, fuerunt quatuor: quæ à coloribus, uiridis, cærulei, coccini, albiq; panni, quo donabantur, nomina acceperunt, Prasinæ, Venetæ, Russatæ, Albatæ. Domitianus duas, aurati purpureiq; panni, ad quatuor pristinas addidit, teste Suetonio. Harum factionum ad reprehensionem usq; studiosi fuerunt principes nonnulli, ut Caligula Prasinæ, Vitellius Venetæ: tum agitatores ipsos habuerunt in precio, ut Caligula Incitatum, Nero Prasinum, Domitianus Passerinum & Tigrim, Nerua Scorpũ: quorum uictorias prædicatione extollit Martialis. Meminit Boculi cuiusdam Asconius: meminerunt M. Aurelij Dioclis, & C. Apuleij Dioclis, & C. Pompeij Eusceni, & Fusci, uetera epigrãmata. Martialis tres factiones cõiũgit:

Si Vene-

Si Veneto, Prasinoue fauces, qui coccina sumis,
Ne fias ista transfuga ueste, uide.

De Prasina separatim Iuuenalis Satyra x i.

Totam hodie Romam Circus capit, & fragor aurem
Percutit, euentum uiridis quo colligo panni.

Iustiniani tēporibus ex Prasinæ & Venetæ factionum contentione, est tanta Byzantij seditio exorta, ut quadraginta ferè hominum millia sint trucidata: quod ex Zonara Monacho trāscripsit Cuspinianus. Post illam cladem factionum nomina sunt abolita.

DE CVRIIS, SENACVLIS, Basilicis. Cap. XIII.

CVriæ erant loca, in quibus uel sacerdotes conuenirent, ut in Calabra & Veteri, & Saliorum: uel senatus consultaret, ut in Hostilij, Pompeij, Octauiæ: uel populus uniuersus aliquid decerneret, ut in curia Septa. Senacula erant non alijs, nisi senatoribus assignata. Interdum eiusmodi Senatorum conuentus in templis fiebant, ut Iouis Concordiæ, Telluris, Apollinis, aliorum. inde est, quòd templum Iouis Statoris curiam Sallustius: Concordiæ Lampridius, nomine eodem appellat. In Basilicis autem amplissimis & ornatissimis ædificijs, non Senatores modò de liberare, uerumetiam iudices omnis generis causas cognoscere, & clientibus homines periti de iure respondere soliti sunt: quando hi uacabant, mercatores ibidem &

dem & nummularij sua tractabant negotia: hinc Basilicæ Argentariorum est in octaua regione mentio apud Victorem. Quia uerò tam Curiæ quàm Basilicæ patebant Senatui, ideo quam Curiam Octauiæ Appianus, hãc Basilicam seu regiam Asconius nominat, ut mox exponetur commodius.

Curia Calabra,

A Romulo in ea parte Capitolini facta, ubi nunc Romani senatoris domus est. hæc à calando dicta Calabra, quia in eam minor põtifex populũ uocabat, ut dies festos ac mẽsiũ initia atq; progressus denũciaret.

Romuli, seu Curia uetus.

Iuxta forum Romanum, ubi nunc collapsum templum Pacis est. Hanc alij nõ rectè ponunt in Carinis. Augustum Cæsarem scribit Seruius natum Curijs Veteribus, et nutritum Lautis Carinis. Plautus de ijsdem uidetur sentire in Curc. (nore.

Sub ueteribus ibi sunt, qui dant, q uiq; accipiunt fœ-

Ouidius Curiam priscam appellat IIII. Fast.

Ante tuas itidem Curia prisca fores.

M. Crassum oratorem causas sub Veteribus egisse, scribit lib. XXXV Plinius.

Tatij,

A rege Tatio dicta, Romuli consorte: cuius locus nescitur.

Hostilij,

Duæ Hostilij curiæ fuerunt: una, ubi antea fuerat curia

curia Romuli, quæ ab Hostilio renouata & amplior reddita est: altera, in monte Cælio, ubi nunc S. Ioannis Pauli templum, quod ex ijs ruinis ædificatũ. nam fornices collapsi ante templi introitum, fundamenta in cœnobio & horto extant. Iuxta etiam in uimeto grandia & speciosa marmora effodiuntur. Fons in eodem cœnobio profundus, qui ex aqua Claudia, ut opinio multorum est, remansit.

Curia noua,

Proximè compitum Fabricium, ait Festus. fortasse à Curijs ueteribus nõ diuersa, sed augustius extructa, atq; splendidius ampliata. De hac Propert. lib. IIII.

Curia prætexto quæ nunc nitet alta senatu,
Pellitos habuit rustica corda patres.

Dicit eam nitere, quæ antea culmo tecta, & arundinibus horruerit: altam esse, quæ prius fuerit humilis: senatores nunc capere purpuratos, quæ olim simplices agricolas habuerit. In ueteribus sacerdotes res diuinas curasse, scribit Varro: nouam autem patuisse senatui, ex Propertio liquet, & similiter ex Ouidio IIII. de Ponto:

Curia te excipiet, patresq; ex more uocati
Intendent aures ad tua uerba suas Item III.
Curia cùm patribus fuerit stipata uerendis.

Cicero curiam ait esse sacrarium Reip. in Catilinã: templum Sanctitatis, pro Milone.

Saliorum

Saliorum,

In Palatino, ut Cic. 1. de Diuinatione. in ea Romuli lituus asseruatus, cùm curia deflagrauisset, integer inuentus est. Salij autem sacerdotes Martis, à saliendo dicti, quos saltus armati in comitijs exercebant. Hæc curia dicata auguribus fuit, quam nonnulli suspicantur Tatij fuisse.

Pompeij,

E regione theatri, ab eodem extructi, insignis & splendida, & è lapidibus quadratis facta. Hanc suspicor à Suetonio in Caligula dici curiam Iuliam, nam Iulius Cæsar in ea interfectus est, & ante basim statuæ & simulachri Pompeij corruit.

Octauiæ,

Iuxta porticum Octauiam, de qua capite sequenti dicemus. nam hanc cum basilica Marcelli eandem fuisse sentio.

Curia Septa,

In qua populus, ad creandos magistratus conflue-bat. Septorum nomen notum est: sed ea solus Propertius nominauit curiam, lib. IIII.

—— Vbi nunc est curia septa,
Bellicus ex illo fonte bibebat equus.

Ea autem in loca, in quibus frequentia populi cõgregaretur, aqua deducta fuit. ita fons erat iuxta septa: meta sudans, iuxta Amphitheatrũ: rivus, iuxta circũ.

SENACVLVM AVREVM.

Prope

Prope lacum Curtium, in foro: ibi nunc hortulus fuerat, & columna Domitiani.

Concordiæ,

In eodem foro, sub Capitolio, in quo solebãt magistratus cum senioribus deliberare, ut ex quodam Timinnio refert Festus.

Mulierum,

In Quirinali, restitutum ab Heliogabalo. fuerat autem locus, in quo ante ipsius tempora conuenire certis, statisq; diebus mulieres solebant.

Fuerunt tria alia senacula propter exteros legatos facta: unũ in urbe, Græcostasis, in Palatino supra Comitium, quòd in eo Græci quasi alijs honoratiores cõsisterent. Duo extra urbẽ, in quibus legatis, quos admittere in urbẽ non placebat, aut cõmodum nõ erat, senatus dabatur: unũ extra portam Flaminiã, in campo Martio, intra ædem Bellonæ: alterum extra capenam, in uia Appia, intra templum Martis.

BASILICAE.

Portia,

In area domus Menij, à Portio Catone sumptu publico ædificata prope curiã Hostiliã. De ea Plautus in Cur. Dites, damnosos maritos sub Basilica quærito, Ibidem scorta exoleta, quiq; stipulari solent.

Aemilia,

In medio foro (ut Cicero x i i. ad Atticũ) à Paulo Aemilio cõdita, fuit inter præclara & magnifica urbis opera

bis opera, columnis Phrygijs mirabilis, ut Plinius & Victor. hanc igitur regiæ comparat, ad nomen Basilicæ alludens, Statius lib. 1. Siluarum:

—— Belligeri sublimis regia Pauli.

Hanc de Iulij Cæsaris pecunia factam, tradit Plutarchus.

Marcelli,

Iuxta eiusdem theatrum, cuius mentio apud Asconium, qui in eam quatuor columnas marmoreas, insigni magnitudine, ex atrio domus Scauri translatas scribit. Confunduntur sæpe nomina in operibus Octauiæ & Marcelli: quia, secundũ Propertiũ, per maternas omnia gesta manus: & secũdum Ouidium ubiq;, Muneribus nati sua munera mater addidit. Vnde quã regiam Marcelli Asconius, hanc curiam Octauiæ dicit Appianus: & quam Octauiæ porticum Plinius, eandem Marcelli Florus. Hanc diuersitatem qui obseruat, errorem facilè uitabit, ne eadem quæ sint, diuersa faciat in interpretandis poetis & historicis.

Caij & Lucij,

In campo Esquilino, ubi antea Licinij palatium: quam in honorem suorum nepotum fecit Augustus, hæc à Plinio iuniore dicitur Iulia, ut & in antiquo Epigrammate:

T. FLAVIVS GENETHLIVS NVM
MVL. DE BASILICA IVLIA.

De ea adhuc fornix supereſt concameratus & col
lapſus

lapsus in quodam uineto, tanta altitudine, ut, nisi in Pantheo, nullus extet similis.

Sempronij,

In Velabro, ubi antea Scipionis Africani domus fuit.

Opimij,

In Palatino, inter Græcostasim & ædē Cōcordiæ.

Manilij,

Intra Suburæ regionem, memoratur à Festo.

Macidij & Martiani.

In nona regione à Victore recitantur hæ duæ basilicæ. ponit idem alias quoque, quarum locus ignoratur, & nomina alibi non reperiuntur.

Neptuni,

Ad ripam Tiberis, ab Hadriano Imp. refecta & instaurata.

Vlpia,

In Viminali, prope suas thermas, ab Vlpio Traiano extructa.

Constantini,

Prope uiam nouam ponitur à Victore.

Basilicarum autem quia eximia structura fuit, inde basilicas regias uertunt Asconius & Statius. inde nomen sumptum, ut præcipua templa apud Christianos basilicæ uocentur: ut nunc Romæ basilicæ S S. Petri & Pauli, item basilica Laterana: non ob structuram tantùm, quæ adhuc est ampliſsima, uerumetiā ob

frequentiam multitudinis quæ ad eas cotidie & solenniter confluit.

DE PORTICIBVS.
Caput XIIII.

INter clara Vrbis ædificia porticus fuerunt, quæ uel ædibus sacris, uel illustrium uirorum domibus, uel publicis ædificijs annexæ, aut necessitatis, aut ornamenti uoluptatisq; gratia fuerunt. Velleius in sua historia conqueritur, cùm post bellum Punicum à Scipione confectum, in somnum à uigilijs, ab armis ad uoluptates, à negotijs in ocium esset conuersa ciuitas, tum primùm familias illustres inter se certasse eiusmodi ædificiorum pompa, donec publicam magnificentiam secuta priuata luxuria sit. Iuuenalis item in Satyris carpit Romanos, qui in extruendis porticibus & thermis ingentes sumptus facerent: sed in alendis doctis magistris, qui filiorum mores formarent, parcissimi essent. Porticus nomina acceperunt aut à deorum templis, ut Concordiæ, Quirini, Herculis: aut ab auctoribus, ut Pompeia, Octauia, Liuia, item Nasicæ, Metelli: aut ab ædificij qualitate, ut lõga, curua, miliaria, stadiata, porphyretica, Corynthia: aut ab hominum actionibus, ut Margaritaria apud Victorem, Argentaria apud Vitruuiũ: aut à picturis, ut Isidis, Europæ, Argonautarum: aut à locis adiunctis, ut porticus Amphitheatri, porticus Circi, porticus Sceptorum, porticus campi Martij. Huius ædificij magnificen-

gnificentia Vrbem in primis ornauit Augustus, uel extruendo nouas, uel instaurando ueteres porticus. In porticibus interdum res seriæ agebantur, ut cùm in ijs haberetur senatus, cùm ius diceretur, cùm publica acta notarentur, cùm legati gentium externarum exciperentur, cùm sponsalia fierent: Interdum in ijs lucri gratia consistebant, qui res pretiosas, gemmas scilicet, tabulas, signa, toreumata, aulæa uenderent. Plerunque animi causa, æstiuis præsertim caloribus, ad captandam umbram ibidem inambulabant. Enumerabimus hîc cùm eas quæ nunc extant, tum quæ à scriptoribus sunt celebratæ.

Iouis Capitolini,

Fuit Ante templum quod à Tarquinio Superbo fuit conditum, quæ post eius exiliũ absoluta est magnifice. In fronte triplicem columnarum ordinem habuit: duplicem à lateribus.

Apollinis Palatini,

Ante celeberrimum illud templum ab Augusto post Actiacam uictoriam extructum, in Palatino, Circum maximum uersus, auro & columnis Numidicis, statuisq; et picturis uarijs ornata, duorum poetarum testimonio: Propertij lib. II.

Quæris cur ueniam tibi tardior? aurea Phœbi
Porticus, à magno Cæsare aperta fuit.
Tantam erat in speciem Pœnis digesta columnis,
Inter quas Danai fœmina turba senis.

Hic equidem Phœbo uisus mihi pulchrior ipso,
Marmoreus tacita carmen hiare lyra.
Atq; aram circumsteterant armenta Myronis,
Quatuor artificis uiuida signa boues.

Et Ouidij tertio Trist.

Inde timore pari gradibus sublimia celsis,
Ducor ad intonsi candida templa Dei.
Signa peregrinis ubi stant alterna columnis
Belides, & stricto barbarus ense pater.
Quæq; uiri docto ueteres fecere, nouiq;
Pectore, lecturis inspicienda patent.

Dicit poeta, signa alterna stetisse, quia in una parte fuerunt filiarum Danai effigies, & eregione sub dio totidem equestres filiorum Aegypti: ut inquit uetus Persij interpres. Huius nulla extant uestigia.

Iouis Vltoris,

Quæ postea ab æde, porticus Pantheï: ab auctore, porticus Agrippæ dicta est. Reliquæ sunt ex ea columnæ ingentes XVIII, pilæ XII: ita distributæ, ut primus ordo habeat columnas octo, inter quas aditus ad templi ipsius fores. post quem deinceps alij ordines duo: in singulis columnæ quatuor, quæ inæqualibus primi ordinis, primæ scilicet & tertiæ respondent. Proximi ordines tres, pilas ternas habentes, longius inter se quàm columnæ distant.

Quirini,

In ea Quirinalis parte, qua Viminalem attingit, ubi ho

ubi hodie S. Vitalis templum. Martialis lib. XI.

Vicinam pete porticum Quirini,
Turbam non habet otiosiorem
Pompeius, uel Agenoris puella,
Vel primæ dominus leuis Carinæ.

Siluani,

De hac antiquũ Epigrãma, quod Romæ legitur.

SILVANO SANCTO L. VALLIS
POLON PORTICVM EX VOTO
FECIT. DEDICAVIT K. APRILIB.
PISONE ET BOLANO COSS.

De templo autem Siluani sub Viminali, an de alio ædificio, cui fuerit porticus adiuncta, intelligatur, incertum est.

Herculis,

In aditu circi Flaminij, quam æde illa instaurata Martius Philippus Augusti uitricus fecit. Vnde Philippi porticus dicitur à Martiale lib. V.

Vites censeo porticum Philippi:
Vi te uiderit Hercules, periisti. Hanc Plinius libro XXXV bis commemorat, propter Apellis & Antiphili pictorum opera. Et ædem Herculis cum hac porticu coniungit Victor.

Mercurij,

Inter circum Flaminium & Tiberim, semidiruta, iuxta templum S. Angeli in piscina. Hæc & Seueri & Antonini dicitur, ab imperatoribus qui restituerunt,

aut ornarunt. Sub ea nunc porticu pisces, & ferinæ carnes uenduntur.

Neptuni,

Ante eiusdem ædem, iuxta Septa, ubi comitia fiebant: qui locus eminentior, iam Mons acceptorius & Citorus dicitur. Hæc eadem est cũ porticu Argonautarum, ut ex Dione manifestum est lib LIII.

Concordiæ,

Sub Capitolio forum uersus, de quo octo adhuc columnæ altissimæ extant, breui inter se spacio disiũctæ. Hanc penè integram se uidisse scribit Poggius, & fuisse columnas ad calcis usum suo tempore disiectas: id quod non rarò fit in urbe, in præclaris & maximis ædificijs antiquis.

Veneris Erycinæ,

Ante portam Collinam, eius deæ templo coniuncta. Porticus mentionem facit Strabo, templi Appianus & Ouidius, ut antè dictum est.

Libertatis,

In Palatino, quam domo Ciceronis euersa, fecit his Clodius, sed eadem paulo pòst sublata.

Scipionis Nasicæ,

Ab æde Saturni extensa ad Capitolinum, quam inter magnificas enumerat Velleius.

Q. Metelli,

Idem: Metellus (inquit) Macedonicus, porticus quæ fuerunt circundatæ duabus ædibus, sine inscri-
ptione

ptione positis, quæ nunc Octauiæ porticibus ambitur, fecerat. Plinius de eadem lib. XXXIIII. fuit hæc ad finem circi Flaminij, ut ex Varronis & Vitruuij scriptis coniunctis colligi potest. Conspiciuntur hodie inter S. Nicolaum de Funarijs, & S. Mariam de Sole, circum Flaminium uersus, multæ maxmoreæ columnæ: sed huius, an alterius porticus sint, nondum liquet.

Cn. Octauij,

Duobus nominibus alijs appellata: à structura, Corinthia: à pictura, Persei. nam Cn. Octauius de Perse Macedoniæ rege triumphum agens, ex manubijs porticum condidit, & res suas gestas in ea depingendas curauit. Vnde meritò amœnissima à Velleio habetur: qui addit, eam in Circo fuisse: uerùm, ne relinquatur in dubio, de quo loquatur, Plinius exprimit Flaminium. Extant uestigia inter ædem S. Nicolai de Chalcaria, & turrim Argentinam, columnæ semiobrutæ cum capitellis Corinthijs. Duplex columnarum ordo fuit, auctoribus Plinio & Victore. Ab Augusto, cùm esset incendio deformata, in formã meliorem reducta est, quod ex Verrio tradit Pompeius.

Q. Catuli,

Quæ euersa M. Flacci domo, qui Gracchanas partes contra Remp. fouerat, extructa de Cimbricis manubijs. Eam diruit Clodius, ut in orationibus & Epistolis testatur Cicero.

Hortensij,

In Palatino, ante ædes ipsius, breuis, & ex columnis Albanis, sine ullo marmore. Suetonius.

Balbi,

Eius contigua theatro, circa illum locum, qui nũc Apothecarum obscurarum nomen habet.

Aemilij,

Inter portam Trigeminam & naualia. Liuius. Diuersa ab ea porticu, quæ Pauli dicta est, & ab Aemilio Lepido Paulo impensis proprijs facta, ut Dion scribit. Hanc incendio absumptam, Augustus restituit, ut idem auctor est.

Faberij,

In Auentino, auctore Vitruuio. Corruptè apud Victorem Fabraria, pro Faberia legitur. Faberij scribæ multa apud Ciceronem mentio.

Numitij,

In foro Romano, circa Rostra, & ædem Veneris Genitricis. In hac Antonius Lupercus, auream coronam Cæsari imposuit, ut est in secunda Philippica. Videndum, num Numicia eadem sit cum ea, quam Miniciam Velleius nominat.

Philippi,

In regione circi Flaminij, ut Victor: de ea paulo antè, de porticu Herculis Musarũ. Fuit picturis ornata, quia ad splendorem urbis Augusto hortante facta est.

Pompeij,

Pompeij,

Ad eius theatrum, omnium sumptuosissima, primùm columnarum uarietate & multitudine: etenim ἑκατόστυλος, seu (ut quidam) Centenaria dicta est: tum platanorũ ex utraq; parte nemoris modo ipsam ambientium diffusa umbra: postremò aquarum illuc deductarum amœnitate, quæ singula prædicat lib. II. Propertius:

Scilicet umbrosis sordet Pompeia columnis
Porticus, aulæis nobilis Attalicis.

Et creber pariter platanis surgentibus ordo,
Flumina sopito quæq; Marone cadunt.

De eadem sentire uidetur Martialis lib. III.

Inde petit centum pendentia tecta columnis,
Illinc Pompeij dona: nemusq; duplex.

De eadem in epigrammate Catullus:

Te quæsiuimus in minore Campo,
Te in Circo, te in omnibus Tabernis,
In Magni simul ambulatione.

Bene autem ambulationem nominat, quia æstatis tempore, propter umbram: quibusuis temporibus, propter delectationem, frequentes in ea ambulabant homines: ut primo & tertio libro de Arte Ouidius innuit. In eadem Pompeij imago populi uoluntate erecta fuit: Plutarchus in uita Bruti.

M. Agrippæ,

Ante ædem Panthei, de qua paulo antè. Horatius lib.

tius lib. 1. Epist. —— Cùm bene notum
Porticus Agrippæ, & uia te conspexerit Appij.

Iulij,

Prope arcum Fabianum in foro. Huius porticus mentionẽ inueni apud Persij interpretem, et Victorẽ.

Augusti,

Plures: una in Campo, cuius solum lithostrotũ, & latera myrto, lauro ac buxo circũdata, perpetuæ uiriditatis. alia duplicata in ipsius foro, in qua statuæ uirorum illustrium triumphali habitu collocatæ erant.

Liuiæ uxoris Augusti,

Ad uiam Sacram, ubi nunc ruinæ templi Pacis cernuntur, artificum tabulis ornata, & opaca fœcundissimáq; uite inumbrata: de hac lib. XIIII Plinius, de illis Ouidius,

Nec tibi uitetur, quæ priscis sparsa tabellis
Porticus, auctoris Liuia nomen habens.

Hanc inter præclara Vrbis ornamenta recensẽt Strabo: & ædificatam fuisse Caio & Lucio Coss. honorandis, scribit Dion.

Octauiæ, sororis Augusti:

De eadem Ouidius 1. de Arte:

Aut ubi muneribus nati sua munera mater
Addidit, externo marmore diues opus.

Per munera nati, Marcelli theatrum & basilica intelligitur, cui fuit Octauiæ porticus cõtigua: unde eã dẽ porticũ Marcelli nominat Florus. Vestigia eius inter S.

ter S. Nicolaum in carcere, & S. Mariam in porticu: ubi locus ex ruinis eminentior. Quin ipse uidi ibidem effodi lapides Tiburtinos, & marmorea ingentium columnarum fragmenta.

Claudij,

Vltra uiam Sacram, theatrum uersus. Merula hanc & Liuiam eandem esse auguratur. Martialis à Tito & Domitiano fratribus significat Claudiam restitutam. nam postquam de amphitheatro Titi, & thermis eiusdem locutus est, addit:

Claudia diffusas ubi porticus excipit umbras,

Vltima pars aulæ deficientis erat. Ad eam porticum quondam terminabatur domus aurea Neronis.

Neronis,

Intra ipsius domum æneo colosso addita. Triplex fuit, & singuli ordines M. pass. complexi sunt, ut ex Suetonij uerbis licet intelligere. Alij milliariam à spacio uocant.

Neruæ,

In ipsius foro cum columnis excelsis, partim rotundis, partim quadratis, quarum adhuc aliquæ relictæ sunt, olim laminis ex orichalco tecta.

Traiani,

Eiusdem foro adiecta, cui columnarum altitudine nulla ullius ætatis in urbe par fuit. Hæc eadem est, de qua canit Sidonius,

Vlpia quòd rutilat porticus ære meo.

Rutilasse

Rutilasse autẽ ære, propter statuas in ea positas, ait.

Antonini Pij,

Iuxta ædem S. Stephani de Truglio: de qua undecim marmoreæ columnæ striatæ, magnæ & pulchræ extant. In ea nunc ædificata domus, in qua pueri orphani nutriuntur.

Faustinæ, uxoris Antonini,

Forum Romanum, & Palatinum montem prospiciens. extructum in ea templum S. Laurentij in Miranda: ex ea decem columnæ reliquæ, forũ uersus sex, utroq; ex latere binæ. In epistylijs extat inscriptio.

Gordiani,

In Campo Martio sub colle, longa ped. M. in cuius lateribus uiridaria ex lauro, myrto & buxo fuerunt, ut est apud Capitolinum.

Galieni,

In eodem campo, usque ad pontem Muluium extensa, dicta πενταστιχος, propter quinque ordines, quorum primus ex pilis, reliqui quatuor ex columnis fuerunt. Dicta etiam Flaminia, propter uiæ uicinitatem.

Constantini,

De hac nihil aliud, quàm quòd in Capitolio fuerit, legimus. Referũtur præter has & aliæ, ut Minitij à Velleio, Neronis per totam urbem à Suetonio, Vipsani à Tacito, Reguli à Plinio iuniare, Asidata à Victore, Stadiata à Vitruuio, centum columnarum à Martiale:

Martiale: quarum quia locus incognitus est, nomina saltem ex auctoribus nota esse uoluimus. Pergamus porrò ad alias quasdam, dignas commemoratione, & olim non incelebres.

Porticus Capitolij,

Hæ fuerunt in latere cliui Capitolini, per quem ex Velabro ascensus in Capitolium fuit: consumptæ sunt incendio factionis Vitellianæ: auctor Tacitus.

Amphitheatri,

Triplex fuit: in exteriore parte aditus nunc cernuntur XXXIII, in media XXXVI, in intima LXXII. Sed tota illa mole consumpta, atque maxima ex parte collapsa, de uniuersa structura iudicare nemo nisi artifex potest.

Circi maximi,

Et hæc triplex fuit, sed ita, ut ex triplici structura una circularis fieret: binæ exteriores ambulationibus patuerunt liberæ, altera officinis & tabernis opificum & institorum occupata fuit. Circi ingentia rudera sunt, porticus nullæ extant reliquiæ.

Septorum,

De qua Cicero ad Atticum lib. IIII, & Plinius lib. XVI. primùm eæ porticus extructæ à Lepido, deinde à M. Agrippa exornatæ fuerunt, ambientes Septa, in quibus populus magistratuum creandorum causa conueniebat.

Camp

Campi Martij,

Hæ circumcirca Campum ambierunt, ut Strabo testatur. Ex eis una fortasse fuit, quæ sequitur.

Europæ,

Adiuncta Campo, non procul à ductu aquæ Virginis, canente Martiale,

Sed curris uitreas tantum prope Virginis undas,
Aut ubi Sidonio taurus amore calet.

Vmbrosa fuit buxeto. Idem,

An delicatæ sole rursus Europæ
Inter tepentes post meridiem buxos
Sedet? Vnde idem ad hominem loca publica cœnæ caussa frequentantem, iocosè scribit libro II.

Lotus ad Europes tepidæ buxeta recurrit,
Si quis ibi serum carpat amicus iter.

Per te, perq; tuam uector lasciue puellam,
Ad cœnam, Selium tu, rogo, Taure uoca.

Idem Agenoris puellæ hãc porticũ nominat, lib. XII

Argonautarum,

A pictura sic dicta, à Campo ad Septa extensa, Martiali lib. II.

Si nihil Europe fecit, tum Septa petantur,
Si quid Phillyrides præstet, & Aesonides.

Post Quirini, Pompeij, & Europæ, tanquam præcipuam hanc extollit idem poeta, quos uersus de Quirini porticu suprà retulimus. De eadem lib. III.

Hinc si recessit, porticum terit templi,

Aut spacia

Aut spacia carpit lentus Argonautarum. Hæc porticus Neptuni fuit, quam propter nauales uictorias extruxit M. Agrippa, & pictura decorauit.

Isidis,

In hortis Commodianis, à forma dicta Curua: à pictura, Isidis. Nam Commodus Imp. cum Pescennio Nigro, qui postea ad imperium aspirauit, in ea depictus fuit, quasi præses sacrorum Isidis. Non solum autem pictura, sed & musiuo opere insignis fuit, ut ait Spartianus.

Miliarensis,

In hortis Sallustianis, exornata ab Aureliano, qui secessu illorum hortorum delectabatur: ut est apud Vopiscum. Egnatius à mille passuum longitudine uult Milliariam dici: quod nomen & Neronis porticus habuit inter Palatinum & Esquilinum, de qua paulo antè.

Longa,

Mentio eius apud Capitolinum, quæ an eadem cum superiore fuerit, ignoro: quia locum non expressit. In ea fictis Maxētij literis Vitalius interfectus est.

Porphyretica,

Et hæc memoratur à Vopisco. In ea actorum publicorum scribæ uersati sunt. Videtur iuxta Concordiæ ædem fuisse, in qua sæpissimè Senatus habebatur. nam prope ædem triplicis porticus fundamenta superioribus annis effossa constat.

Sistus

Sistus IIII *pontifex porticus in uicis ante domos sustulit, & plateas ampliauit atque purgauit, quo consilio atque opere plurimum salubritati urbis contuliſſe dicitur.*

DE ARCVBVS TRIVMPHALIbus, & trophæis. Cap. XV.

ARcus olim *honoris uirtutisq; causa erecti sunt, ijs qui externis gentibus domitis, singulares uictorias patriæ pepererant. Ii primùm rudes & simplices fuerunt, cùm præmia uirtutis eſſent, non ambitionis lenocinia: ſeculo inſolentiore monumenta uictoriarum, & triumphorum pompa, in ijs inciſa. Erant aut latericij, ut Romuli: aut ex rudi lapide quadrato, ut Camilli: aut ex marmore, ut Cæſaris, in foro: Druſi cum trophæis, in uia Appia: Traiani, in eiuſdem foro: Gordiani, in Viminali: Gratiani, item Theodoſij, non longè à uia Triumphali: deinde etiam reliqui, quos iam nominabimus. De ijs enim tantum, de quibus adhuc reſtat aliquid, more inſtituto loquemur. Arcuũ forma primùm erat ſemicircularis, unde & nomen fornicis accepit: fornix enim Fabianus à Cicerone dicitur, qui à Victore arcus Fabianus nominatur. Poſtea quadrata, ita ut in medio ampla eſſet porta fornicata, & ex eius utroq; latere aliæ portæ minores additæ. Intra mediæ portæ fornicem Victoriæ alatæ pependerunt, quæ demiſſæ uictori tranſeunti coronam imponerent. In ſuperiore arcus*

parte

parte spacia sunt, in quibus aliquot homines, uel qui tubis canerẽt, uel qui trophæa maximè insignia ostẽtarent, stetisse existimantur. Hæc magnificentia Augusti temporibus, uel paulo antè cœpit. nam de Cæsaris arcu, Seruius: de Drusi, Suetonius: de Germanici & Neronis, Tacitus. Nouitium hoc inuentum ait Plinius, non quòd arcus ante Cæsarum tempora non fuerint, sed quòd tali ornatu non fuerint. Antiquissimi, de quibus extat aliquid, sunt tres: nouitij autem Plinio, nobis ueteres, quinq;.

Arcus Romuli,

Vestigia inter S. Mariam de gratia, & S. Mariam de inferno. Bini fuerunt, quos, etsi latericij erant, tamen in marmoreos Romani non mutarunt, ne conditoris sui memoria, & priscæ frugalitatis monumentum interiret. Hos sua tempestate primùm collapsos, affirmat Blondus.

Camilli,

A uia lata eunti uersus S. Mariam in Minerua, ex lapide quadrato, rudi, & nullorum ornamentorum, inclusus parti ædificiorum.

Fabij,

In uia Sacra, cuius fundamenta cùm in urbe essemus, effodi dicebantur, prope S. Laurentium in Miranda. In eo scuta & signa Victoriæ fuerunt sculpta.

Arcus Titi,

Marmoreus, inter forum Romanum, & amphitheatrum, adiunctus templo S. Mariæ nouæ. In eo ab una parte sculptus de Iudæis triumphus. Imperator in curru sedens, ab alata Victoria coronatur. currui præfertur arca fœderis, præcedentibus duodecim fascibus cõsularibus. Ab altera parte candelabrum aureum cum septem lucernis, tabulæ Mosaicæ, mensa aurea, & uaria templi Hierosolymitani uasa. In medio arcus fornice, Titus sedens aquilam alis expansis utraque manu sub genibus tenet. In frontibus, Iudæi uinctis post tergum manibus captiui aguntur. Huius splendidissimi arcus, & amplissimi triumphi, libro VII. belli Iudaici meminit Iosephus.

Domitiani,

Titi fratris in uia Flaminia, inter S. Siluestrum, et S. Laurentium in Lucina, quatuor columellas habet in prima fronte. In eo urbis imago, & Victoriæ: & Domitianus nudus sedens, corpore procero, & dormienti similis, à Minerua fouetur. Martialis lib. VIII.

Stat sacer, & domitis gentibus arcus ouans.
Hic gemini currus numerant elephanta frequenter,
Sufficit immensis aureus ipse iugis.

Extruxit plures per omnes urbis regiones, ut scribit Suetonius: & insignem in uia Appia, de quo Statius in Siluis.

Septimij,

Septimij,

Ad radices Capitolij, propemodum eregione arcus Titi. Visuntur in eo nauales & terrestres pugnæ, cum machinis bellicis, uarijsq; armorum generibus. Ex utraq; parte Victoriæ, & milites trophæa gestantes. Ad eius superius spacium per gradus quinquaginta ascendimus.

Gallieni,

In Cœlio monte, coniunctus templo S. Viti, nullis ornamentis, ex lapide Tiburtino.

Constantini,

In Palatini radicibus, ad caput uiæ Appiæ, multi ornatus & artificij, res eius gestæ in eo expressæ, & in primis bellum contra Maxentium: cui etiam iacenti, admisso equo insultans, minitatur. Fuerunt supernè circumquaque impositæ statuæ, partim mutilatæ, partim collapsæ. And. Fuluius libro secundo, quem carmine scripsit, plures recenset arcus, quorum ne uestigia quidem relicta sunt.

Trophæa Marij,

Inter templa S. Eusebij, & S. Iuliani, in Esquilino, Moles latericia, in qua bina trophæa ex marmore. Sunt autem trunca corpora cum spolijs, quorum alterum thorace squamoso indutum, cum ornamētis militaribus & clypeis, ante se habens iuuenem captiuum, brachijs ad tergum reuinctis, & undique alatas uictorias. Alterum armis militaribus ornatum,

inter quæ clypei inæqualiter rotundi, galea aperta cum cono & cristis, & altera sine cristis clausa. In eodem inest forma chlamydis, & alia quædã, quæ marmore detrito et corrupto cognosci satis non possunt. Locus ille hodie Cimbricum uocatur, quia de Cimbris à C. Mario trophæa illa sunt erecta.

DE TIBERI, ET FLVVIIS VRbis: & de ornamentis fontium, ac naumachijs. Cap. XVI.

Tiberis in Hetruria ex monte Apennino, paulo supra Arnum oritur, augustiore nomine Tiberinus, à poetis Tibris, in sacris Serra, antiquissima appellatione Rumon, aliquando Albula dictus. Virg. VIII. Aen.

—— Amisit uerum uetus Albula nomen.

In quadam urbis parte Terentum, ut ex Ouidio in Fastis, & Val. Maximo, ubi de Valesio quodam Sabino scribit, apertè colligitur. Dicitur à poetis amnis Lydius, propter aduenas è Mæonia, qui ad eum consederunt. Item amnis Tuscus, propter accolas, quia in uetustissima Tuscorũ sede ortum habet. Virg. 2. Aen.

Ad terram Hesperiam uenies: ubi Lydius, arua
Inter opima uirûm, leni fluit agmine Tibris.

Idem 1. Georg. —— Tu Romule, Vestaq; mater,
Quæ Tuscum Tiberim, & Romana palatia seruas.

Tiberis

Tiberis autem inter septentrionem & occasum in urbem influit: & meridiem uersus apud Ostiam oppidum, in mare Tyrrhenum ostio amplo, & proximè deducta fossa, quæ ibidem efficit insulam, infertur. Naturali suo colore, albus: uulgari amnium, cæruleus est: propter terram quam radit, flauus, & leni pluuia turbidus. Apud Virgilium pulchrum flumen nominatur, & Regnator aquarum, & Cœlo gratissimus amnis. Aqua Tiberina in urbe uenditur, & in fictilibus urceis, aut uasis lapideis continetur, fitq; in eis limpidissima, potu amabilis, & absq; corruptione longo tempore pura. Nec minus aquarum esse huic amni, quàm Nilo, Plinius tradit: profunditate tanta, ut magnarum etiam nauium sit capax: latitudine quatuor fermè iugerum, Dionysij temporibus. Impetu celer, & uorticosus. Primò cursum habuit inter Palatinum & Capitolinum, per Velabrum stagnans, & fori partem. unde Ouidius:

Hic ubi nunc fora sunt, lintres errare uideres.

Sed eum repressit Priscus rex, & pòst eo, quo nunc currit, alueo cohibuit Augustus. quò respexit ad Pisones Horatius,

—— Amnis Doctus iter melius.——

Aurelius Aug. ad Flauium Arabianum scribit, se Tiberinas extruxisse ripas, & uadum aluei tumentis effodisse. De Tiberis auctu extat libellus Ludouici Gometij: & in arce Romana, item ad Templa S.

Mariæ de populo, & S. Mariæ supra Mineruam, & ad S. Eustachium, item in Valle Martia & campo Agonio sunt indicia marmoribus incisa, ad quantam altitudinem aliquoties creuerit. Interdū aduerso cursu influentes amnes impellit, & alienis aquis nocet cùm urbi, tum uillis & agris: illud Augusti tempore factum ait Horatius: hoc Traiani, iunior Plinius. Inundatio eius Theodosij temporibus usque ad octauū diem durauit. Auctus autem semper habitus religiosus, quia futurum malum aut cladem urbi portendere creditur. Nostra memoria, Clementis VII Hetrusci anno septimo, VIII Id. Octobris sereno cœlo, inopinato Tiberis incremento, tota Roma nauigabilis facta est, ruptis uidelicet lacus Velini aggeribus. Modò dum hunc libellum augeo, Pauli III Campani anno quarto, Id. Septembris, aduerso maris cursu Tiberis auctus, duos pontes labefactauit: Aelium, per quem in nouam nunc arcem accessus est: Palatinum, per quem aditus ad arcem ueterem fuit. Templum in insula magna ex parte, adiunctum ei cœnobium, totū euertit. De amnibus in Tiberim influentibus, Plinius libro tertio, & Corn. Tacitus libro primo Annalium, satis multa commemorant. De Tiberi quæ auctor non nominatus scribit, quē in bibliotheca Mersburgi ad Salam uidi, breuiter subijciam. Tiberis, cui primatum æternæ Vrbis singularis tribuit magnitudo, nascitur è mōte Apēnino, currit milliaria CCCC.

per urbem

per urbem sacram geminatur, & facit insulam Regioni XIIII. ubi duo pontes appellantur: pòst iterũ ibi unus effectus, per pontem Lepidi, qui nunc à plebe Lapideus dicitur, iuxta forum boarium, quod Caci dicitur, transiens, suorum turbinum uerticibus, & maritimas naues suscipit, & mediterraneas deducit. De Hetruria atque Sabinis ingressus, per portam S. Petri apostoli seu Flumentanam, inter Hostiensem portam quæ est S. Pauli apostoli, & uiam Portuensis, quæ est S. Felicis martyris, urbe egreditur. Hinc iterum circa Sex. Philippi prædium geminatur, & duobus alueis ex uno effectis, insulam facit inter portum urbis, & Hostiam ciuitatem: quò populus Ro. cum urbis præfecto castrorum lustrandorum causa solenniter egreditur. Insula autem illa tantæ amœnitatis est, ut insula Floræ uulgò nuncupetur. Hæc ille, q ui annos ante quadringentos uixit, auctor, ut dixi, non nominatus.

Riuus Appiæ,

Frontinus: Riuus Appiæ (inquit) sub Cœlio monte & Auentino auctus, emergit infra cliuum Publicij Alsi, & inde eductus est in Naumachiam. Hodie per portam Gabinam (ut & antè dixi) ingreditur fluuius, qui fertur per uallem inter Cœlium & Cœliolum: inde per uiam Appiam in radicibus Auentini, sub eo cliuo quo ad S. Sabinam ascensus est, influit in Tiberim. A Mariano oppido, aqua Mariana dicitur. Mar-

tur. Marlianus riuum Herculanum esse arbitratur: nonnulli aquam Crabram, cuius est apud Ciceronem mentio.

Almo,

Extra Capenam, in quo religionis caussa quotannis sexto Calendas Aprilis simulachrum & carpentum & leones Cybeles, & cultri Phrygij à sacerdotibus abluebantur: cuius mentio apud Ouidium, Lucanum, Silium, Statium, Claudianum, Val. Flaccũ, Martialem. nam Cosmographi de eo fluuio, quod sciam, nihil. Non procul autem ab urbe cum Tiberi miscetur, & cursu breuissimus esse dicitur ab Ouidio.

DE AQVIS RELIGIOsis in Vrbe.

Fuerunt & religiosæ aquæ: ut nihil unquam in Vrbe superstitione caruit. Mercurij, extra eandem Capenam: in qua qui lauabant, se à periurio liberari credebant. modum lauandi aliquot describit uersibus Ouid. lib. v. Fast. Petronia, quam magistratus auspicatò transierunt, cum in Campo agere quid uellent, ut auctor est Verrius Flaccus. Iuturnæ aqua in foro, quam ualetudinis caussa multi bibebant, & præ cæteris adhibebant ad sacrificia: ut olim Trœzenij Hippocrenen fontem, Athenienses Callirhoen. Fontem autem Iuturnæ in foro fuisse, lib. i. Fast. ostendit Ouidius, eumq; secutus Victor in octaua regione. Versus Ouidij sunt:

Fratribus

Fratribus illa Deis, fratres de gente Deorum,
Iuxta Iuturnæ compo ſuere lacus.

Templum uerò fuiſſe in Campo, prope aquam Virgimem, apertè idem indicat:

Te quoq; lux eadem Turni ſoror æde recepit,
Hic ubi Virginea campus obitur aqua.

Facile igitur tolli cõtrouerſia poteſt, quæ inter ſcriptores recentiores eſt, ſi uerba poetæ attentè conſiderentur. Præterea in Tiberi lauabantur nudi, qui erant morbis grauibus liberati, quæ ſuperſtitio nimis manifeſta, nec Satyræ reprehenſione caruit. Horat. II. Serm.

Frigida ſi puerum quartana reliquerit, illo
Mane die, quo tu indicis ieiunia, nudus
In Tiberi ſtabit. —— Perſius II. Sat.
—— Tiberino in flumine purgas
Mane caput, bis terq;. ——

DE ORNAMENTIS FONtium, atque aquarum.

Quia de aquis ſermo eſt, de ornamentis fontium dicam aliquid, quorum non pauca ex antiquitate relicta ſunt monumenta. Fontibus igitur uaria appoſuerunt ſimulachra antiqui, uel propter religionem, uel propter ornatum. Religionis cauſa Apuli & Siculi Herculem, quia aquas extincta Hydra purgauit: unde & thermæ Himeræ urbis in Sicilia, item Oetæ montis & Pylarum in Theſſalia, in tutela Herculis fue-

lis fuerunt: quod Pindari & Sophoclis interpretes scribunt. & sunt qui omnes thermas ei esse sacratas uelint. Herculeæ thermæ Allifis & Mediolani in primis nobiles, à quibus etiam uicus Mediolanensis nomen traxit. M. Agrippa Romæ non Herculem, sed Hydram ipsam ad lacum Seruilium posuit, quod memoriæ prodidit Sex. Pompeius. Ornamenti autem gratia, fontibus appositæ fuerunt diuersa simulachra, quorum & publicis in locis, & in nobilium ædibus adhuc plurima cernuntur. Vsitatissimum fuit, deos fluminum apponere, qui formantur iacêre semierecti, urnisq; brachio suppositis amnes tanquam è fonte emittere, uelati plerunque serto harundineo, & tecti carbaso, quæ est uestis fluxa & ampla, umbilico tenus, superiore corporis parte nudi. Talis cernitur Tiberis, in domo Cæsia: talis Arnus, in hortis Pontificijs: & duo colossi marmorei in area Capitolina, Nili & Tigris, uel (ut quibusdam placet) Naris & Anienis, uel (ut alijs) Acheloi & Istri. Alter cubito innititur Sphingi monstro, alter tygri animali: barba alter prolixa, alter modicè resecta. Talis est colossus Rheni, prope forum Romanum iacens, quem alij Niphatis fluuij esse putant: Blondus falso uocabulo Iouem pistorem, uulgus nouo Marforium nominat. Talis in scuto Turni apud Virgilium, lib. VII. Amnem cælata fundens pater Inachus urna.

In domo Chisiorum, extra portam Septimiam, ante

ante Deum aquarum, eo quo diximus modo cuban-
item, nuda mulier stans, dextramq; mamillam ma-
nu comprimens, aquam in subiectum labrum immit-
tit. Ad ortũ Virginis in agro Lucullano, puellæ ima-
go ad fontem stetit, ut Frontinus testatur: in Vmbria,
Clitumnus prætexatus iuxta fontem suum, ut iunior
Plinius: in Surrentino Pollij, ante balneum, ipse Ne-
ptunus, ut Statius. In domo Cæsia, de qua iã diximus,
Siluanus barbatus è saxo paulatim stillante, quasi ex
utre aquam exprimit. Reperiuntur frequenter Nym-
phæ dormientes, quæ amphoris & crateribus (ea
fuerunt Hydriadum insignia) innituntur: quorum
symbolorum in Odyssea mentio apud Homerum,
& latius excquitur interpres eius Porphyrius. An-
tiqui operis pulcherrimum monumentum Romæ, in
capite uiæ latæ, in domo priuata uidi: erat autem
Nais sinu aperto, supina iacens, & uentre ad pu-
bem nudo, capite incubans amphoræ. Recentis
operis in agro Neapolitano, in uilla Leucope-
treq, Arethusa nuda adiacet fonti, in nymphæo
conchiliato. Legitur de simili Nympha epigram-
ma in hortulo Colotij:

Huius Nympha loci, sacri custodia fontis,
Dormio, dum blandæ sentio murmur aquæ.
Parce meũ, quisquis tangis caua marmora, somnum
Rumpere: siue bibas, siue lauere, tace.

Et alibi in fontis margine hæc antiqua inscriptio:

NYM-

Erant & alia simulachra. interdum enim totus aliquis fons absorbebatur, quem Deus marinus ore excipiebat, ut ex illo Propertij discitur, lib. II.

Et leuiter lymphis tota crepitantibus urbe,
Cùm subito Triton ore recondit aquam.

Nonnunquam rursus euomebatur, uel per Nilũ & Euripum: ita maiores minoresúe canales appellabant. uel per conchas, certaúe uasorum genera. De Silano Lucretius libro ultimo:

Corpora Silanos ad aquarum strata iacebant.

De Cantharo uetus lapis, extra portam Ostiensem repertus in uinetis, cum hoc disticho:

Perdiderat laticum longæua iniuria cursus,
Quos tibi nunc pleno Cantharus ore uomit.

Sed ne prolixior sim, dicã de Naumachijs, quas Romani, postquam cognouerunt externas gentes nauali certamine plurimum posse, primo bello Punico instituerunt: ut auctor est Seruius. In his naualium pugnarum, ut pedestrium in campo, circo, aut theatro, edebantur spectacula. Vnde Martialis:

Quicquid & in Circo spectatur, & Amphitheatro,
Diues Cæsarea præstitit unda tibi.

Res tota sublata est, locorum notatio ad cognoscendas ualles pertinet. Fuerũt naumachiæ quatuor. Circi maximi, quæ & uetus à Suetonio nominatur: ea occupauit

occupauit uallem inter Palatinum & Auentinum, de qua uidetur sentire Claudianus lib. 11. de Stilicone:

Ad cœlum quoties uallis tibi Martia nomen
Ducet, Auentino Pallanteoq; recessu. Hanc autem uallem propter exercitationes bellicas Martiã nominat: sicut ab ijsdem cãpus ad Tiberim Martius appellatur Cæsaris Augusti, in ualle Martia iuxta eiusdem numinis campum: de qua Ouidius lib. 1. de Arte: Caij & Neronis, inter Ianiculum & Vaticanum, de qua Corn. Tacitus: Domitianique eo in loco, quo Augusti fuit sed ab eo perpurgata, & effosso circumductoq; ex Tiberi lacu ampliata. de hac apud Suetoniũ & Martialem. Hæ ualles nostro iam tempore priuatorum hortis, possessionibus, ædificijsue magna ex parte occupantur.

DE PONTIBVS TIBERInis. Cap. XVII.

IN urbe fuerunt curatores aluei & riparum Tiberis, qui non solum fluuium coercebant, & ut esset sine sordibus ac impedimentis curabant: uerumetiam terminos statuebant, quò usq; habitare in ripa, uel ædificare liceret. Ei muncri aut singuli præerant, ut sub Traiano, T. Iulius Ferox: sub Hadriano, A. Messius Rusticus: quorum termini adhuc extant, & titulos descripsit Marlianus. Aut præerant plures, ut sub Vespasiano, C. Calpetanus, Rantius Quirinalis, Valerius Cestus: cuius termini titulus refertur in antiquæ

tiquæ Vrbis epigrammatis. & nos ipsi talem inuenimus Romæ:

C. VIBIVS C. F. RVFVS,
SEX. SOTIDIVS SEX. F. STRABO
LIBVSCID.
C. CALPETANVS CESTACIVS RVFVS.
M. CLAVDIVS M. F. MARCELLVS
L. VISELLIVS C. F. VARRO
CVRATOR. RIPARVM ET ALVEI TIBERIS EX S. C. TERMIN.

Ex qua inscriptione etiam docemur, Curatores aluei & riparum Tiberis, non esse primùm ab Augusto institutos, ut Suetonius scribit. hic enim ex S. C. legitur terminus positus. In alijs tamen omnibus, quas commemoraui, in initio legitur, EX AVCTORITATE IMP. Pontes Tiberis primùm curarunt Pontifices, qui Sublicium augurato conditerunt, à quo ponte nomen illis inditum est: deinde Censores, item Viarum curatores, ut pontis Fabricij titulus probat: postremò idem munus susceperunt nominis & honoris sui causa Imperatores. Antoninus enim Pius, Ianiculensem marmoreum fecit: Gordianus Cestium restituit, Hadrianus nouum de suo nomine extruxit.

Muluius,

Vel (ut in antiquis Sallustij libris) Moluius: non enim

nenim Miluius (ut nunc uulgò appellatur) dicendum
est, quod & Basilius Zanchus confirmat. Ab Aemi-
lio Scauro cẽsore factus, ab Augusto refectus, ad secũ-
dum ab urbe lapidẽ, in uia Flaminia. Silius lib. 2. Silu.

——Flaminio quæ limite Muluius agger
Transuehit. ——

Claudianus de Honorij in urbem introitu, cùm esset
sextum consulatum adeptus,

Omne Palatino quà pons à colle recedit
Muluius, & quantum licuit consurgere tectis,
Vna replet turbæ facies. ——

Fornices habet magnos quatuor, binos mediocres,
totidem paruos.

Aelius,

Ab Aelio Hadriano, prope sepulchri sui molẽ fa-
ctus: nunc pons Castelli, uel Pons S. Angeli. Fornices
quatuor. In eo põte equites aurati creari hodie solẽt.

Ianiculensis,

Qui & Aurelius, & aliquando Pons ruptus. nũc
Pons Sixti: restitutus enim est à Sixto Quarto. Post
hunc pontem se flumen diuidit, & insulam circũfluit.

Tarpeius,

Qui olim Fabricius: & ut Porphirio scribit,
suo tempore Lapideus dictus. nunc dicitur pons
quatuor capitum, eregionè theatri Marcelli, in-
sulam in flumine surgentem, quæ biremis for-
mam refert, & Lycaonia dicitur, urbi coniun-
git.

git. Insula est longa pass. CCL. lata uerò L. Fornices duos ingentes habet. Horatius II. Serm.

Atq; à Fabricio non tristem ponte reuerti.

Hunc Paulus Tertius corruptũ refecit, & restituit.

Esquilinus,

Quondam Cestius, nunc S. Bartholomæi, eandem insulam regioni Transtiberinæ iungit. Forma arcus triumphalis factus, fornice in medio ingenti, & ab utraq; parte paruulo.

Palatinus,

Aliquando pons Senatorum, nunc S. Mariæ Aegyptiacæ: quia aquam ex insula duabus partibus cum impetu defluentem accipit, reliquis maior est: fornices habet sex, pilas quinque.

Leguntur & alij duo, qui hodie non sunt: sed eorum in flumine uestigia apparent.

Triumphalis,

Inter Aelium & Aurelium: alio nomine Vaticanus, quod in campum & montem Vaticanum duceret. Huius pilæ quatuor in Tiberi regione hospitalis S. Spiritus ex aqua eminent.

Sublicius,

Qui & pons sacer, & pons Herculis, & Aemilius à Lampridio, & ab Antonino pons Lepidi dictus, pedes circiter sexcentos à Palatino abest. Fundamenta parum supra Naualia in fluminis alueo apparent. Ex solido marmore fuit: unde aliquando pons

Marmo-

Marmoratus dictus est. Omniũ primus & antiquissimus, hodie uerò nullus. Ex hoc ponte Horatius Hetruscorum sustinens exercitum, cum Largio & Herminio pugnauit: sed illis saluis, se in fluuium solus dedit. quam historiam in Turno suo, Italorum duce, effinxit Virgilius.

DE AQVAEDVCTIBVS, quorum uestigia nunc sciuntur extare. Cap. XVIII.

VRbi Romæ nullum ex ædificijs opus, aut ad necessitatem melius, aut utilius ad salubritatem fuit, quàm tot tantiq; aquarum ductus, qui quasi amnes perpetui (ut Strabo inquit) eam inundarunt. Aquæ, usibus publicis priuatisq; seruientes, nomen uel à fontibus lacubusq; acceperunt: ut Anio uetus, Anio nouus, Sabatina, Alsietina, Cimina, Cœrulea, quæ & Claudia: uel à deductoribus, ut Martia, Claudia, Appia, Iulia, Alexãdrina, Antoniniana: uel casu illud inuenerũt, ut Virgo & Tepula. Spartianus ait, Hadrianum propter gloriæ cupiditatẽ multos aquæductus de suo nomine appellasse, nullius tamen nomen exprimit. Sæpe autem diuersæ existimantur aquæ, quæ una est. Vel propter instauratores: ut Martia dicta est Aufeia, item Traiana: Alsietina, Augusta: Alexandrina, Neroniana: Sabatina, Aureliana. Vel propter fontes, ut Claudia modò Cœrulea,

modò Curtia appellatur: Anio nouus, aqua Herculanā, à riuo Herculano. Aquas tuebantur censores, item ædiles, interdum consules. Inter principes præcipua aquarum cura fuit Augusto, eiusq; socero Agrippæ, præterea Neruæ, Traiano, Hadriano, Vespasianis, & (ut Cassiodorus tradit) Theodorico regi Gothorum. Erant uarij earum custodes, & magistratus. Aquileges apud Plinium sunt, qui perscrutantur & explorant fontes, & aquas ducunt. Duumuiri aquæ ducendæ, & curatores aquarum, leguntur in Allifanis & Formianis inscriptionibus. Agrippa, qui urbem aquis, ut est apud Suetonium, auxerat, primus omnium consularis operum suorum, & munerum perpetuus curator fuit. Consularis autem aquarum legitur etiam in formula Hadriani, in qua dignitatum omnium tam ciuilium, quàm militariū nomina sunt descripta. Procuratorem aquarum curatoribus addidit Claudius. De Mostro Augusti liberto, à commentarijs aquarum, & de Clemēte seruo castellario, loquuntur inscriptiones Romanæ: & de familia huic muneri destinata scribit Frontinus, qui de aquæductibus Romanis libros duos edidit. Procopius tradit, ductus aquarum Romæ quatuordecim fuisse: quorum fundamenta ex lateribus facta, impositis suprà saxeis canalibus, arcuum modo factis, tanta latitudine, ut eques sine ullo casus periculo supernè per eos posset euadere. Hæc cùm satis uideantur cùm de appellatione aqua-

tione aquarum, tum de curatione & numero dicta, rem nostro instituto propiorem aggrediamur.

Virgo,

Restituta à Nicolao Quinto, opere arcuato quadrati lapidis. per campum Martium nunc fluit, ex agro Tusculano, qui à Lucullo olim possidebatur, deducta per Agrippam, uia Collatina, ut Frontinus: & in Prenestinam incidens, ut auctor est Plinius. Ouid. lib. III. Fast. ait, eos qui in campo exercerentur, ea sudorem & pulucrem abluisse:

Nunc ubi perfusa est oleo labente iuuentus,
Defessos artus Virgine tingit aqua.

Et Statius Anienem ad eundē usum cū hac coniūgit,

Quas præceps Anien, atq; exceptura natatus
Virgo iuuat. ——

Plinius lib. XXXI. Quantum, inquit, Virgo tactu, tantum præstat Martia hausu: hanc uidelicet bibenti salubrem, illam natanti & lauanti commodam significans. Virgo cæteris frigidior fuit, quod Ouid. scribit III de Arte: & eandem poeticè liquorem Virgineum appellat de Ponto, & aquam Virgineam in Fastis. Hæc etiam aqua Augusta appellata fuit, ut auctor aliquot locis est Dion.

Sabatina,

Reducta ab Innocentio octauo, à Sabate lacu, uia

Aurelia: huius primum deductorem non ponunt, qui de urbe scripserunt. Eius duo nunc sunt fontes in Vaticano: alius intra palatium Pontificis, cum cochlea, ex qua supernè ab omni parte despicere in fontem licet: alter in ipso campo. Prudentius poëta Baptisterium describit in Vaticano, cui hanc seruijsse aquam uerisimile est. Recentiores modò Aurelianam, à uia: modò Septimianam, à porta nominant.

Alsietina,

Restituta ab Hadriano primo, ex lacu Alsietino, uia Claudia, deducta ab Augusto. Huius ductus reliquiæ in naumachia Augusti sub Hortulorum colle cernuntur, sed aqua mox cõditur, et in regione Trãstiberina prope S. Mariæ templum, publico fonte emissa, uulgi usibus & quibusdam hortis seruit.

Martia,

Ex fonte Piconia montium Pelignorum, per Marsos ducens, uia Valeria, ad septẽ milliaria nostratia: inchoata ab Anco Martio, perfecta à Publio ac Quinto Martijs, ut in Coriolano scribit Plutarchus: qui eundem ductum maximum pulcherrimumq; uocat, & inter miracula refert Plinius lib. x x x v i. idq; confirmat Statius 1. Siluarum,

—— Marsasq; niues & frigora ducens
Martia, præcelsis quarum uaga molibus unda
Crescit, & in numero pendens transmittitur arcu.

Eadem

Eadem aqua per Fucinum amnem transijt plumbeis fistulis, ut idem canit:

Teq; per obliquum penitus qui laberis amnem
Martia, & audaci transcurris flumina plumbo.

Hoc si uerè scribitur à Statio, id quod ars & opera hominum effecit, naturæ attribuit Plinius, qui ait, quòd ita in Fucino lacu Martia inuehatur, ut in Lario Abdua, in Verbano Ticinus. Nisi aliud sit lacus Fucinus Plinio, & amnis Fucinus Statio.

Tacitus & Martialis propter frigus Martiam natationi: Tibullus, Plinius, Frontinus, propter salubritatem potui esse aptam, scribunt. Propertius lib. III.

Non operosa rigat Martius antra liquor. &,
—— æternum Martius humor opus.

Aqua ista hodie non influit in urbem: ruinæ ductus intra & extra portã Esquilinam ingentes cernũtur.

Claudia,

Ex duobus fontibus, Cœruleo & Curtio, qui & Albudinus. Hanc aquam cæsis Mauritanis Misulamis Claudius deduxit uia Sublacensi, ex Simbriuinis collibus, ut Tacitus inquit XI. Annali. Fuit autem Simbriuiũ flumẽ in Equicolis, finibus Tiburtũ. Silius VIII.

Quiq; Anienis habent ripas, gelidoq; rigantur
Simbriuio. & Tacitus lib. XIIII. Apud Simbriuina stagna, cui Sublaqueum nomen est. licet omnes Taciti codices his in locis sint deprauati. Claudiã aquã propter salubritatem Vitellius in delicijs habuit, &

Alexander Seuerus ieiunus bibit ad unum propè sextarium. In urbe in duas diuidebatur partes. unus enim ductus ex Cælio in Capitolium, alter in Auentinum tendebat. Ruinas eius in Auentino prope S. Priscam, & prope portam Næuiam in muro uidimus, canales scilicet saxeos tres, alterum alteri impositum, tantæ amplitudinis, ut unus à me perreptari posset. In Cælio monte intra monasterium S. Ioannis & Pauli, fons restare dicitur, qui perenni aqua abundat: neq; procul inde Castellum aquæ est quadratum, & magna ex parte integrum, forma diuersum ab ijs duobus, de quibus mox in thermis dicemus.

Iulia,

A' Iulio quodam inuenta, ab Agrippa exuarijs uenis in agro Tusculano collecta & deducta, uia Latina, restituta ab Aureliano: ductus in Esquilino rudera apparent, inter portam & Marij trophæa.

Hactenus de aquis, quæ aut in urbem hodie ex uetustis introeunt, ut tres priores: aut quarum aliqua uestigia cernuntur, ut reliquarum.

DE BALNEIS ET NYMPHEIS. Cap. XIX.

BAlneæ in urbe plurimæ fuerunt, cùm priuatæ in locis diuersis, tum publicæ in singulis regionibus. Si quibus autem locis deessent, aut corruptæ essent, eas antiquitus ædiles, suis temporibus uel addiderunt, uel restituerunt Seuerus & Gordianus Impp.

Impp. in primis populares, & lauationum studiosi. Cùm enim apud Romanos esset lini usus rarior, sudorem sordesq; corporis sæpius abluere necesse habebant. Vsitato more ante cœnam balneis uiebantur: item post ambulationes, exercitationes, operas, sæpe necessitatis, ut dixi, caussa, non rarò uoluptatis. Siquidem Commodum octies, Gordianum & Galienum iuniores & Rhemnium grammaticum septies die lauisse legimus. Balneas mixtas haberi Seuerus prohibuit: quod Commodus non uetuerat, Varius permiserat. Tristibus reip. temporibus balneæ clausæ tenebantur. Sola & parietes balnearum unguentis illine bantur. idq; non modò potentiores factitarunt, sed in priuato quoq; homine, ac demum in seruo Plinius notauit: & Seneca aquam argenteis epistomijs fundi in plebeijs fistulis, & in libertinorum balneis gemmas calcari indignatur. Valerius & Macrobius Sergium Oratam, hominem uoluptuarium, etiam pensiles instituisse balneas commemorant.

Balneæ Palatinæ,

A loco sic dictæ: nam in dorso Palatini fuerunt, quarum uestigia cum parietinis & fornicibus collapsis in hunc usq; diem uidentur. Pauimentum ex durissimis lapillis quadratis, nigri coloris, tessellarum more compositis.

Domitij,

Prospexerunt uiam sacram, ut est apud Senecam.

Neronis,

Intra ipsius domum, marinis & Albulis fluentes aquis, ut inquit Suetonius.

Agrippæ,

Quas Agrippa moriens populo legauit, de suo nomine dictas: locus non ponitur à Dione.

Agrippinæ,

A matre Neronis, in colle Viminali, qua respicit ædē S. Agathæ, Quirinalem uersus. Ex ijs labri marmorei ingētis fragmentū uidimus in uia proiectum.

Stephani,

In ualle collis Hortulorum. Martialis lib. XI.

Octauam poteris seruare, lauabimur unà:
Scis quàm sint Stephani balnea iuncta mihi.

Octaua igitur hora lauabant, & lauabant exiguo precio, nempe quadrante, quod ex Horatio & Iuuenale notum est.

Nouati,

In Viminali, ubi nunc templum S. Pudentianæ, in quo & canales fuliginosi, & solum thermarum more tessellatum.

Olympiadis,

In eodem monte, prope S. Laurentium in Panisperna, in uineto quodam.

Pauli,

In cliuo Quirinali, ubi nunc monasteriū est, quod corrupta

corrupta Romanorum lingua, Bagna Poli, quasi balneæ Pauli dicitur. Iuuenal. Sat. VII.

Dum petit aut thermas, aut Pauli balnea.——

Prope has in proiecto lapide, formã strigilis & ampullæ uidimus exculptã. Strigili utebantur ad fricandum, purgandumq; corpus: ampulla uase, ad abluendas infusione sordes. Strigilis loco chirothecis ex serico factis, cùm ad eliciendum, tum ad abstergendum sudorem, balneatores Italos uti uidimus.

Polycleti,

Prope ludum Aemilij Lepidi gladiatoris: de quibus Helenius & Porphyrio.

Claudij Hetrusci,

Libertini hominis, qui Claudij Imp. dispensator fuit. Locus ignoratur. Profusissimus sumptus ex Statio & Martiale cognoscitur, qui eas & à marmorum precio, uarietateq;, et ab ædificij magnificentia, & à luminis immissione, & ab argenteis fistulis laudant. Vtriusq; uersus subijciam. Statius I. Sil.

Non huc admissæ Thasos, aut undosa Carystos,
Mœret Onyx longè, queriturq; excluſus Ophites:
Sola nitet flauis Nomadum decisa metallis
Purpura, sola cauo Phrygiæ quam Synnados antro
Ipse cruentauit maculis lucentibus Atys:
Quasq; Tyros niueas secat, & Sidonia rupes.
Vix locus Eurotæ uiridis, cùm regula longo
Synnada distinctu uariat: non lumina cessant,

Effulgent cameræ, uario fastigia uitro
In species animosq; nitent. stupet ipse beatas
Circumplexus opes, & parcius imperat ignis.
Multus ubiq; dies, radijs ubi culmina totis
Perforat, atq; alio sol improbus uritur æstu.
Nil ibi plebeium, nusquam Temesea notabis
Aera, sed argento felix propellitur unda,
Argentoq; cadit, labrisq; nitentibus instat,
Delicias mirata suas, & abire recusat.

Martialis VI. Epigram.

Nusquam tam nitidum micat serenum,
Lux ipsa est ibi longior, dieq;
Nullo tardius à loco recedit.
Illic Taygeti uirent metalla,
Et certant uario decore saxa,
Quæ Phryx & Libys altius cecidit.
Siccos pinguis onyx anhelat æstus,
Et flamma tenui calent Ophitæ.

Seneca ante hos nimiam balnearũ luxuriam exagitauit, lib. XIII ad Lucilium: cuius uerba, quia in superiorib. prolixior fuisse uideor, non apponã. Martialis et alias nominat, ut Tuccæ, Fausti, Fortunati, Gryllí, Lupi, Põtici, Seueri, Pœti, Tityi, Tigillini: quibus Läpridius addit Alexãdri & Varij. Agrippa CLXX gratuita balnea præbuit, quæ postea in infinitum, ut Plinius tradidit, sunt aucta: ut nihil mirum supra octingenta à Pub. Victore balnea esse computata.

DE

DE NYMPHEIS.

Nymphea quid sint, duplex est opinio. Zonaras Monachus, qui de Græcorũ imperatoribus scripsit, in Leone Magno, Nymphea esse vult palatia publica, in quibus nuptias celebrarent, qui habitarẽt angustius, aut domos proprias non possiderent. Alij nymphea putant esse loca publica, delectationis gratia facta, in quæ non ut in balneas, aut thermas, propter usum aqua deduceretur, sed gratiæ potissimum atque amœnitatis caussa: & à Nympharũ statuis, quibus ornata fuerunt, nomen traxisse. Verùm ut de forma aut usu illorũ operum non satis constat: ita maximè insignia fuisse, uel illud declarat, quòd aut ab ipsis Imperatoribus construerentur: ut de Nympheo Marci, ambitiosi operis, scribit Ammianus: de Alexandri Victor, de Gordiani Capitolinus. aut ab urbis præfectis, quale Clearchus Valẽtiniano & Valente Impp. extruxit Constantinopoli, & Flauius Philippus reparauit Romæ: sed quo tempore, incertum est. nam antiqui tantùm marmoris inuenimus testimonium:

FLAVIVS PHILIPPVS VIR CLARISSIMVS PRAEFECTVS VRBI NYMFIVM SORDIVM SQ VALORE FOEDATVM ET MARMORVM NVDITATE DE FORME AD CVLTVM PRISTINVM REVOCAVIT.

De Nym-

De Nympheis ueteribus nullum ad nostra aut patrum usq; tempora durauit. Recens nunc est inter Neapolim & montem Vesuuium, in uilla Leucopetrea, cuius forma talis est. Aedificium ex marmore quadrangulare, ad quod per unam solummodo portam est aditus, & aliquot gradibus descensus. Ad dextram introeunti in Nymphei capite, fons est aquæ limpidissimæ, ad cuius quasi custodiam accubat Arethusa nuda ex candidissimo marmore: solum uarium & marmoratum, & canali circumdatum, in quem aqua ex fonte effluit. Parietes ex conchis lapillisq; albi, nigri, flaui, purpurei coloris, quasi maltha illiti: in quibus ex concharum compositione, tanquam ductibus in pictura, anni mẽses duodecim, & quatuor uirtutes politicæ expressæ. Item raptus Proserpinæ, Pan canens fistula, & mulcens gregem. Præterea imagines Nympharum nantium, nauigantium, in piscibus ludentium: inter quas Helle insidens arieti, Siren delphino, Europa Tauro. In eodem ad singula latera, quatuor statuæ marmoreæ, Herculis leoninam gestantis, Panis agnum baiulantis, Genij cani blandientis, Naiadis nudæ. Hæc nobis & de nomine, & de auctoribus, & de forma Nympheorum, lectione atque inspectione sunt cognita: cupidè & libenter audituris, si quis uel nostra probauerit, uel studiosos certiora docuerit.

DE

DE THERMIS.

Cap. XX.

IN nullis antiquorum operibus plus luxus & insaniæ cernitur, quàm in Thermis Imperatorum: quas in prouinciarum modum fuisse extructas, Ammianus conqueritur, & reliquiæ aliquarum adhuc testantur. Thermas primus omnium, secundum Dionem, extruxit Mecœnas. Eæ aut æstiuæ aut hiemales fuerunt, quales uno eodemq; in loco extruere instituerat Gordianus: sed morte præuentus, non absoluit. Hiemales trans Tiberim Aurelianus fecit. Primùm seruierunt Imperatoribus priuatim, postea uulgatæ sunt & populo, aliquando patebant interdiu, corruptioribus temporibus etiam noctu. Consueto more mixtæ & communes non fuerunt: quod tamen malorum principum culpa aliquoties factum est, quorum ne nomina quidem referre libet. Hodie omnia in urbe maiora ædificia ab imperitis Thermæ uocantur, propter Diocletianas & Antoninianas: quod suo quoque factum tempore, non dissimulauit Blondus. Ita insignis illa basilica, quam Augustus Caio & Lucio filijs Agrippæ, suis nepotibus erexit, in Esquilino, corruptè appellatur thermæ Gallutij: item Corneliæ gentis domus ruinæ, supra Traiani forum, Corneliorum thermæ uulgò dicuntur: & in uia Salaria locum fuisse, quem thermas Sallustij eadem de causa nuncuparint, è rerum sacrarum scriptoribus colligo.

colligo. Thermis, ut & aquæductibus, adiuncta erant castella, & subiuncti canales, per quos caduca aut inutilis aqua efflueret. Castella in urbe sunt quatuor: unum in Cælio, de quo antè dictum est: tum alia duo, prius sub thermis Titi, alterum sub Diocletiani: quartum inter portam Næuiam, & Statilij theatrum. Eorum parietes malthati sunt, tam tenaci & dura materia, ut uix ferro frangatur: qualem maltham in pluribus uidimus castellis, ut in Prenestino, in portu Ostiẽsi, in monte Miseno, in piscinis sinus Baiani, locisq; alijs. Thermas secundum ætates Imperatorum ponemus, ordinem alium obseruare secundum situm urbis non possumus. Thermarum sola, ut & balnearum, interdum sternebantur uitro, ut de Agrippæ dictum est: frequentius lapide aut crustis marmoreis latis, aut tessellis quadratis uarij coloris: nigri, ut balneæ Palatinæ: nigri albiq;, ut thermæ Commodi & Antonini: quod ipsarum adhuc demonstant uestigia.

Agrippæ,

Quas inter præcipua urbis ornamenta effert Plinius, arcus & pauimenta habuerunt ex uitro: & ipse uidi eo in loco uitrea frustula effodi. Apparent in ijs sedilia, & scamnorum ordines. Sitæ sunt inter templa S. Mariæ rotundæ, & S. Mariæ supra Mineruam. Martialis lib. v.

Lassus ut in thermas decima, uel serius hora
Te sequar Agrippæ.

Ante

Ante has signum Apoxyomeni fuit, quod cùm Tiberius in cubiculum suum transtulisset, magnis populi in theatro clamoribus est reponere coactus: testis Plinius.

Neronis,

Quarum fornices & arcus altissimi extant prope S. Eustachium. De ijsdem Martialis libro VII.

—— Quid Nerone peius?
Quid thermis melius Neronianis?

Titi,

Quarum ruinæ in uineto S. Petri in uinculis, & iuxta S. Martini ædem multæ, magnæq; apparent.

Idem lib. III.

Titi'ne thermis, an lauatur Agrippæ?

Eas breuissimo temporis spacio in tantam amplitudinem extructas, idem prodidit lib. II.

Hic ubi miramur uelocia munera, thermas,
Abstulerat miseris tecta superbus ager.
Nam in parte domus aureæ Neroniana structerunt.

Harum thermarum castellum, uulgo cisternas capaces, & septem salas nominant. Sunt autem nouem iub terra cameræ fornicatæ, quarum unaquæuis portas aliquas habet, & per unã introiẽs, simul per multas ei obliquè oppositas uno ordine oculos inferre potes.

Domitiani,

Inter portas Flumentanã & Pincianã. Cernuntur in parietinis picturæ, uetustate nondũ planè abolitæ: in ijs

in ijs thermis Siluestrum pontificem ædificasse templum, scribit Petrus Bibliothecarius.

Traiani,

Earum ruinæ in Auentino, in uineto quodam prope templum S. Priscæ monstrantur. Aliæ eiusdem in Esquilino, ubi primùm sepultura hominum plebeiorum, tum horti Mecœnatis fuerunt. id quod liquet ex Porphirione.

Commodi,

Ad radices Viminalis, in quibus ædificatum nunc est S. Pudentianæ templum: in eiusdem templi pauimento adhuc tessellæ sunt, quibus sola thermarum sternebantur.

Seueri,

In regione Transtiberina, prope S. Chrysogonum, & S. Cæciliam.

Antonini,

In latere Auentini, uia Ardeatina, ab oriente adiacet templum SS. Nerei & Achillei: à septentrione S. Priscæ, iuxta uiam S. Balbinæ, eregionè S. Sixti. tanta mole & artificio structæ, ut etiam docti archi tecti tales fieri posse negarent, si Spartiano creditur. Videntur earum incredibiles ruinæ, parietinæ ingentes, altissimi fornices, pulcherrimæ colũnæ semiobrutæ, maxima peregrinorum marmorum frusta proiecta, pauimentum tessellatum albi nigriq; coloris, uaria & ampla cõclauia, & in aliquot locis profunda aqua,

aqua, ex ductu Appiæ fœdato & obruto adhuc reliqua.

Varij,

In Auentino circa Traiani & Decij thermas. has nescio quo auctore Syriacas dictas, scribit Albertinus. commemorat eas Victor, & repetit Volaterranus.

Alexandri,

Quæ iuxta Neronis fuerunt, & habuerunt adiunctum nemus, auctore Lampridio. Alij Neronis & Alexandri easdem fuisse scribunt, quòd alter fecerit, alter restituerit.

Gordiani,

Leguntur duplices. Priores in monte Esquilino, quarum ruinæ iacent prope S. Eusebium, uia Prenestina: hæ fuerunt sumptuosissimæ, adeò ut Capitolinus scribat, tales, præter Vrbem, nusquam orbem terrarũ habuisse. Posteriores in cãpo Martio, quas cũ Mithridatico extruere uoluit: sed morte præuentus, nõ fecit.

Philippi,

In Esquilino, post Titi thermas, inter ortum atque occasum.

Decij,

In Auentino, orientem uersus, in quarum ruinis nunc S. Priscæ templum dicitur extructum.

Aureliani,

Trans Tiberim, infra Ianiculum, in ea ualle, ubi nunc S. Francisci templum est.

Diocletiani,

In Viminali, quæ bonam montis partem occupãt. Earum ruinæ tantæ cernuntur, quantæ maximæ esse possunt. fornices altissimi, columnæ admirabiles, ædificia concamerata amplissima: quorũ duo penè integra extant, unum prope S. Susannam, alterum uersus uallem Esquilinã, ad quod ex interiore parte per XL gradus ascendimus. Castellum harum thermarum figuræ mathematicæ, quæ scalenos dicitur. formam habet, pilis quadratis fultum: in prima serie pilæ quindecim, totidem in secũda: in tertia decẽ, in quarta quinque. Videntur in iisdem thermis ambulationes, xysti, & uaria conclauia ad delectationem facta.

Constantini,

In Quirinalis descensu, eregionè S. Siluestri, septentrionem uersus, ex sententia Læti & Marliani. Earum magnæ ruinæ, ædificia quædam quadrata, quædam rotunda, altissimis fornicibus extant: quorum unum per centum ferè gradus ascendimus.

DE LOCIS SEPVLCHRORVM, ET de sepulchris quibusdã insignibus: itẽ de sepulchrorũ ornamentis, ac cõditarum urnarum ratione.

Cap. XXI.

IN urbe olim, more Athenienſis populi, sepelire neminem legibus licebat: quæ leges cum aliquandiu ne-

diu neglectæ fuissent, post consulatum Duillij sunt renouatæ. Ius autem in urbe sepeliendi honorificum, non solùm modo obtinebãt Vestales, aut Imperatores, qui legibus non tenebantur: aut ij quibus id honoris utilitatis q; causſa tribuebatur, ut Val. Publicolæ & P. Pusthumio Tuberto contigit, de quibus secundo de Legibus Cicero. C. quoq; Fabricius iuxta Veliam in foro sepulchrum habuit, de quo Plutarchus. C. Publicius sub Capitolio, de quo eodem in loco lapis Tiburtinus: Claudia familia sub eodem Capitolio, de qua Suetonius. Seru. Sulpitius in cãpo Esquilino, de quo in Philippicis Cicero. Reliqui aut priuatim in agris suis condebantur: aut in uijs, extra portas, tumulos habebãt. Locum sepulchro designabant uel augures, uel pontifices. Viarum aliquot nomina cum exemplis quibusdam, placuit adiungere.

Flaminia,

In hac fuit sepulchrum Paridis pantomimi Aegyptij, Neronis liberti. Martialis lib. XI.

Quisquis Flaminiam teris uiator,
Noli nobile præterire marmor.

Item Glauciæ, liberti Melioris. Idem lib. VI.

Hoc sub marmore Glaucias humatus,
Iuncto Flaminiæ iacet sepulchro.

Et de eodem Statius II. Silu.

—— Plebs cuncta nefas, & præuia flerunt

Agmina, Flaminio quæ limite Muluius agger
Transuehit.——
Fit eiusdem uiæ mentio in libello Velij Fidi Iubentij, quem in Antiquitatum libro primo retulimus.

Salaria,

In hac ad secundum lapidem fuit sepulchrum magnificentißimum Licini, tonsoris Augusti, quem Satyrici insectati sunt: & Varro hoc epigrammate, ut est apud Cornutum, seueriſsimè perstrinxit:
Marmoreo tumulo Licinus iacet: at Cato paruo,
Pompeius nullo: credimus esse deos?
In eadem fuit sepulchrum Marij.

Tiburtina,

In hac intra primum lapidem fuit sepulchrum Pallantis, Claudij Cæsaris liberti, splendidum, & arrogantißimo titulo: de quo libro septimo & octauo Plinius iunior ad Montanũ. In hac Constãtinus S. Laurẽtio basilicã dicauit in agro Verano, ut Ado testatur.

Prenestina,

In hac secundo ab urbe lapide sepulchrum fuit Q. Attæ, Togatarum scriptoris.

Lauicana,

In hac sepultus Didius Iulianus Imp. ut in eius uita scribit Aelius Spartianus.

Campana,

De qua inscriptionem ex epigrammatis Romanis ꝓposuimus, suprà capite quinto.

Latina,

Latina,

In hac à Phyllide nutrice sepultus Domitianus Imp. & in eandem inferri testamento uoluit Fauonius Iucundus, item Sempronius Tucidanus. Ex sepulchro uiæ Latinæ hoc epigramma refert Ausonius,

Non nomen, non quo genitus, non unde, quid egi,
Mutus in æternum sum cinis, ossa, nihil.
Nec sum, nec fueram, genitus tamen è nihilo sum:
Mitte, nec exprobres singula, talis eris. Iuuenalis monumentorum in hac uia mentionem facit, & uiam ipsam cliuosam nominat.

Appia,

In hac (ut in quæstionibus Tusculanis & Paradoxis scribit Cicero) Calatini, Scipionum, Seruiliorum, Metellorum sepulchra uisa sunt: item Ennij & Archiæ poëtarum. hunc in Metellorum monumentis conditum, idem scribit Cicero: illum inter monumenta Scipionum situm, testatur Ouidius:

Ennius emeruit, Calabris in montibus ortus,
Contiguus poni Scipio magne tibi.

Fuit in hac ipsa uia sepulchrum Pomponij Attici, quinto ab urbe lapide: M. Tullij Ciceronis, sexto. Desiderius tamen Lignaminæus Ciceronis sepulchrum ante sex annos in Zacyntho insula effossum scribit, apud sacellum S. Mariæ cognomento gratiosæ, cum tali epitaphio. M TVLLI CICERO HAVE ET TV TERTIA ANTONIA. Addit,

inuentas in eodem urnulas uitreas, in quibus cineres & amicorum lachrymæ de more fuerint asseruatæ: in fundo etiam maioris urnulæ, in ambitu concaui, inscriptum fuisse AVE MAR. TVL. Gallienus Imp. in hac uia nono lapide sepultus fuit. In eadem Thessalus, Neronis medicus, qui in monumento suo ἰατρονίκης se inscripsit, ut ait Plin. lib. XXIX. Idem lib. X. inquit in hac uia sepulchrum fuisse corui auis, qui duorum Aethiopum humeris elatus sit, præcedente tibicine, & prælatis coronis omnium generum. Sulpitius Verulanus & Raphael Volaterranus memoriæ prodiderunt, uidisse se integrum mulieris cadauer in hac uia effossum, oblitum crasso unguento, & incorruptum: quod alter suspicatur fuisse Tulliolæ, M. Tullij Cicer. filiæ: alter certum nomen non addit, sed ex erutis marmoribus uicinis colligit, ante annos plus mille & trecentos fuisse depositum.

Laurentina,

In qua Augustus Cæsar ancillæ suæ, quinq; liberos uno partu enixæ, monumentum fieri iussit. Gellius lib. X. In hac, ut recentiores historici scribunt, ante quingentos annos cadauer effossum est, procera statura, & ingenti uulnere in medio pectore, quod Pallantis Euādri filij asserūt fuisse. Hoc cùm illi historiæ inseruerint, ne hoc quidem in loco piguit referre.

Ostiensis,

De Ostiensi, ut & Cassia, & Numentana, apud scripto-

scriptores nihil inueni: sed in singulis multæ epitaphiorum inscriptiones effossæ sunt. Via ostiensi sepultum S. Paulum, testatur Prudentius: uia Latina & ipsum & S. Petrum tradit Abdias, qui Apostolorum scripsit historiam.

Aurelia,

In hac sepultus Galba Imp. in priuato monumento, testãte Suetonio. In eadem duorum Germanorum militum descripsi Epitaphia Ionij & Hesperi, Batauorum, qui Tib. Claudij Cæsaris corporecustodes fuerunt. In hac, ut in Flaminia, Appia, Latina, plurimi loculi & urnæ adhuc uidentur.

Dicam nunc de sepulchris insignibus illustrium uirorum intra urbem, & de ornamentis quorundam sepulchrorum, quæ passim per urbem sese offerunt: & ut quasi absoluam hunc locum, addam pauca de condendarum urnarum ratione ac modo.

SEPVLCHRVM SCIPIONIS Africani,

Sub pinu ænea honorarium: nam Liternenses hospites de uero Scipionis tumulo se meritò iactant. Dicitur autem in Vaticano pinus altissima ænea fuisse erecta, Carthaginem uersus: de qua una adhuc nux aliquot pedum altitudine, ante basilicam S. Petri cernitur, uetusti operis, & inaurata.

Augusti Cæsaris,

In Mausoleo, quod exemplo Cariæ regis extructum est, in ualle Martia, inter uiam Flaminiam, & ripam Tiberis, post ædem S. Rochi. Moles rotunda ex immensis aggeribus marmore olim Lunensi ineru stata, cum circumiectis siluis, & amplis ambulationibus. Ad latera positi erant bini obelisci, quorum unus in uia proiectus fractusq; iacet. Habuit plura ostia, & loculorum seriem intra aggerem, quorum adhuc apparent uestigia. Ante molem res gestæ Augusti, quod ipse testamento mandauerat, tabulis æneis incisæ erant. A tergo lucus fuit cum porticu. Interior murus reticulato opere uariatus, & in media area Augusti tumulus ex niueo marmore ferreis cancellis incluſus: in cuius summo simulachrum ipsius æneum. Inter tumulum & murum interiorem consitæ populi. Vt autem Augusti sepulchrum in medio stetit, ita loculi cognatorum & amicorum, cum quibus communem esse illam sepulturam uoluit, à lateribus in muro effossi erant. Ouidius (seu quicunq; auctor ille est) ad Liuiam:

Vidimus erepta mœrentem stirpe sororis:
Luctus, ut in Druso, publicus ille fuit.
Condidit Agrippam, quo te Marcelle sepulchro,
Et cepit generos iam locus ille duos.
Vix posito Agrippa, tumuli bene ianua clausa est,
Perficit officium funeris ecce soror.

Ecce

Ecce ter ante datis iactura nouissima Drusus,
A magno lachrymas Cæsare quartus habet.
Vide de hoc Mausoleo Strabonem libro quinto.

Cestij,

In pyramide, proximè portam Ostiensem. Est autem Pyramis moles quadrata, quæ flammæ more, è lato ad sublimitatem acuminando gracilescit: à qua figura nomen traxisse iudico. Alij à genere lapidis Thebaici, apud Aegyptios, quem πυροπωικίλον uocant Græci, dictam autumant. Stephanus aliam rationem, fabulæ magis quàm uerò similem attulit, quam omitto.

Hadriani,

In mole ad Tiberim, duos habuit ambitus, & duplicem columnarum ordinẽ. Primus ambitus quadratus ex solidis lapidibus fuit, interior moles oblõga & prælta ex Pario marmore. Ex hoc duplici ambitu arx nunc est extructa, quæ castrum S. Angeli uocatur. Columnæ quæ circumpositæ fuerunt, ad S. Petri basilicam ornandam translatæ sunt, & earũ loco ad arcis munitionem alius murus circundatus. Fuit olim cõmune omniũ Antoninorum monumentum: id quod inscriptiones ex antiquitate reliquæ testantur.

Seueri,

Supra Septizonium, inter Palatinum & Cœliũ. De septena columnarum serie, ex qua assurgebat, tres series adhuc reliquæ, una alteri superimpositæ.

Integra series illa est, quæ Eurũ spectat, in cuius prima secundáq; parte supersunt columnæ octo, in tertia sex. Intra illas columnas moles ex quadratis lapidibus assurgit, quæ in altum, pyramidis aut obelisci more, magis magisq; contrahitur atq; acuitur. Opus sanè mirum, & magnificum.

Omitto hoc loco molem pyramidalem, quæ prope Hadriani sepulchrum fuit: eam enim diruit Alexander sextus. Item alteram quadratam, supra Mausoleum in uia Flaminia, Campum uersus, quam demolitus est Paulus tertius. nam etiamsi constet sepulchra fuisse, tamen quorum fuerint, incertæ & dissentientes sunt scriptorum opiniones.

In sepulchris autem, quæ hinc inde per urbem in multis locis occurrunt, uaria rerum simulachra sunt exsculpta. Ludorum curulium, quale est ante SS. Cosmam & Damianum, in foro Romano: & in S. Ioanne Laterano, in quo etiam nocentes obijciuntur bestijs, ut in alio quodam ante S. Mariam in uia lata. Equestrium certaminum, ut in S. Maria in ara cœli, montis Capitolini. Pugnarum, ut in S. Gregorio, mõtis Cœlij. Venationum, ut in S. Laurentio in Lucina, campi Martij. Triumphorum, ut ante S. Laurentium in Panisperna, montis Viminalis: & triumphi Venerei in S. Ioanne Laterano. Sacrificiorũ, ut in S. Maria de Strada, inter Octauij porticũ & Capitolium: & in S. Laurentio extra Esquilinam. Deorum ludentium

dentium: ut Apollinis canentis, & Narcißi iaculantis diſcum, in domo Auguſtini Maphæi: Satyrorum puellæ dormienti inſultantium, in horto S. Marci: Amorum equitantium, in domo Colũnenſium. deorum marinorum in piſcium caudas deſinentium, & uchentium in eis Nymphas tribus in locis: in S. Ioanne Paulo in Cælio, in hortis S. Sabinæ montis Auentini, ante S. Thomam in regione Harenulæ. Plutonis Proſerpinam rapientis, in S. Silueſtro, prope arcum Domitiani: & ante S. Mariam in Co. ſmedim, prope Velabrum. Ventorum quatuor ſimulachra, in ſepulchro domus Cæſiæ: laborum Herculis, in domo Sabellorum, ſupra Marcelli theatrum. Seruilium ſupplicio rum, in quibus alij pede utroque ſuſpenduntur, alijs cultro ſecatur collum, alijs brachium ſaxo impoſitum alio ſaxo frangitur, in S. Maria in ara cœli, & ante ædẽ S. Stephani de Cacabo, in regione Pineæ. In quibuſdam ſepulchris exſculpta ſunt ædificia, partim ianuis apertis, quibus dicunt animæ æternitatem ſignificari: cuiuſmodi eſt in palatio Capitolino Triumuirûm. partim clauſis, qua interitus eius unà cum corpore notatur: tale in domo ciuis cuiuſdam regionis Tranſiberinæ cernitur, eregionè pontis Fabricij. Hæc è multis retuliſſe ſatis ſit, quæ non ita accipi uolo, quaſi unius tantum rei effigies expreſſa ſit: ſed alia multa quæ oratione depingi in hac breuitate nequeunt, ſpectaculi gratia ſunt addita. quod ut intelligatur,

gatur, duobus exemplis declarabo. In sepulchro sacrificantium in S. Maria de Strada, Mulier in bigis quæ à rhinocerotibus trahuntur, uehitur: ipsis animalibus duo iuuenes insident, & animalia à Faunis naso ducuntur. Præcedit Tuscus fidicen, & uiri nudi ac mulierculæ, donec ad aram perueniatur, cui fidicē canens astat, & inter cætera ludicra Faunus cornibus cum hirco concurrit. Item in altero apud S. Siluestrum: Pluto quadrigis uectus, raptam Proserpinam amplexu tenet, exanimi similem: supra quam uolitat alatus Cupido, currum præcedit Mercurius alato pileo & caduceo. In altera parte Ceres bigis inuehitur, tractis à serpentibus, pinea tæda quam sinistra gestat inuestigans amissam filiam. Inter hæc, ab utraq; parte comites Proserpinæ flores collectos gestant, uestę ultra pubem sublata. A' lateribus Hercules est, leonis exuuio indutus, dextra tenens clauam: sinistra anum quandam inuadens, cui uerbera minitatur.

Faciendorum loculorum, & urnarum condendarum, non admodum diuersa fuit ratio, cùm in Vrbe, tum in reliqua Italia, atq; etiam in Græcia. Marlianus scribit, antra concamerata fossionibus esse aperta, in campo Esquilino quædam unius testudinis, quædam duplicis concamerationis, ita ut ex superiore in inferiorem descenderetur. Pauimenta interdum tessellata, interdum uermiculata: in parietibus circum circa loculos extitisse, singulos cum binis urnis. Alia

quoq;

quoq; fuisse antra plurium parietum, modico interuallo distantium, in quibus totidem urnas fuisse contiguas, & exiguo pòst spacio rursus alias, hisq; alias impositas: has pauperum, illas diuitum fuisse opinatur. Nos in agro uiæ Appiæ in profundum sub terra fornicem descendimus, plenum loculorum inter se dispositorum: ex ruina autem parietum uerè cognosci ordo loculorũ non potuit. Inter Puteolos & Atellam, ad utraq; uiæ silicibus stratæ latera, plurima sepulchrorum lustrauimus monumenta: quorum ædificia partim quadrata sunt, partim rotunda. Inter cætera pulcherrimum est, quòd Arcum cellæ nominant. Parietes eius tetragoni, cũ la queari uermiculato: in cuius medio Centauri imago, puerum uehentis. Loculi ultra sexaginta, medij ampli, fortasse patronorum: laterales contracti, libertorum, libertarumq;. In loculis urnæ singulæ pluresue dispositæ fuerunt, clausæ exterius tabellis marmoreis, in quibus nomina depositorum, de more fuerunt ascripta. Testatur Ciriacus Anconitanus (cuius scriptas quasdam chartas euolui mus) se Patris in Achaia ad ædem S. Andreæ antrum subterraneum ex integro solidoq; lapide uidisse, miro artificio fabricatum, in quod per gradus sedecim descensus fuerit, quodq; sub una testudine ad tetragonos parietes habuerit loculos quatuordecim, in quibus singulis binæ aut ternæ urnæ funerales fuerint locatæ, ex quibus testimonijs non multo diuersam Græcorum

corum & Romanorum, ut diximus, urnas coniungendi rationem fuisse, est perspicuum.

DE IIS QVAE NVNC IN VRBE sunt præcipuè uisenda. Cap. XXII.

ROmanæ urbis cadauer, omnibus penè Barbaris lacerantibus, ante oculos hodie iacet: sed gloriæ splendor, & nominis claritas, doctis pro ea propugnantibus extingui aut aboleri nunquam poterit. De eo in superioribus, ex Græcis Latinisq; scriptoribus multa studiosè collegi: & ne quem prolixitate offenderem, modo quodam retuli, potissimum ad historicos & poetas intelligendos. In hoc capite nonnulla etiam alia cognitione digna, quæ tam à maioribus quam à præsentibus hominibus ad Vrbis ornamentum comparata sunt, studiosorum hominum gratia addam. Antiquitatum igitur cupidi habent domũ Angeli Colocij, in campo Martio: Cæsiorum, sub Ianiculo: Porciorum, in regione Pineæ: Vallarum, ad circum Flaminium: in primis uerò Triumuirûm in Capitolio, & hortos Palatinos in Vaticano. Literarum amantes, instructas bibliothecas: Põtificias tres, unam clausam: cui adiuncta proximè est altera, item clausa: tertiam certis diebus & horis patentem, & Græcis Latinisq; scriptoribus refertam. Præter has

alia

eliæ quoq; sunt, apud S. Mariam in ara cœli, apud S. Mariam de populo, apud S. Mariam supra Mineruam, apud S. Augustinum. Tumuli in urbe clarorum uirorum, qui ingenijs sibi decus pepererunt, cum suis Epitaphijs, sunt hi:

BLONDI FLAVII, IN ARA COELI,
ante introitum templi, in area Capitolina.

BLONDO FLAVIO FORLIVIENSI, HISTORICO CELEBRI, MVLTORVM PONT. ROMANORVM SECRETARIO FIDELISS. BLONDI QVINQVE FILII PATRI BENE MERENTI VNANIMES POSVERE. VIXIT AN. LXXV. OBIIT PR. NON. IVNII. ANNO SALVTIS CHRISTIANAE M. CCCC. LXIII. PIO P. M. SIBI NATISQVE FAVENTE.

Nicolai Vallæ, in ipso templo.

NICOLAO DE VALLE LEG. D. BASILICAE PRINCIPIS APOSTOLORVM CANONICO, LAELIVS IN MEMORIAM DVLCISSIMI FILII POSVIT. HIC IN VITA SVA NVLLI MALEDIXIT. SINE VOLVNTATE PARENTIS NIHIL FECIT. MAGNO ET EXCELLENTI CLA-

CLARVIT INGENIO. ILIADEM HOMERI ET HESIODVM HEROICO CARMINE IN LATINVM VERTIT. OBIIT PRIMO IVVENTVTIS FLORE, MAX. OMNIVM MOESTICIA. M. CCCC. LXXIII. VI. CAL. OCTOBRIS.

Laurentij Vallæ, in Ioanne Laterano.

LAVRENTIO VALLAE HARVM AEDIVM SACRARVM CANONICO, ALPHONSI REGIS ET PONTIFICIS MAXIMI SECRETARIO APOSTOLICOQVE SCRIPTORI QVI SVA AETATE OMNEIS ELOQVENTIA SVPERAVIT, CHATHARINA MATER FILIO PIENTISS. POSVIT. VIXIT ANN. L. OBIIT ANNO DOMINI M. CCCC. LXV. CALENDIS AVG.

Bessarionis, qui in Græcia natus, in Gallia mortuus, in Italia sepultus. eius tumulus Romæ, ad SS. Apostolos in regione Triuij.

BESSARIO EPISCOPVS TVSCVLANVS, S. R. E. CARD. PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANVS NOBILI GRAECIA ORTVS ORIVN-

ORIVNDVS QVE SIBI VIVENS POSVIT. ANNO SALVTIS M. CCCC. LXVI.

Τοῦτ' ἔτι βησσαρίων ζῶν ἄνυσα σώματι σῆμα,
πνεῦμα δὲ φευξεῖται πρὸς θεὸν ἀθάνατον.

Lascaris Græci, in templo S. Agathæ, sub Viminali.

λάσκαρις ἀλλοδαπῇ γαίῃ ἐνικάτθετο, γαίην
ὄντι λίην ξείνην ὦ ξένε μεμφόμενος,
εὕρετο μειλιχίην, ἀλλ' ἄχθεται, εἴπερ Αχαιοῖς
οὐδ' ἔτι χοιῶ χεύει πατρὶς ἐλευθέριον.

Hermolai Barbari Veneti, in S. Maria de populo, regione campi Martij.

BARBARIEM HERMOLEOS LATIOQVI DEPVLIT OMNEM BARBARVS HEIC SITVS EST: VTRAQVE LINGVA GEMIT. VRBS VENETVM VITAM, MORTEM DEDIT INCLYTA ROMA, NON POTVIT NASCI CLARIVS ATQVE MORI.

Marci Musuri Cretensis, in S. Maria de pace, regione Parionis.

MVSVRE O' MANSVRE PARVM. PROPERATA TVLISTI PRAEMIA.

NANQVE CITO TRADITA, RAPTA CITO.

Petri Marsi in S. Laurentio in Damaso.

QVAE SOLA ELOQVII SVPERABAT GLORIA, ET ILLAM PERDIDIMVS, TECVM VIXIT, ET INTERIIT.

Hieronymi Aleandri apud S. Chrysogonum, trans Tiberim.

HIERONYMO ALEANDRO MOTTENSI E COMITIB. LANDRI IN CARNIA, PETRAE PILOSAE IN ISTRIA ORIVNDO. CARD. BRVNDVSINO, PHIL. ET THEOL. DOCTORI, HEBRAICAE, GRAECAE, ET LATINAE, ALIQVOTQVE ALIARVM LINGVARVM EXOTICARVM ITA EXACTE DOCTO, VT EAS RECTE ET APTE LOQVERETVR, AC SCRIBERET. MOX DIVERSIS LEGATIONIB. PRO SVMMIS PONTT. AD OMNES FERE CHRISTIANOS PRINCIPES FIDELITER ET DILIGENTER PERFVNCTO, ET IDEO IN TABEM DELAPSO,

PSO, QVANTI HVMANAM MISERIAM FECERIT, SEQVENTI DISTICHO DE SE EDITO TESTATVM POSTERIS RELIQVIT.

πάτθανον ὐκ ἀέκων, ὅτι παύσομαι, ὢν ἐπιμάρτυς
πολλῶν, ὢν πάρ ἰδεῖν ἄλγιον ἰῶν θανάτυ.

ANNO CHRISTI M. D. XLII. AETATIS SVAE LXII. MINVS DIEBVS XIII.

Valerij Cordi Germani, qui sepultus est in S. Maria de anima, regione Parionis.

VALERIO CORDO SIMESVSIO HESSO, EVRICII MEDICI ET POETAE FILIO, MORIBVS INGENIO COMITATE PRAESTANTISS. DOCTORVM OMNIVM ADMIRATIONEM MERITO, QVI NATVRAE OBSCVRITATEM ET HERBARVM VIRES ADOLESCENS SENIBVS EXPLICAVIT: CVM EXPLERI CVPIDITATE COGNOSCENDI NON POSSET, PERLVSTRATA GERMANIA ITALIAM ADIIT, VENETIIS

IN HONORE HABITVS, ET ROMAM VIX INGRESSVS, SVBITO MORBO INTER AMICORVM LACHRYMAS NON RECVPERABILI STVDIORVM IACTVRA FLORENTE AEVO EXTINGVITVR, ANNO AETAT. XXIX. M. D. XLIIII. VII. CAL. OCT.

INGENIO SVPEREST CORDVS, MENS IPSA RECEPTA EST COELO: QVOD TERRAE EST, MAXIMA ROMA TENET.

Hieronymi Ferrarij, qui Ciceronis Philippicas emendauit.

HIERONYMO FERRARIO CORRIGIENSI, QVEM IN IPSO AETATIS PLORE EX OCVLIS HOMINVM, NON EX MEMORIA AMORS ERIPVIT, AMICI ET FAMILIARES ACERBO IN OFFICIO DILIGENTES, HOC MONVMENTVM PRO MVNERE EXTREMO, CVM LACHRYMIS POSVERVNT. VIXIT ANN. XLI. OBIIT III. CALEN. OCTOB. ANNO M. D. XXXXII.

Tumuli il

Tumuli Pontificum æneisunt, Martini Quinti in S.Ioanne Laterano, & Sixti Quarti in S. Petro Vaticano. Marmorei, Sixti Quarti, Piorum Secundi & Tertij, Hadriani Sexti. Sedes pontificiæ sæpius sunt mutatæ. Aliquãdo fuit apud S.Sabinam in Auentino: item apud S.Mariam maiorem, in Esquilino: superioribus annis apud S.Ioannem Lateranum, in Cœlio: nunc apud S.Petrum in Vaticano. Aestiuam habitationem apud S.Marcum in capite uiæ latæ exædificauit Paulus Secundus: in quo loco cellis uinarijs imposita sunt equorum stabula, stabulis hortus cum proceris cupreßis, in horti medio fons, & circumcirca sunt conclauia extructa. Aliam in Capitolino, supra templum S.Mariæ in Ara cœli, extruxit Paulus Tertius: ad cuius templi introitum, ex mõtis planicie per CXXXIX gradus ascenditur, unde de altitudine noui ædificij fieri coniectura potest. Post sedes pontificias nihil admirabilius, laudeq; dignius mihi uisum est, quàm tot per totam Vrbem, ut uocantur, xenodochia, non solum publica omnium: ut amplißimum S. Spiritus, in Campo Vaticano: S. Saluatoris, in Cœlio: S. Mariæ de consolatione, in Velabro: S. Iacobi de Augusta, in ualle Martia: uerumetiam propria singularum ciuitatum atq; nationum, ut Florentinorũ, apud S. Ioannem Baptistam: Germanorum, apud S. Mariam de anima: Hispanorum, apud S. Barbaram: Gallorum, apud S. Ludouicum: Anglorum, apud S. Tho

nam: Flandrorum, prope turrim Argentinam: Vngarorum, prope S. Petrum: ut alia omittam, in quibus locis infiniti homines grauibus morbis laborantes domestici atq; externi tum curantur, tum etiam aluntur. Cryptæ subterraneæ, quæ latebræ & sepulchra Christianorum fuerunt, sæuientibus in eos tyrannicis principibus hodie conspiciuntur tribus in locis. Maxima omnium, apud S. Agnetem, extra portam Viminalem: altera, apud S. Sebastianum, extra Capenam: postrema apud S. Pancratium, extra Aureliam: plena uenerationis loca, quorum D. Hieronymus & Prudentius & Cornelius in epistola ad Lupicinum faciunt mentionem. Fuerunt autem aliæ cryptæ, è quibus antiquitus memoratur Nepotiana ad uicum patricium in Vrbe, & extra mœnia Verania, in uia Tiburtina & Harenaria, cuius certus locus expressus non est. Nomina cœmeteriorum hæc extant: Aproniani, Balbinæ, Basillæ, Calisti, Calopodij, cliui Cucumeris, Commodillæ, Cyriati, Damasi, Domicillæ, ad duas Lauros, Felicitatis, Hermetis, ad Insalatas, Nicomediæ, Põtiani, Prætextati, Priscillæ, Thrasonis, Vrsi pileati. quibus omnibus locis, & multò pluribus fortasse, olim cõdita sanctorũ corpora sunt, ut scriptores Ecclesiastici testantur. De domibus nobiliũ, & purpuratorũ palatijs nihil dicã: quæ ut splẽdida et sumptuosa sint, tamen cum ueteribus ruinis hæc noua magnificentia uix uidetur aliqua ex parte comparanda.

DE

DE TEMPLIS SANCTORVM, cum selectis aliquot recentibus Epitaphijs. Cap. ultimum.

DE templis Sanctorum, quando à nemine traditum ordine est, addere aliquid uisum fuit: tum ut aliquem diligentiorem ad maius studium excitarem, tum ut consulerem peregrinantibus. nam ex eorum situ multa ædificia & monumẽta antiqua describi facilius possunt: & sunt in ijs quædam ornamenta propria, quæ solent esse propter raritatẽ grata hospitibus. Adiunxi autem pauca, quæ in ijsdem descripsi, epitaphia. non enim solos ueteres ita admiror atque suspicio, quin ingenijs etiam & industriæ huius seculi plurimùm tribuendum putem. Ordinem autem literarum in enumerando sequar.

S. ADRIANI.

In tribus foris, antè Romano, pòst Neruæ, à latere Cæsaris, habens portam æneam, & pronaum exiguum à Paschali II. consecratum.

S. AGAPETI.

Non longè fuit à Basilica S. Laurentij martyris, in Felice III. Platina. hodie non est.

S. AGATHAE.

A' Gregorio est dedicata, Gothorum Ecclesia, in uia suburana, sub Viminali, ornata pauimento & aliquot columnis. Hortulum habet triplicem, in quo se-

pulchrum antiquum, et aliquot marmoreæ imagines fractæ. Ante templum pueri prætextati in subsellijs sedent, & à magistro docẽtur, in antiquo lapide. Propè fuit domus Corneliorum.

S. AGNETIS.

In regione Parionis, paruum & obscurum: per gradus aliquot in id ascensus est.

In uia Numentana,

De hoc Prudent. Agnes sepulchrum est Romulea in domo. Rogatu filiæ suæ Constantiæ hoc templum extruxit Constantinus. Habet ualuas æneas, descenditur XXXIIII gradibus. in eo columnæ XIIII magnæ: singulis aliæ paruæ impositæ. Inter magnas duæ ex alabastro, quibus maiores in urbe non uidimus. Lithostrotum ex marmore, albi, uiridis, & purpurei coloris. Sex candelabra antiqua ex uicino Bacchi, ut aiunt, templo translata. ea bases habent trigonales, in quibus aues humana facie, capita arietum, pueri uuas decerpentes. De crypta iuxta hoc templum, antè dictum est.

S. ALBERTI.

Ruinosum in Esquilijs, sub S. Maria maiore, prope uicum patricium.

S. ALEXII.

In uico Auentino, olim Herculis Victoris, satis pulchrum, præsertim pauimento.

S. AMBRO-

S. AMBROSII.

In campo Martio, prope Augustam. In eo effigies S. Ioannis Baptistæ marmorea.

BARTHOLOMEA CASTANNA FILIAE.

Infanti lachrymas, flores, titulumq; sepulchri,
Hæc tibi, quæ nollem, filia, dona dedi.

De Maxima,

In regione nunc S. Angeli.

S. ANASTASIAE.

In radicibus Palatini, ante Circum, sine ullo ornamento. Post id templum ara Consi subterranea, & templum Neptuni equestris fuit.

S. ANASTASII.

In regione Harenulæ, proximè Tiberim, post S. Mariam Monticœli, à societate coquorũ restitutum.

Ad aquas Saluias,

Extra portam in uia Ardeatina: post incendium reparatum ab Hadriano I.

S. ANDREAE.

Cognomento de Columna, in regione Triuij.

De Ania,

Prope curiam Sabellorum.

Inter Esquilinum & Cœlium.

Iam à uirginibus habitatum, olim Tabernola dicebatur.

De Frattis,

Inter Capitolium & Marcelli theatrum.

In Mentuza,

In radice Capitolini, olim Matutæ.

In Nazareno,

In regione Harenulæ.

In Pallara,

In Palatino ortum uersus, olim Palladium in Velia, nunc planè dirutum.

In Portugallo,

In Subura, e regionè Amphitheatri: olim busta Gallica.

De Scaphi,

Apud ripam Tiberis, iuxta cellas uinarias.

In Statera.

In radicibus Capitolini, prope S. Nicolaum de funerarijs: olim Saturni.

Trans Tiberim,

In Vaticano.

De Vrsis,

In regione Harenula.

S. ANGELI.

In foro Boario.

In Piscina,

Apud quod nunc est forũ piscariũ. Prope olim fuit templũ Mercurio sacrũ, & coniuncta illi excelsa porticus, post incẽdiũ restituta à Seuero et Antonino Pio.

De Mozarella,

In regio-

In regione montis Iordani: colitur à societate quadam, dicta Iulianorum.

S. ANNAE.

In circo Flaminio, prope S. Nicolaum.

Albanensium,

Sub Viminali, desertum.

S. ANTONII.

In Esquilino, prope S. Mariam maiorem, recens.

In Schiauonia,

In ualle Martia, ubi aluntur ex liberalitate bonorum aliquot ægrotæ mulieres.

S. APOLLINARIS.

Prope turrim sanguineam, non longè à S. Augustino: olim Apollinis, ut Blondus.

S. APOSTOLI.

In regione Triuij, intra ædes Columnensium extructum cum alijs magnificentißimis, de quibus dicemus, à Constantino Magno. Intus sepulchra quatuor marmorea recentia, & conchæ duæ, in quibus conseruatur aqua sacra. Sacellum pictum cum tabernaculo marmoreo, quod quatuor columnis Porphyreticis sustentatur. Propè fuit cœmeterium Ampronianum.

Vincentij Vbaldi,

Vincentio Vbaldo Ro. peditũ præfecto designato, Magiana in Marcellum cæde, dum æs creditũ repetit ab Alpinis militibus, nõ inultus tamen, primo iuuentutis ingressu acerbiß. trucidato, Fausta Iancolina Romana

mana mater pient. Vnico filio dulciß. funalibus equis
Verona Romam impensa fere regia, trauecto stirpis
Vbaldæ spe sublata inconsolabilis, filio maxima quæ-
que ornamenta B. M. posuit. Vixit ann. XXVII.
Obijt die II. Nouembr. M. D. XXXIX.

Demetrij Cabacij Rhalli.

Demetrio Cabacio Rhallo Equ. Spartano, qui
nullum corporis incommodum expertus, nonagesi-
mum ætatis annum M. D. XXII. superauit: Mani-
lius ex Thomaide Theodori Bochali filia susceptus,
parenti sanctiß. ac B. M. sibiq; posuit.
Si genitor deflende pius tibi debita natus
Iusta, sepulturæ munera si apta darem:
Conderer hic tecum, discat ne sera senectus
Cum genere amissam rem, patriamq; mihi.

Lucij Mancini,

Lucius hac Laurens tegitur Mancinus in urna,
Clarus eques, claro sanguine, Marte potens.
Qui Venetum ducens Romano pectore turmas,
Rettulit hæc, dextra parta trophæa, Ioui.
Consilio, uirtute, manu, si uita fuisset,
Oadrysij poterat uincere facta Dei.
Proh dolor infelix posuit Felicia coniux
Arciona hæc caro mœsta sepulchra uiro.
Quem tamen ut dulcem uiua est amplexa maritum,
Constituit moriens ossibus ossa suis.

Vixit

Vixit ann. XLII. M. IIII. D. IIII. H. XI. Obijt anno à salutifera natiuitate M. D. XIIII.

Euangelistæ Bonsenorij.

Viue diu, quicunque potes: nos uiximus olim,
Fortunamq; suam uita secunda tulit.
Vrbs mihi natalem, gens Bonsenoria nomen,
Ciuis quidquid habet muneris illa dedit.
Pignora cara nouem, & rarum sanctißima coniux,
Frigida presserunt lumina, Lector aue.

S. APOSTOLORVM XII.

Sacellum in Vaticano prope obeliscum. Prope est domus, in qua singulis diebus uictus præbetur duodecim pauperibus.

S. AVGVSTINI.

In campo Martio, ad quod ascenditur gradibus XII. In eo multa sepulchra recentia. Habet etiam bibliothecam.

Nicolai Aragonij.

Naturam & lethum superauit, adultus in ipsa
Viuit morte, puer cœperat esse senex.

Camilli pueri.

Præcipiti dum currit equo dans frena Camillus,
Vix annos natus decidit octo puer.
Si casurus erat, molli cecidisset in herba:
Heu tenerum scelus est rumpere saxa caput.

Lidiæ Sandræ,

Lidia dulcisonis iam cantibus æthera mulcens,

Sandra

Sandra sub exiguo marmore muta iacet.
Dona dat hæc non tam formæ, quàm laudis amori:
Et bona tot fatis tam citò rapta dolet.

S. AVRELIAE.

In regione Harenulæ.

S. BALBINAE.

In Auentino, iuxta uiam Ardeatinam, pauimento tessellato. olim thermæ Antonini Caracallæ. Ibidem cœmeterium Balbinæ dictum.

S. BARBARAE.

Anglorum templum, in ruinis theatri Pompeij extructa, in regione Pineæ.

S. BARBINAE.

In ultima Auentini parte, qua mons tendit in longitudinem.

S. BARTHOLOMAEI.

In insula, olim Iouis. Altare sustentatur quatuor columnis Ophitinis. Ibidem labrum porphyreticum, cui imposita alba tabula marmorea pulcherrima. In horto nauis Aesculapio posita ex Thasio lapide, longa ped. LX. in ea exsculptus serpens & caput bouis. hoc fortasse insigne nauis fuit.

S. BASILII.

Supra forum Neruæ, in ipsa cryptoporticu factũ, quæ à fronte caueæ theatralis formam refert. Ante ingressum fons aquæ limpidæ. Proximè antequam è

Neruæ

Neruæ foro ea aditur ecclesia, in quodam angulo pendet in muro lapis quasi sine cemento: propemodum illi par, qui pro miraculo monstratur in Amphitheatro.

S. BENEDICTI.

In regione Harenulæ.

Trans Tiberim,

Eundo à ponte Fabricio uersus S. Cæciliam. Ante ingressum, basis aræ antiquæ est, in qua uir quidam insistit tauri tergo erectus: cui similem quendam uidimus in domo Cæsia.

Tagliacozij,

Eundo uersus uicum Iudæorum, à campo Floræ.

S. BERNARDI.

Prope columnam Traiani.

S. BLASII.

In campo Martio, uulgo de monte Citoro, ubi olim pons Citatorum.

De Anello,

In regione Pineæ.

De Fossa,

In regione pontis, prope S. Mariam de pace.

De montibus,

De Esquilino prope S. Petrum, in carcere, descendendo uersus templum Pacis.

In Orphea.

In Orphea,

Nomen inueni, locum nescio.

De Pagnotta,

Vbi Iuliani Medicis palatium.

In Scalis,

Eregionè graduum, quibus ascensus est ad S. Mariam in ara cœli.

In Tiberis ripa,

In uico Iulio, prope S. Ioannem Euangelistam: olim Neptuni.

Trans Tiberim,

Prope Basilicam S. Mariæ.

S. BIBIANAE.

Et sex millium martyrum, in Esquilino, prope ursum pileatum: in Honorio III Platina. Propè fuit palatium Licinij, & cœmeteriũ dictum Vrsi pileati.

S. BONIFACII.

In Auentino, prope S. Sabinam.

S. BRIGIDAE.

In regione Harenulæ.

S. CAECILLAE.

In regione Amphitheatri, prope montem Iordanum, à Paschali est extructum.

In Campo Martio,

Hoc exiguum est.

Trans Tiberim,

Amplum est, quatuor & uiginti columnas duobus ordinibus

ordinibus habens, pauimento uermiculato. Sepulchra in eo antiqua tria, totidem recentia, è quibus unum ferreis cancellis clausum. Ante templum scyphus ingens cum ansis duabus, quales ille, qui est ante S. Apostolum: tum alia quædam monumenta uetustatis parietibus inclusa.

S. CAESARII.

In regione Harenulæ.

S. CALIXTI.

Via Aurelia, ad quod Calopodij cœmeterium.

Chartusiensium,

In Cœlio, ualde humile & exiguum.

S. CATHARINAE.

Cuius uestigia sub Tarpeio: dirutum nunc est, olim Carmentæ.

De Sabellis,

Ruinosum, uicinum S. Hieronymo.

In Circo Flaminio,

Nunc ante illud templum funes ducuntur: olim propè erãt carceres, è quibus equi certaturi exirent.

Trans Tiberim,

Obscurum & ruinosum.

S. CELSI.

Iuxta pontem Aelium.

S. CHRYSOGONI.

Trans Tiberim: propè fuerunt olim Seueri thermæ. Pauimento est tessellato, & columnas magnas

quatuor & uiginti in duobus ordinibus habet, quibus circa altare summum ex utraque parte aliæ tres sunt additæ. Hoc possederunt Hadrianus, Bembus, Alexander, doctissimi Cardinales.

S. CLEMENTIS.

In Cœlio, iuxta Carinas, satis ornatum, sex columnas habens duobus ordinibus, & duo sepulchra marmorea recentia: in quorum uno mœsta & oculis in terram fixis sedet Philosophia, cui clarum solis splendorem dextra monstrat Theologia. De hoc in Nicolao I. Platina.

S. CONSTANTIAE.

Olim Bacchi. In uia Numentana, proximum S. Agnetis: est rotundum, & columnis duplicatis XII, ita ut semper post tres paulò amplior introitus fuerit. distant enim inter se columnæ aliæ ped. XS. aliæ uerò ped. VIII S. Sunt è lateribus septendecim fenestellæ, quibus more antiquo imagines fuerunt impositæ. In fornice depictæ sunt res gestæ Bacchi, & in sepulchro antiquo cernuntur puerorum uuas colligentium, comportantium, exprimentium lusus, quibus assunt auiculæ & aries uillosus.

S. CORNELII.

In uia Appia.

SS. COSMAE ET DAMIANI.

Post turrim Comitum in uia sacra, olim Castoris & Pollucis: uel (ut alij) Romuli & Remi. De porticu,

ticu, quam habuit, restant columnæ tres. Est rotundum, structum è lapidibus quadratis: cum foramine in medio tecto, fenestras alias non habens. Olim in id ascendebatur, nunc descenditur per gradus sex. Ante ingressum quinque antiquissima sepulchra, in quorum uno ludi curules. Intus labra duo, unum paruum porphyreticum cum tegumento marmoreo, alterum ex rudi lapide Tiburtino. Est & olla in duas fracta partes, cum horribilibus leonum formis. Septum chori opere uermiculato.

Guidonis Pisani,

Sedis Apostolicæ Guido Cancellarius, in se
Quàm nihil est mundi gloria, morte probat.
Pisa uirum peperit, quem donat Roma sepulchro,
Vix paritura parem, uix fruitura pari.
Huic sine nocte diem, uitam sine morte, quietem
Det sine fine, quies uita dies q; Deus.

S. COSMATI.

Sub Ianiculo, in Transtiberina.

S. CRESCENTII.

In uia Mamertina regionis secundæ. In Anastasio 1. Platina.

S. CRVCIS.

Cognomento in Hierusalem, in Cœlio, olim Veneris & Cupidinis. Inter hoc & portam Næuiam Sessorij fuit palatium, & in horto adiuncto Statilij apparet amphitheatrũ. Inde eundo uersus Næuiam, ca-

ſtellum ſubterraneum, cuius incruſtationes alijs reſpondent: ſtructura diuerſa ab ijs quæ ſub Domitiani & Titi thermis cernuntur. Hoc templũ ab Helena matre Conſtantini ædificatum & dotatum, eo in loco ubi fuit Syrianum palatium. Intus ſacellum pulchrum, à quo arcentur mulieres. Item duo ſepulchra recentia, alterum è nigro & ſubruffo, alterum è candidiſſimo marmore. Labrũ porphyreticum cũ tabula marmorea apud altare ſummum, ſuſtentatur columellis duodecim. Pauimentũ teſſellatũ, laquearia aurata.

S. CYRIACI.

In Viminali, in thermis ædificatum Diocletiani.

S. DIONYSII.

In Nicolao 1. Platina. nunc ubi fuerit ignoratur.

S. EGIDII.

In uia Caſsia.

S. ELIZABETAE.

In campo olim Agrippæ.

S. ERASMI.

In Cœlio, prope S. Stephanum rotundum.

S. EVPHEMIAE.

In Eſquilino, inter S. Potentianam, & S. Petrum in uinculis.

In uia Appia,

S. EVPOLI.

In uia Oſtienſi: in Theodoro 1. Platina.

S. EV-

S. EVSTACHII.

Prope Pantheonem, satis bellum pauimento, et columnarum ordine. propè fuit templum Boni euētus. Ante templum, sepulchrum antiquum, & duo labra rotunda.

SS. FABIANI ET SEBASTIANI.

Extra Capenā, uia Appia, plus uenerationis quàm ornatus habens. nam & in eo cœmeterium Calixti, magnum, & plurimorum sanctorum sepulchris nobile, & catecumbæ, in quas uiginti nouem gradibus descenditur, & quatuordecim discrimina sepulturis accommodata, in eo cernuntur. In sacellum S. Sebastiani ab una parte descensus per grad. XXIIII. ab altera XXVI. Fuerunt circum ea loca multa sacella subterranea, in quibus olim Christiani metu tyrannorum delituerunt, & sacra clam peregerunt. De cryptis subterraneis sub hoc templo, dictum est priore capite.

S. FELICITATIS.

In uia Salaria: in Symmacho Platina.

S. FELICIS.

Olim Augusti palatium, in ualle Martia.

In Pincis,

Vbi cœmeterium ad Insalatas, uia Portuensi.

In uia Aurelia,

Conditum à Felice papa, quinto ab urbe lapide.

S. FRANCISCI.

In radice Ianiculi. Fuerunt propè Aurelianæ thermæ.

S. GEORGII.

In Velabro, nunc S. Georgij ad Velum aureum, habet quindecim columnas in quatuor ordinibus. In templo saxum est cum inscriptione, in quo serræ, amussis, secures, cultri, & similia fabrorum instrumenta. Eregionè templum est Iani, & ductus cloacæ maximæ, limpidissimis aquis in Tiberim per concameratum fornicem defluens. A latere fuit Argiletum, & nunc est arcus boarius usu ob antiquitatem dignus.

In Specis,

Vbi olim Iuturnæ lacus, templum nunc dirutum & uastum.

S. GERVASII.

De quo in Gregorio I. nunc nullum est.

S. GREGORII.

Ad caput pontis Fabricij.

In Cœlio,

Qua parte spectat Palatinum. Chorus & uestibulum pauimento tessellato: sepulchra antiqua duo, in uno milites clypeati inter se pugnantes. In horto tabula marmorea oblonga & quadrata, supra basim marmoream. In hoc S. Gregorij monasterio habitant

habitant nunc monachi è Germanis Flammingi & Flandri.

Pandulfi Nicolini,

Pandulfo Nicolino Florentino in regendis instrumendisq; equis præstanti, Iulio II. & Leoni X. Pontt. Maxx. equitibus Pontificijs præfecto, fide bonitateq; conspicuo, Hæred. ex testamento posuerunt.

S. HIERONYMI.

Prope curiam Sabellorum.

Caterinæ Langerin.

Inualidos ægram dum uult curare parentes,
Fata recidiuis implicuere malis.
Tum magno enixam Lucina dolore coëgit,
Atram Persephones dira subire domum.
O` pietas, ò dij, crudeli sorte licebat
Viuere, sed præstat cum pietate mori.

Caterinæ Langerin, coniugi suauiss. elegantia formæ perpaucis, moribus uerò atque uiuendi consuetudine nulli fœminarum comparandæ, quam concordia mariti, fortunæ bonis liberisq; fortunatam dixisses: sed ea omnia, ne quid humani non fluxum caducumq; existimes, mors importuna inopinanti ante tempus eripuit. Moritur anno ætatis suæ XXVII. à salute Christiana M.CCCC.XCV. pr. Cal. Ian. Ioannes Langer maritus, & Ioannes Engel genitor eius, hoc M. contra uota statuerunt.

S. HIPPOLYTI.

Sub Quirinali, paruum & desertum, ascendendo ad S. Saturninum.

S. IACOBI.

Hispanorum templum, in circo Flaminio. antè est gymnasium Romanum, quod appellant Sapientiam: post, campus Agonius.

In quodam tumulo,

Certa dies nulli est, mors certa, incerta sequentum
Cura: locet tumulum, qui sapit, antè sibi.

De Augusta,

In ualle Martia. Est ibi xenodocheum, quod uocant Incurabilium: in quo, qui grauibus & desperatis laborant morbis, aluntur & curantur.

Scorzacaballi,

In campo Vaticano, respiciens circum Neronis.

De Marottis,

Non longè ab Antonini columna cochlide, eundo ad aquam Virginem.

In Septimiano,

Trans Tiberim, in prophanos usus conuersum. Ad hoc templum Petrus Versinus cum rege Ladislao prælium commisit, sedente Gregorio XII.

S. IANVARII.

Via Tiburtina: ut alij, uia Appia, ubi cœmeterium Prætextati.

S. IOAN-

S. IOANNIS.

Baptistæ, in Cœlio, prope gradus sanctos, ut nominant.

Colauitæ,

In insula, olim Aesculapij, e regione S. Bartholomæi.

Decollati,

In Velabro, ubi aliquando fuit Aequimelium & Argiletum.

Euangelistæ,

Ante portam Latinam, in Cælio: olim Dianæ. Prope hoc fuit monasterium uirginum, quod ob infanticidia funditus deletum est.

In uia Iulia,

Templum Florentinorum.

De Ficoza,

Sub Quirinali, prope S. Hippolytum.

In Fonte,

In Cœlio, in quo lauacrum Constantini Imp. Porta ænea, tectum plumbeum, sacellum in quod ingredi mulieribus non licet. Columnæ prophyreticæ octo in circulum positæ, & in sacello adiuncto tres ex alabastro, & mox aliæ duæ ex alabastro. De huius templi donarijs à Constãtino collatis, in Siluestro 1. pene miraculis similia scribit Platina.

In Laterano,

Olim Lateranense palatium, postea basilica Con-

ſtantini dicta. Columnarum ordines bini, in uno columnæ ſedecim, in altero una & uiginti, ex utraque ſcilicet parte. In eo templo æneum ſepulchrum, Martini v. Aenea item tabula antiqua. Septum chori ex clatris æneis, quibus impoſiti globi ſex marmorei. Columnæ æneæ quatuor, una ex ijs cum capitello æneo: has è nauium roſtris Antonio ſuperato conflauit Auguſtus. In ſuperiore parte eſt ſacellum, in quod non ingrediuntur mulieres, ſed tantùm introſpiciunt, cum porta ænea à Cœleſtino III facta. Sunt prope idem aliæ portæ æneæ duæ, & ſellæ porphyreticæ duæ: quarum una explorantur pontifices. unde illud uiri eruditiſſimi,

Nec poterat quiſquam reſerantes æthera claues
Non exploratis ſumere teſticulis.

Ante templum bini leones, & labrum porphyreticum. Cœmeteriũ dicitur cliuus Cucumeris, quod alij tamen ponunt in uia Salaria. Propè ſunt ueſtigia ductus aquæ Claudiæ. Fuit ibi ſedes Pontificia, & ſolebant ibidem Imperatores auream coronam accipere.

Indola,

In quo mulieres perpetuò clauduntur: unde nec ipſis licet exire, neque uiris neque mulieribus introire. Talis cauea etiam apud Sanctum Petrum in Vaticano.

De Malua

De Malua,

Trans Tiberim, prope portam Septimij. Ante templum multæ imagines fractæ, & sepulchra antiqua. Propè est domus Portia, antiquitatum plena.

De Misericordia,

Prope Velabrum, in quo sepulti sunt qui publica pœna capitis plecterentur.

In Oleo,

Ante portam Latinam, exiguum & rotundum.

S. IOANNIS PAVLI.

In Cælio, ubi olim altera curia Hostilia. Templum satis ornatum, altaria & columnæ ex uario marmorum genere, sicut & pauimentum, paries chori incrustatus. Tabula in eo porphyretica tam illustris, ut formas tanquam speculum referat. Labrum porphyreticum cum duabus columnis albo nigroq; mixtis. Ante ianuam leones duo, quorum alter unguibus porcum, alter hominem tenet. Fenestræ rotundæ sub ipso penè tecto quatuor & uiginti.

De Pinea,

In regione Pineæ.

De Mercato,

In regione Campitelli.

S. IOSEPHI.

In regione Pineæ, quod illustris fœmina Victoria Columna puellabus tenuibus, quibus annuos reditus constituit, dicauit.

S. IVLIANI.

In Esquilino, proximum tropæis Marij, incultum & angustum.

S. LVII.

In campo Martio.

S. LAVRENTIOLI.

Prope macellum Coruorum.

In Viminali,

Sub Ianiculo,

S. LAVRENTII.

Iuxta Tiberim.

In Damaso,

In regione Parionis, est inclusum domui, in qua hodie pontificis Cancellarius habitat: unum è templis uetustissimis.

Iulij Sadoleti,

D. IMM. S.

Pietati & memoriæ Iulij Sadoleti sacerdotis Laurentiani de collegio Canonicorum, Græcis & Latinis literis singulariter eruditi, omnibus optimis & disciplinis & moribus ita ornati, ut eius ingenium, comitatem, liberalitatem, & ante annos prudentiam nulla satis æquare posit admiratio: Iacobus Sadoletus, fratre concorde, & spe de eo maxima orbatus, multis cum lachrymis posuit. Vixit ann. XXVI.

Francisci Benedicti,

Fraternæ quidquid fuerat pietatis, ad unguem

Actum

Actum est officio frater amande tuo.
Nec res, nec tumulum, nec sacra piacula posse
Curari fateor candidiore fide.
At tu sed senior dimensis pluribus annis,
Hoc opta mecum marmore posse tegi.

Ludouici Patauini,

Ludouico Patauino, Patriarchæ Aquilegiensi, Albonensi Pōtifici TT. D. Laurentij in Damaso Card. S. R. E. Camerario, quòd animi magnitudine & singulari præditus prudentia, cùm rem Ro. multitudine hostium laborantē, legatus ab Eugenio IIII. in splendorem pristinum armis & uictorijs uendicasset, Nicolaum Picinum apud Anglariam Florentinæ Ecclesiæ socios infestantem signis collatis profligasset, agrum Picenum à Fran. Sfortiæ dominatu in ditionem Ro. Ecclesiæ recuperasset, Turcas sub Calisto III naualibus prælijs conuicisset, auctoritatem Ro. pontificatus longè & latè propagasset, domesticis quoque uirtutibus, consilio, grauitate, continentia plurimis, domiq; in omnes bonos libertatis & beneficētiæ monumentis, bellicas laudes ornatiores reddidit: Henricus Brundius Arch. Tarentinensis, summo Pont. sacroq; senatui à Secretis, ærarij Apostolici præfectus, tantæ uirtutis in lucem reuocandæ caussa, utq; ueterem suam in eum obseruantiam hac recente pietate testaretur, hoc illi monumentum XL ab eius morte anno sua pecunia faciundum locauit. Anno Sal. M. D. V. XII. Cal.

XII. Calend. April. Vixit ann. LXII. M. D. VIII.

In eodem templo.

Cùm nequeas fratris miseras audire querelas,
Ad tumulum qui te terq; quaterq; uocat,
Accipe Paule nouo spumantia pocula lacte,
Quæq; tibi mittit tristia dona domus.
Has lacrymas pater infelix effundere iussit,
Cui sine te exoritur iam sine luce dies.
Hos miseri fratres ferrugineos hyacinthos,
Dixerunt, Hieron accumula ad tumulum.
Sic nos æternum in luctum, æternasq; tenebras,
Non expectato conijcis exitio.
Hac ratione tamen casum solamur amarum,
Quòd nullum ob facinus sors te iniqua tulit.
Sed dum morte tua mortem propellis amico,
Exemplum sanctæ linquis amicitiæ.

Extra Esquilinam,

In agro Veranio à Constantino ædificatum, unum ex pulcherrimis. Habet XXII columnas Ionicas, XII Doricas, quibus decem aliæ superne impositæ. Ex Doricis duæ sunt cum capitellis, in quibus imagines tropæorum. Lithostrotum tessellatum marmoreum, laquearia aurata. Suggestus è uiridi & purpureo marmore, cum notis Aegyptijs in basi. Septum chori amplum. Sepulchra antiqua duo: in uno bijuges & quadrijuges uectores: in eodem fiunt sacrificia, & contrahuntur nuptiæ inter uirum & mulierem dexterarum

rarum coniunctione. Ante templum labrum, & duo sepulchra marmorea cum senis columellis. sed recentia. Prope fuit cœmeterium, dictum Hermetis.

In Fontana,

In ualle Esquilina subiacens cliuo Virbio, præter unum altare nihil habet. Supra fuit palatium Seruij Tullij. Apparent nunc propè ruinæ thermarum.

In Lucina,

Olim Iunonis Lucinæ, in cãpo Martio, recenti more ædificatũ, pilis quadratis, ut S. Maria in pace paui mẽto tessellato, incrustatis parietibus, opere tectorio. In cuius solo multæ antiquitates ruptæ. Sunt in eodem ophites et porphyreticus, ut Platina in Benedicto 11. Repertũ in eius fundamẽtis horologiũ cum quatuor uẽtis ex opere musiuo, & lineis atq; gnomone horas distinguentib. Propè fuit arcus triũphalis Augusti: & inter hunc & S. Siluestrũ arcus nunc est Domitiani.

In Miranda,

Olim Castoris, nunc intra Faustinæ porticum ædificatũ, & hoc uno nominatũ, quod Ro. foro adiacet.

In Palisperna,

In Viminali, extructum in thermis Olympiadis. Prope fuit palatium Decij. Ante ipsum, sepulchrum antiquum, in quo triumphi expressi uidentur.

S. LEONARDI.

Prope Palatium Dominorum de cruce, eregionẽ S. Mariæ de Strada.

In Cari-

In Carinis,

Vltra Peregrinum,

Via qua inter ad pontem Aelium.

S. LVCIAE.

In Orphea. Platina in Leone IIII.

In septa Solis,

In qua ponunt Seueri septizoniũ, Lætus & Blondus. sed hodie nullum est.

In Silice,

In Esquilino.

Veteris,

In apothecis obscuris, in aditu circi Flaminij: olim Herculis Magni, uel Custodis. In eo sepulchrum marmoreum antiquum, cui corpus impositum eo modo, quo nunc in feretro Itali efferuntur. in uno latere est effigies Herculis.

S. LVDOVICI.

Templum Gallorum: prope campum Agonium, Pantheonem uersus. Iuxta hoc ædificari cœptũ aliud, satis magnificum, sed adhuc imperfectum. Propè fuerunt Neronis & Alexandri thermæ.

S. MARCILIANI.

Prope S. Mariam Monticeli.

S. MARIAE AEGYPTIACAE.

In regione ripæ, olim templum Fortunæ uirilis, ob antiquitatem structuræ conspicuum.

De Ani-

De Anima,

Germanorum, in regione Parionis, ab Adriano VI ornatum. Habet portam marmoream, & altaria aliquot, & signum marmoreum uirginis Deiparæ.

Melchioris Fronsbergij.

Melchiori à Fronsberg. Georgij Equ. splendidiß. Cæsarianiq; Germanici peditatus, bello Italico præfecti filio, qui dum honestißimè ordines duceret in Vrbe, Idib. Ian. M.D.XXVII. immatura morte interceptus est, XXI ætatis suæ anno. Caspar Suegler alumnus, quæstor exercitus, Militum trib. B.M. posuit.

Bartholomæi Saliceti,

Bartholomæo Saliceto Bononiensi, quem ob eius præstantem in omni uirtutis genere animum, mirari magis quàm laudare licet, in quo fides & religio cum doctrina certabant. Vixit ann. LXXVII. D. X.

Virtuti studeas, bona nec differto uiator:
Sic tua post cineres gloria maior erit.

In Ara cœli,

In Capitolino, inter prima iurè censetur, propter multa ornamenta. Gradus ad id templũ ex ipso monte marmorei CXXXIX. A lateribus quædam antiquæ inscriptiones, & statuæ muro insertæ. Intus sepulchra marmorea uetusta quatuor. Ante templum iacet fractus obeliscus, & tres leones marmorei, ex altera parte descensus est per gradus XL, ad Capito-

lium, in quibus gradibus statuæ Constantinorum, ut basium inscriptiones indicant.

Buccabellæ,

Ioan. Iacobo de Buccabellis, ciui Romano nobili, Canonico Lateranensi, Rhetori eximio, poetæ celeberrimo, fratres heu bene merenti fecerunt. Hic pedum & syllabarum normam ita tenuit, ut nemo melius. Vixit ann. LII. Obijt sub Pio P. M. M.CCCC. LXIIII. IX. Cal. Iulij, carus omnibus.

Ludouici Grati,

Lud. Grato Marganio Ro. iuueni opt. utriusque linguæ eruditiss. astrorum ac totius rei mathematicæ scientia doctiss. eximia erga omnes pietate gratissimo. Qui dum super legitimam suæ uitæ ætatem hæc omnia optimè præstat, morte ingrata, bonorum desiderio subripitur. Vixit ann. XX. M. VIII. D. XX. Obijt Cal. April. M. D. XXXI. Christophora Margania mater piiss. pos.

Vallensium,
Bartholomæi,

Bartholomæo de Valle, ob ingenium moresq; ciuibus ac peregrinis æquè admirando, è maioriq; rerum expectatione erepto, Andreas Card. de Valle fratri desideratiss. temporarium tumulū constituebat. Vixit ann. LVIII. M. II. D. XX. Obijt Idib. Nou. M. D. XXVI.

Currenti medium callem fortuna diremit:
Sic hominum, uentis ocyor, aura perit.

Petri,

Petri,

Petro de Valle I. V. D. Epiſc. Eſculano, fratri benemerenti:

Dum tibi uita fuit, felicia tempora noui:
Me miſerum, uerſa eſt ſors mea morte tua.
Nulla igitur requies oneroſa in luce morantis
Te ſine dulce nihil, te ſine uita dolor.
Occidis ante annos patriæ uirtutis imago,
Sic tamen ut uiuas in meliore loco.
Accipe ſupremos tumuli modò frater honores,
Quos potius nobis tu dare debueras.

Reſponſio:

Parce precor lacrymis, fatum Germane quid urges?
Omnibus hæc ſolido eſt ſcripta adamante dies.
Puluis & umbra ſumus, tantùm poſt funera uirtus
Nomen inextinctum ſola ſuperſtes habet.
Nil aurum, nil pompa iuuat, nil ſanguis auorum:
Excipe uirtutem, cætera mortis erunt.

Philippi,

Philippo de Valle patricio Ro. philoſophiæ bonarumq; literar. gloria inclyto, cuius apud Ro. Pont. & Italiæ principes auctoritas tantum florentiſs. familiæ dignitatis cõtulit, quãtũ ab illa nobilitatis accepit. Vixit ann. LXIII. M. V. D. X. XIII Cal. Mart. M. D. VI. Andreas Epiſc. Crotoniat. et Bartholomæus patri opt. P.

Andreæ,

Andreæ de Valle Card. epiſ. Prænestini oſſa hic ſita

sunt. Vixit ann. LXX. M. VIII. D. V. III. Non. Sext. esse inter nos desijt. M.D.XXXIIII.

Si tibi par ausis æuum natura dedisset,
Nacta erat amissum Martia Roma decus.

Bernardini Buccapadulĩ,

Bernardinum Buccapadulium patricium Ro. nobilitate generis clarum, egregiam indolem præ se ferentem, mors, quæ semper optima eripit, in uitæ limine sustulit. Euangelista pater contra uotum. Vixit ann. XXIII. M. II. Obijt VI. Iunij. M. D. XXXI.

Qui nato inferias misit, qui condidit urnam,
Infelix genitor debuit antè mori.

Ioan. Baptistæ Militĩ,

Debebas tumulum miseræ si nate parenti,
Vertit & officium si tibi rapta dies,
Tu tamen ante oculos semper uersabere: non hoc
Mors quæ te rapuit tollet iniqua mihi.
In te ego reddebar, poteram post funera dici
Viuere, seruassent si tibi fata modum.
A' quibus excluſus medio de flore iuuentæ,
Carpis iter sine me, nec rediturus abis.
Nũc tua quæ peperit genitrix, dat mẽbra sepulchro,
Dat lacrymas, quales non dedit ulla parens.
Quamuis esse queant aliqua hæc solatia matri,
Quod præter cineres nil tegit urna tui.

Ioan. Baptistæ Militio, patricio Romano, dum flore bat iuuenta, uirtute, honoribus, diuitijs, primisq; hymenæis

menæis intercepto, Lucretia Maxima infeliciſsima
mater P. Anno Sal. M. D. VII. III. Non. Februarij.

Gregorij Albertonij,

Gregorio Albertonio raræ indolis puero Eunuphrius & Iulia parent. mœſtiſs. filio unico dulciſs. ac
B. M. P. Vixit ann. XII.
Blandid ulus, nitidus, dulciſsimus, unicus infans,
Matris deliciæ, deliciæq; patris.
Hîc tegitur, raptus teneris Gregorius annis,
Vt roſa quæ ſubitis imbribus icta cadit.

L. Mancini,

Lucia ſtirps claris olim lucebat alumnis,
Nunc huius geſtis & pietate uiri.
Qui meritus magnos ſemper contempſit honores,
Mens bona pro titulis cui fuit una ſatis.
Virtutem Alfonſus rex non ſine munere paſſus,
Defunctum merito ſignat honore uirum.
Nomine militiæ Mancinum donat equeſtri,
Qui uirtutis opus dexter ad omne fuit.
Obijt ann. Dom. M. CCCC. XLVII. die primo Sept.

Iuliani L. Mancini,

En modò læta Venus, laniat nunc mœſta capillos,
Et queritur culpans impia facta Ioui.
Atropos excuſans factum: Deludimur, inquit,
Neſtor mi iſte, tibi uiſus Adonis erat.

Stranconij,

Seraphino Oductio Stronconio, Medico celeberr.

uati ingeniosiß. ac omnino omnium disciplinarum doctrina prædito, uitæ autē integritate ac morū probitate omnibus gratiß. qui uehemēti febre correptus, præscita prædictaq; die & hora mortis cōstantißimè obijt. IX. Cal. Sept. M.D.XXXVIII. Theophilus F. piētiß. patri opt. P. Vixit ann. LIIII. M. VII. D. XXIII.

Antonij Manilij,

Manilio Antonio Britanorio, Sixti IIII & Iulij II P. M. à cubiculo, fatorum præscio, uatiq; semper uero, latinè græceq; diserto, philosopho, iurisperito, morumq; sanctimonia insigni: Bapt. Fab. patruo suauissimo uberibus cum lacrymis posuit. I.D.X. Vixit ann. LXXIX. M. VII. D. XV.

Auentinæ,

In medio penè eius montis, olim Bonæ deæ. Post illud Caci spelunca fuisse dicitur.

Bagnapoli,

In ascensu Quirinalis, prope turrim Comitum. olim Balneæ Pauli.

De Cacabarijs,

In regione Pineæ, post uicum Iudæorum. inter hoc & S. Saluatorem uestigia sunt antiquißimæ porticus.

In Campo,

Non longè à S. Petro in Vaticano, quod gubernāt Germani, & est ibi cœmeterium peregrinorum.

Sub Capitolio,

Olim Apollinis, hodie nullum est.

In Capel-

In Capella,

Trans Tiberim.

De Candeloro,

In regione S. Angeli, paruum & desertum.

De Carmini,

In campo Vaticano Carmelitarum, eregionè arcis S. Angeli.

De Cœlis,

Prope Gallorum templum, in circo Flaminio.

In crypta penta,

Prope domũ Vrsinorũ, ubi olim Pompeij theatrũ.

De Conceptione,

In ascensu montis Citorij, uersus S. Blasium, Paruum, & à monialibus habitatum.

De Consolatione,

Sub rupe Tarpeia, opulẽtum donis, & tabellis suspensis. Propè fuit domus Ouidij.

In Cosmedim,

In Velabro, olim schola Græca. Ante templum costa piscis ingentis: & sepulchrum antiquum, in quo raptus Proserpinæ.

De Curte,

Infra Capitolium, post S. Mariam de sole.

In Dominica,

In Cœlio, instauratum à Ioanne Medice. Ante templum nauicula est marmorea. Fuerunt ibi

mansiones Albanæ, & prope ductus aquæ Claudiæ.

In Equiro,

In circo Flaminio, prope collegium Grapanicum, olim Isidis. habet sedecim columnas in duobus ordinibus. Ante templum sepulchrum antiquum, & propè porticus & templum Antonini Pij.

De Febribus,

In Vaticano, olim Martis, ad sinistram basilicæ S. Petri, rotundū & paruum. In eo statua Virginis beatæ mortuum filium tenentis, & lacrymanti similis, opus Michaelis Angeli: ex lapide candidissimo.

Ad fontem Olei,

In regione Transtiberina, ubi olim tabernæ erāt.

Ioannis Quadrati,

Hìc sua Quadratus reliquit membra Ioannes, Patria Sulmo fuit, studium diuina poesis.

De Gratia,

Inter Palatinum & Capitolinum, olim Vestæ. E regionè eius sunt fauissæ, seu meatus subterranei, supernè angusti, in profundum ampli & patentes: in quos est descensus per fenestellas quadratas effossis foraminibus, in quibus figuntur uestigia.

Grottapenta,

In regione Parionis.

In Horto,

Trans Tiberim, non longè à publicis cellis uinarijs.

De In-

De Inferno,

Vel de pœnis inferni, uel Liberatrix (his enim nominibus appellant) eo in loco ubi olim fuere Rostra. Supra eam Ecclesiam, in Palatino monte, in uineto quodam, profundissimus fons est.

In Insula,

Nunc dirutum. Habuit aliquot columnas, & sepulchrum antiquum.

In Iulia,

In regione Harenulæ.

De Loreto,

Conditum à corpore pistorum, prope quod duæ ingentis magnitudinis columnæ semiobrutæ iacent, ex porticu Traiani, quæ propè fuit.

Maioris,

CVM recolligerē nuper quæ undiq; comparaueram, Antiquitatis monumenta, incidi in quasdam formulas Testamentorum, Libellorū, Contractus, Legum, Instrumentorum, Decretorum, quæ quidem partim ab alijs inuentæ erant, partim à meipso sunt descriptæ: omnes sanè eruditæ, elegantes, lectione dignæ. Non igitur dubitaui, quin gratum facturus essem multis, & literatis hominibus, & Iurecōsultis eruditis, si & collectas à me ederē, & ab alijs inuentas quoad possem emendarem. Vt autem non solū antiquitatis commendationem, sed & clari alicuius hominis splēdorem secum in lucem efferrent, tibi Fichardē illas inscribēdas existimaui: uiro, ut omnes iudicant, doctissimo & iurisprudentissimo, &, ut scripta testantur, in melioribus etiam studijs uersato, atq;

to, atq; de omni literarum genere præclarè sentienti. Tribuunt antiquitati eleganti omnes plurimũ: & Alciatus, qui familias hodie in uestro ordine ducit, taliũ rerũ & cultor est, & admirator. Quantũ uerò ipse in his similibusq́; inquirendis & describẽdis diligentiæ posuerim, quantumq́; laboris exhauserim, maioribus aliquando indicijs, si erit ocium, & Musæ fauebunt, declarabo. Vale, & me ama. Ex Misena Hermundurorum, in ludo illustri, Anno Christi M. D. XLIX.

MARTINVS CRVSIVS.

Αλλοδαπὰς καλὸν χώρας πρῆγμ' ἐςὶ διελθεῖν,
γιγνώσκονθ', ὅσ' ἐκεῖ ἄξια ἐςὶ λόγου.
τοῦτο δὲ μὴ ποιεῖ ςρατιώτης τις κακοείμων,
πᾶσαν ἰδὴ κἂν γῆν, ὠκεανόντε πλατὺν.
ἀλλ' αὐτὸς τινί ἐςιν ὀνειροπολοῦντι ὅμοιος,
ἢ ἑ θεησαμένῳ ἐν ποταμοῖο ῥοῇ.
τῶν ὀφθέντων γὰρ λήθη προσελήλυθεν ἀμφοῖν,
τῷ μὲν ἑῆς μορφῆς, τῷ δὲ ὀνείρου ἑοῦ.
παιδευτῶν ἐθέλων δὲ ἐνικρινθῆναι ὁμίλῳ
εἰν ἀπίῃ γαίῃ πολλ' ὁρᾷ, ἠδὲ νοεῖ.
ὡς καὶ φαβρίκιός γ' ἐπιδημῶν οἰνοτρίοσι.
συλλέλογ' εἰς σελίδας πολλὰ παλαιὰ μικρὰς,
τέρψιν ἃ οὐκ ὀλίγην ἀναγιγνώσκουσι παρέξει,
γνώσιος εἰ δὴ ἔρως τοῖς μερόπεσσι πέλει.

ANTI-

ANTIQVITATIS MONVMENTORVM LIBER I.

TESTAMENTA VIII.

I.

TESTAMENTVM L. Cuspidij.

Impressum in Italia, non addito eius qui inuenerit, aut descripserit, nomine.

DEI OPT. MAX.

Numine inuocato, absq; cuius nutu neq; quicquã ritè inchoari, neq; rectè perfici potest. Hæc est Lucij Cuspidij dispositio, & ultimæ uoluntatis sententia, de eo quod post mortẽ suã fieri cupit, decernitq;, si quid ex hoc morbo, quem nescit an ferre possit, secus ac medici promittunt, de se contigerit. Testatus autem dum mente ualeret, sibi testamentum conficere placuisse, ut sine suorum iniuria ex hac uita proficiscatur, hæc legat. Domesticam omnem supellectilem Nonio, qui Apolloniæ Rhetoricam docet: uel si quid de eo accidisset, Nonij filijs, P. & Gn. Cæcilijs. Porrò, quæ mihi debet Q. Aemilius, germano Aemilio, liberisq; eius relinquo. Agros, uillasq; quascunq; Lisij habeo, domumq; consobrinis, & Lucio præcipuè,

quòd nomen is ferat nostrũ, mecumq; diutißimè atq; gratißimè sit commoratus, prout decet discipulum, qui filij tenet locum, tutò hæc firmiter posßidenda censemus. Fundũ quem in Tusculano colui, cui ab Aquilone publica uia, ab Austro templum Iouis Statoris, ab ortu solis Sex. Pompeius, ab occasu Suillus Cincinnatus, Attico auunculo do. Dabit autem Hipparchus Philotimo historico talentum, & Callino grammatico drachmas decem. A' reliqua debitione liber esto. Nisi Niceæ rationẽ haberemus, qui nobis aliquãdiu fuit perutilis, & nunc suis facultatibus magnã fecit iacturam, ob fratris naufragium: profectò quæ à nobis mutuatus est illius procurator, statim cogeretur reddere. Quoniam uerò hoc illi difficile fore animaduerti, uolo, ut singulis annis uictum necessarium collactaneæ Dorphylæ suppeditet, quæ consenuit in uirginitate apud Semproniam meam, cuius desiderio mortem opto, propter fidem, probitatem, fortitudinem, incredibilesq; uirtutes uxoris rarißimæ. Vbi uetula hæc decesserit, absolutus erit debito omni, et cunctis quas contraxerat stipulationibus. Si quid humanũ Lampridio contigerit, prius quàm eius liberi ad ætatem perueniãt, curæ sint Antiocho Rhetori, qui accipiat ex opibus nostris, quæcunq; illis erunt necessaria, ut liberaliter educentur, instituanturq;. Amo nimis, & ualde amo puerorum indolem, quos ad bonam frugem natos autumo. Tu Antioche, ut dignum

est tua

est tua erga me & Lampridium uoluntate, à pueris mutuò susceptа, fac ut eos tueare, ne aut ipsorum ingenia perdantur, aut tui labores disperdantur. Hortum quem emi ab Herennio, & deambulationem, ædesq; Nestorianas, quibus à Septentrione uicini sunt Cæsariani fratres, Gracci à Meridie, ab Occidente tali plaga mare, ab Oriente sole Eridanus est conterminus, amicis lego, literatas literas doctis, Gallo, Fabio, Hirro, ciuibusq; cunctis, qui uoluerint ibi uacare literis & eloquentiæ: ea tamen lege, ut neque illum cõmutent, neq; alienent, neq; ut proprium cuiquam sit licitum possidere: sed uelut sacrum & commune gymnasium, communiter ab omnibus possideatur. Eas autem, quæ mihi erant in Aegina, partes, diuidant Gymnasij procuratores adolescentibus studiosis, in usum librorum et olei: mercedemq; condignam statuant Rhetori, quem delegerint patrueles nostri, & Scholæ principem, maximeq; utilem futurum existimauerint. Eis uerò consentiant & reliqui necessarij uel nominis gratia. Cauebunt autem ipsi, mandabuntq; successoribus, ut locum hunc ita seruent, tradantq; posteris in perpetuum. C. Atteius, & Sex. Capito curam habeant sepulturæ & funeris, monumentumq; faciant, ut melius uidebitur. & iusta, quæ post funus fieri solenne est, ita moderentur, ut neque inliberalia, neque superflua sint. Persuasum enim mihi est, illos, quid conueniat, honestumq; sit, uisuros haud

segnius quàm nos, nihilq; neglegentius facturos. De his autem qui mihi seruierint, sic statuo. Demetrio redemptionis precium remitto, & quinq; minas do, & pallium, & tunicam, ut qui mihi anagnostes fuit. Tauro, qui multum mecum, & diu laborauit, pileum do, & talenta quatuor, ut honestè uitam degere possit. Dionysius, qui uinctus est, & Syrus fugitiuus, si perseuerauerint esse improbi, ut sunt, eos uenũdari mando: & precio exacto, aperiri uiam ad hortos Academicos ducentem: & iter proximum, fieri uiam & publicam, ac Vinales uias circunquaq; mundari. Et ancillam Hermiam, quòd uinosa est, relinquo: & famulos, Mæsum, quoniam erro est: & Getam, quoniam impostor. Dauum quoq;, ac Maurum, mancipes in perpetuum esse edico: quoniam maledici & contumaces semper fuerunt, ut in pistrino pœnas promeritas luant. Hæredem instituere reliquum est, cui fortunas meas honestè relinquam, quibus certò scio inhiare quàm plurimos. Vixisses LAETE fili, fili mi uixisses (ut decuit) LAETE, non ego nunc sollicitarer & angerer: non cum mœrore nunc cogitarem, quibus potissimum relinquã patrimonium hoc tantum, tantis curis, cruciatibus tibi uni auctum, tanta uigilantia studio & parsimonia tibi uni à me seruatum. Cæterùm cum siue Fortuna, si qua est, illum mihi inuiderit: siue Deus potius, qui & eum dederat, abstulerit, quo domus mea omnis, resc- unà mecum intereat: nefas est

fas est diuinæ non acquiescere uoluntati. His deductis legatis, cum duos fratris Agathonis filios, totidemq; filias habeam, ex utrisq; mihi hæredes instituam oportet. In quo tamẽ (meme tristissimum) etiam atq; etiam prouidendũ mihi est, ne quid agam, statuamue, quod minus honestum illis, & conueniens: quodq; minus æquum laudabileue alijs factum uideatur. Igitur Titius & Gneus Cuspidij ita mihi hæredes sunto, ut qui plus Reip. præstiterit, habeat domos, agros, hortos, oliueta, & quæcunq; Scodræ possedi. Qui minus profuerit, quæ superiore anno Colchinij centum octoginta supra mille iugera comparauimus, consequatur. In reliquis autem bonis meis omnibus, inq; familia, Faustam & Felicianam, filias meas, ita mihi hæredes instituo, ut quæ melius nupserit, ex dodrante, altera ex quadrante hæres habeatur. Et inuicem substituo tam has quàm illas, cum suis filijs, in stirpes, non in capita. Permitto autem filiabus, ut quem quæque earum uoluerit, sibi uirũ optet, optatiq; per patriam potestatem compos fiat. Curatores testamenti huius, Silius Necessarius, C. Attilius, M. Capitolinus, qui maximè omnium miro me affectu prosequuti sunt, quiq; ex omnibus amicis ac necessarijs fidelissimi semper fuerunt. Vos igitur per sacra amicitiæ atq; condiscipulatus obtestor, per summum omnium Opificem obsecro, curate, memores quantum uestræ fidei commitam, ut omnia mea ex sententia apud uos deposita,

benè honesteq; gubernentur. Verùm enimuerò piè amiceq; & alij facient, qui nobis bene uoluerunt, quamuis occupati & seniores, si hæc impleuerint curauerintq;. Testes in his tabulis sint,

Q. Martius.	L. Ancapito.
C. Septimius	M. Terentius.
P. Curio.	Iulius Pansa.

C. Sestius. qui affuerunt, subscripseruntq;, ut sua ipsorũ litera cognosci posßit. Ego idem ille L. Cuspidius testamentum manu mea exaraui, meoq; annulo obsignaui, hijsq; testibus signandum obtuli. Et hãc meam nouißimam uoluntatem ualere uolo, iure Testamenti: quod si fortè non censebitur, nomen & ius habere mando, cuiusq; alterius ultimæ uoluntatis, quam penitus & inuiolabiliter obseruari ab omnibus hæredibus & successoribus meis statuo.

Valete superstites, mortalitatis non immemores. Romæ, Cal. Martijs.

GN. POMPILIO ET L. MARTIO COSS.

II.

TESTAMENTVM GALLI FAVONII IVCVNDI.

In agro Lusitaniæ inuentum, & à Barth. Marliano in descriptione Vrbis editũ: à nobis ex meliore exemplari, quod Alex. Ferax Vicentinus communicauit, correctum.

Ego Gallus Fauonius Iocundus, Publij Fauonij filius, qui

lius, qui bello contra Viriatum occubui, Iocundum & Pudentem filios, è me & Quintia Fabia coniuge mea ortos, hæredes relinquo, & bonorum Iocundi patris mei, & eorum quæ mihi ipse acquisiui: hac tamen conditione, ut ab urbe Roma huc ueniant, & ossa hinc mea intra quinquennium exportent, & uia Latina condant, in sepulcro marmoreo iussu meo cõdito, & mea uoluntate: & si secus fecerint, nisi legitimæ oriantur causſæ, uelim ea omnia quæ filijs meis relinquo, pro reparando templo dei SYLVANI, quod sub Viminali in urbe monte est, adtribui: manesq; mei à Pontifice Maximo, & à Flaminibus Dialibus, qui in Capitolio sunt, opem implorent, ad impietatem liberũm meorum ulciscendam: teneanturq; sacerdotes Dei Syluani, me in urbe referre, & sepulcro meo condere. Volo quoque uernas, qui domi meæ sunt, omnes, à prætore urbano liberos cum matribus dimitti: singulisq; libram argenti puri, & uestem unam dari. In Lusitania, in agro. VIII. Calend. Quintiles, bello Viriatino.

III.

TESTAMENTVM SEMPRONij Tucidani.

Descriptum à me Neapoli, in ædibus Hadriani Gulielmi, ex antiquitatibus Ioannis Pontani. In Epigrammatis urbis legitur deprauatissimum.

D. O. M.

D. O. M.

KL. SEX.

L. MALLIO ET Q. TORQVATO COS.

Sempronius Tucidanus Testamen. iure Mil. quod ipse facio L L. abses, ob Pœnum Italia pulsum Fund. Baleares Senatui P. Q. R. D. D. Aurelius Tucidanus tacitam Pecu. Si uia Lat. Oss. meis Re. monumentum suo sumptu edificauerit, abeto. Hermeti Lib. Aug. Vind. Ma. Aur. CX. D D sunto. Tuciæ Agresti Vxo. Beneme. mundum mulieb. quéue è La. Par. D D. Caius Tucidanus, quod pupillam, cuius iussu meo Cu. Ge. contra decretum Ampliss. Ord. Vxo. Dux. Ex. esto. Dodrant. Luci Celse Testament. quod Epheso scripseram Adi. Pamphilo Vicario Pecu. id Instrumen. Rusti. quod Epiro praueram Vehic. ue D D. sunto: Si filij, Nepotes mihi non fecerint, Marcellus Tucidanus ex Dam. sunt Cohi. Hæred. que Lego, esto.

IIII.

KAPVT EX TESTAMENTO M. *Megonij* M. F. *Cor. Leonis.*

Descriptum à me Romæ, apud Bernardinũ Vallam, antea non editum. Inuentum autem marmor est anno M. CCCC. XCVIII.

Hoc amplius R. P. *Petilinorum dari uolo* HS XN.

$\overline{XN}$. item uineam Calcidianam, cum partem fundi Pompeiani Fauti. optima maximaq; sunt finibus suis, qua mea fuerunt. Vòlo autem ex usuris semißibus HS $\overline{XN}$ comparari Augustalium loci $\overline{N}$ ad instrumentum Tricliniorum duûm, quod eis me uiuo tradidi, Candelabra & Lucernas bilychneis arbitrio Augustalium, quo facilius strati-ius publ. obire poßint, quod ipsum ad utilitatem Reip. $\overline{N}$ pertinere existimaui, facilius subituris onus Augustalitatis, dum hoc commodum ante oculos habent. Ceterùm autem temporum usuras emisse HS $\overline{XN}$. ad instrumentum Augustalium arbitrio ipsorum esse uolo, quo facilius munus meum perpetuũ conseruare possint, neq; in alios usus usuras, quas ita à Rep. acciperent, transferri uolo, quàm si necesse fuerit in pastinationem. Vineam quoque cum parte fundi Pompeiani sic, ut suprà dixi. Hoc amplius Augustalibus loci dari non uolo, quàm uineam. Vineam autem uobis Augustales idcirco dari uolo, quæ est Aminea, ut si cogitationi meæ, qua prospexißent utilitatibus nostris credo consenseritis, uinum usibus uestris, duntaxat dum publicè epulas exercebitis, habere positis. Hoc autem nomine releuati impendis facilius prospecturi hi, qui ad munus Augustalitatis cõpellentur. Locatio uineæ partis fundi Pompeiani, eam colere poterint. Hæc ita ut caui, fieri præstariq; uolo. Hoc amplius ab hæredibus meis uolo præstari, Reip. Petilinorum, & à Rep. Pe-

Rep. Petilinorum corpori Augustalium ex prædis cæteris meis palum dicari omnibus annis sufficiens pedaturæ uineæ, quam Augustalibus legaui. A uobis autem Augustales peto, hanc uoluntatem meam ratam habeatis, & ut perpetuum firmam obseruetis, curæ uestræ mandetis. Quo facilius autē nota sit corpori uestro hæc erga uos uoluntas, tuli L. Kaput, quod ad uestrum honorem pertinet.

V.

TESTAMENTVM LVDICRVM Sergij Polensis parasiti.

Descriptum à Cyriaco Anconitano apud Polam Istriæ urbem, antea editum, à Domitio Brusonio in libris Exemplorum: nunc ad me missum à Melchiore Pisone auunculo.

Viatores, ciues optimi, uel aduenæ, siue bini siue singuli inceditis, siue turmatim, quod magis erit gratiæ, obfirmate gressum: nec miremini, si moramini ali quantisper. Dicaculus equidem fui, succinctus sermo dari uobis non potest: & iuuat uobiscum esse, ut iuuit semper, & quiui ab ore meo pendulos detinere. Saxum hoc uos uocat. Quid inquam? ut uiuus assueui prudens imprudens, mortuus item uos fallo. Nam non uos uocat, quod uocat ore: uerùm is, quo ius cinis hîc latet: olim quomodo potuit, nunc huc uos uocari uoluit, ualuitq;. Hæc olim sua uoluntas, uolentis

uolentis uos legere hoc scriptum: uah, quid loquor? immò sculptum. Quàm ægrè ueritas adhuc se mecum conciliat? nam neque hic atramentum, uel papyrus, aut membrana ulla, sed malleolo & celte litteratus silex, silens aduc. Quid hic latet, quod ego efferre & effari gestio? SERGIVS Polensis parasitus, histrio uester festiuissimus, hic cubo. Hoc unum quidem tandem sponte dictum, uerum est: si quis dubitat, hanc olfaciat humum. olet enim temetum, & florem uini ueteris, quo satur satis uiuens uixi. At si uixi uitam, tam uobis gratam, quàm notam urbi & orbi, non minus munus à uobis impetrem oportet. Adeste mihi, & fauete, edictoq; huic uos subscribite, & obsignate. Si quis sibi uesicam onustam senserit, domum suam onus hoc reportet in cloacam: si uerò festinus fuerit, citerior uel ulterior hoc loco pro religione se euacuet. Qui non paruerit, hæc mulcta illi esto, TESTE ALTERO CAREAT. Canes quoque cæsi fustibus & saxis, edictum hoc sentiant. Adfuistis, fauistis, obsignastis, teneo iam uos risum dare. Sitio: hui sentio, dictum uolui esse. Quid hoc est, quod tam faciliter isthuc procedit ueritas? Hac profectò contagione mei sitit ipsa, quæ tam & mihi ipsi supparasitatur, quàm ultro potu inuocata aduenit. Nunc si urbani perhiberi uultis, & ueritati supparasitanti, & horrenti meo cineri, cantharo piaculum uinarium festinate: pòst ualete,

abite in

abite in rem ueſtram Viatores optimi, hijs nugis, truſis, ambagibusq; meis condonate poſthumis.

VI.

TESTAMENTVM LVDICRVM, Grunnij Porcelli.

Deſcriptum primò Moguntiæ à Ioanne Alexandro Braſsicano, & à me correctum locis aliquot ex antiquiſsimo exemplari, inuento Memmelebij ad Vnſtrũ, in Turingia. D. Hieronymus in proœmio VIII. lib. in Eſaiam: Teſtamentum (inquit) Grunnij Corocottæ Porcelli decantabant in ſcholis agmina puerorum cachinnantium.

M. *Grunnius Corocotta Porcellus teſtamentum fecit: quod quoniam manu mea ſcribere non potui, ſcribendum dictaui. Magirus cocus dixit, Veni huc euerſor domi, ſoluerſor fugitiue Porcelle, ego hodie tibi uitam adimo. Corocotta Porcellus dixit: Si qua feci, ſi qua peccaui: ſi qua uaſcula pedibus meis confregi, rogo domine coce, ueniam peto, roganti concede. Magirus cocus dixit: Tranſi puer, adfer mihi de culina cultrum, ut hunc Porcellum faciam cruentum. Porcellus comprehenditur à famulis, ductus ſub die XVI. Cal. Lucerninas, ubi habundant Cymæ, Clybanato & Piperato Coſſ. & ut uidit ſe moriturum eſſe, horæ ſpacium petijt, cocum rogauit, ut teſtamentum facere poſſet. Inclamauit ad ſe ſuos parentes, ut de cibarijs ſuis aliquid dimitteret eis. qui ait: Patri meo Verrino Lardino, do, lego, dari glandis modios*

modios XXX. & matri meæ Veturrinæ Scrofæ, do, lego, dari Laconicæ siliginis modios XL. & sorori meæ Quirinæ, in cuius uotum interesse non potui, do, lego, dari hordei modios XXX. & de meis uisceribus dabo, donabo, sutoribus setas, rixatoribus capitinas, surdis auriculas, causidicis & uerbosis linguam, bubularijs intestina, esiciarijs femora, mulieribus lumbulos, pueris ueficam, puellis caudam, cynædis musculos, cursoribus & uenatoribus talos, latronibus ungulas: & nec nominando coco do, lego, ac dimitto popam & pistillum, quæ mecum detuleram à querceto usq; ad haram: liget sibi collum de reste. Volo mihi fieri monumentũ ex literis aureis scriptũ. M. Grunnius Corocotta Porcellus uixit annos D CCCC XCVIIII S. quòd si semis uixisset, mille annos implesset. Optimi amatores mei, uel consules uitæ, rogo uos ut corpori meo benefaciatis, bene condiatis, de bonis condimentis nuclei, piperis & mellis, ut nomen meum in sempiternum nominetur. Mei domini, et consobrini mei, qui huic meo testamento interfuistis, iubete signari:

Lucanicus signauit,
Tergillus sign.
Nuptialicus sign.
Celsanus sign.
Lardio sign.
Offellicus sign.
Cymatus sign.

VII.

TESTAMENTVM Q. LAELII Tiburtini.

Inuentum Dianij, urbe Hiſpaniæ, refertur à Petro Appiano.

Vale coniunx, ualete nati, ualeat Tibur patria. Vltima Q. Lælij morientis decreta hæc ſunt, ut Tiburtinæ domus, ſuburbani fundi, & prædia maneant, mœnia tangentia. Tita Marcellina coniunx fida, Publius & Quintus filij dulciſſimi cohæredes ſint.

VIII.

TESTAMENTVM MIMI.

Patauij in Hortulo prope portã, ut uocant, Portelli.

Seioui Mimus rem reliquit, Liberei ſibei quærant. Tu Viator Vale. ad aquas.

LIBELLI IIII.

I.

LIBELLVS AELII HAdriani Imp.

Romæ in marmore apud Carolũ Aſtallum, legitur hic quàm in Epigrammatis Vrbis correctior.

AELIVS CAES. DVOBVS LIB. SAMIARI QVINTIANI SALVTEM.

Cùm petieritis à me, ut ſi cui quid ueſtrûm humanitùs acciderit, is in locum, qui eſt in fundo Aeſcinia no meo, intrantibus à uia parte læua à monimento Teſtacio per longitudin. pedum CLXXV. latitudin.

dim. à maceria introuersus pedum XXV. inferatur: id ius concedere me hac epistola, notum uobis facio. Bene ualere uos cupio. Data XIII. K. Iulias in hortis Statiliæ Maximæ, Ceionio Commodo & Ciuica Pompeiano Coss.

Samiaris Doryphorion.

II.

LIBELLVS VELII FIDI.

Romæ in regione S. Eustachij apud familiam Alberinam.

VELIVS FIDVS IVBENTIO CELSO COLLEGAE SVO SALVTEM.

Desideri frater, Arri Alphij, Arriæ Fadillæ Domini N. Imp. Antonini Aug. matris Liberti, libellũ tibi misi, cogniti mihi ex longo tempore primæ iubentutis, etiam miratus cum ab ædibus essem, quot eò loci se contulisset, à quo didici causas exequutionis, set & religionis, magnopere à Domino N. Imp. impetrasse ita, ne qua mora uideatur ei per nos fieri. Libellum subscriptum per eundem public. sine mora mihi remittas. Opto te saluom & felicem esse.

EXEMPLVM LIBELLI DATI.

Cuom ante hos dies coiugem & filium amiserim, & pressus necessitate, corpora eorum fictili sarcofago cõmendauerim, doniquom is locus quem emeram ædificaretur, uia Flaminia, inter miliar. II. & III.

euntibus ab Vrbe parte læua, custodia monumenti Flaui, tumulus ante solum Seli Orcili. Rogo Domine, permittas mihi in eodem loco, in marmoreo sarcofago, quem mihi modò comparaui, ea corpora colligere, ut quando & ego esse desiero, pariter cum eis ponar.

Decretum fieri placet.

Iubentius Celsus promagister subscripsi.

III Non. Nouembr.

Antio Pollione &
Opimiano Kos. ordinatis.

Seuero & Sabino Cos.

III.

LIBELLVS FL. VESPASIANI Aug.

Apud Canentem oppidum in Hispania, ex ærea tabula inter arandum inuenta, descriptus, & à Georgio Agricola philosopho & medico, mihi communicatus, antea non editus.

IMP. CAE. VESPASIANVS AVG. Pontifex Maximus, Tribunitiæ potestatis VIII. Imp. XIIX. Consul VIII. PP. Salutem dicit III. uiris & decurionibus Saborensium.

Cùm multis difficultatibus infirmitatem uestram premi indicetis, permitto uobis oppidum sub nomine meo, ut uoltis, in planum extruere, uectigalia quæ

à diuo

à diuo Aug. accepisse uos dicitis, custodio. Si qua noua addicere uoltis, detis. Procons. adire debebitis. Ego enim nullo respondente constituere nil possum. Decretum uestrum accepi VIII. K. August. Legatos dimisi IIII. K. easdem.

II. VIRI C. Cornelius Seuerus
& M. Septimus Seuerus
publico in ære inciderunt. Valete.

IIII.

LIBELLVS DECIMI SECVNDINI,
Ad Soteram Achaiæ urbem descriptus, à Cyriaco Anconitano, non impressus antea.

DECIM. SECVNDINVS V. C. PROcuratorr. & defenss. Cissensium, Salutem.

Vt memini, non repurgari modò aquæductum, uerumetiam induci aquas iusseram. Confestim igitur in ueteres cisternas, aqua ut semper currat, inducatur: gratias agente diui Aug. temporibus, & moderationi meæ Hesperio, quòd fundus qui aquam public. occupauit, publicus non fiscarum fieri possit, in cisternis ipsis lapideo titulo posito, ut nulla inuadendi publicum relinquatur occasio. Memores eritis perfecta hæc omnia, ante diem decimum Kal. Ian. uos ad officium nunciare debere. Opto bene ualeatis.

I.

FORMVLA CONTRACTVS.

Hæc formula ex membranis miræ uetustatis edita in Italia, ex bibliotheca Andreę Alciati Iurecõsulti.

Pascutius Culita, Pascutij Culitæ F. Sarnensis Sarcularius, cum Pignatia Nigella, quæ uiro suo nũc hic adest, & suo & Vxoris nomine, uendit Segnitio Funestillo, Acerrano uiatori, qui ipsus emit sibi, liberis, nepotibus, pronepotibusq; suis, cum omni posteritate, domunculam: Sita est Sarnensi in suburbio, secundum flumẽ. Tribules ac uicinos bonos habet, Pilutiũ, Rufillum, Cocleatiũ Surriponem, itemq; Lardatium Fabaronem. Proba est domuncula tota, proba contignatio, probus paries, tectum ipsum probè canteriatum adserulatumq;, quernis etiam scandulis Auerunconis fabri: proba cisterna, sine ullo saliculi uitio, aut latrinæ seruitute. fundamenta bene iacta, uolutabrum lutulentum, in quo uiciniæ totius sordes desideant. Arula ad solẽ meridianũ exposita, firmiterq; quaternata. VNCIOLAE TRES PRECIVM. *Tu Pascuti accepisse argentũ omne perpensum probè et enumeratum fateris. Tibe uerò Segniti ea domuncula solenni more est à Pascutio euincunda, ab ipsis etiam fundamentis tota, cum tecto, adseribus, canterijs, clauiculis, scalis, foribus, culinæ uolutabriq; decursibus, ab infimo solo ad usq; cœli subsellium, cũ ipso etiam cœlo, cumq; terræ imis atque perimis infernisq;. Sistes autem*

autem in omni foro & causa, festis profestisq;, fastis nefastisq; diebus, Segnitio ac Segnitij posteris. Pro quo præstãdo prædia suppellectilemq; suam, & cum ea basem, cosinum, riscum, ac rete triplumbatum obligatum obligat, seq; staturum in prætorio ad iudicem. Tu Pascuti fuste illũ inuestito. Tu Segniti fustem ipsum manu capito. Hæcce uti uera sunt, sciẽs uolensq;, suaq; sponte atq; ex conuento, utq; inter uiros bonos decet, uterq; agitis: meq; ut scribam rogatis, iureq; iurando cuncta hæc confirmatis. Testes adsunt de more adciti, rogatiq;, uiri utiq; probi,

Plotius Locusta Fesulanus
Casellio Albanus
Licida Albutius Fregellanus.

Hæcce sicce conuenere, hisce uerbis, hisce conditionibus acta & transacta sunt, hisce adsentiente uxore Pignatia, ut par est, uiros inter bonos bene agier.

Cal. Quintilib. Præt. Balbo
Bebius Porca.

LEGES II.

I.

LEX AEDIFICANTIVM.

Descripta à me Neapoli, ex marmore, quod possidebat doctiss. & elegantiss. uir Hadrianus Gulielmus. Hæc lex antea non fuit impressa, & eius prima pars adhuc desideratur.

Ab Colonia deducta anno XC. Neufidio N. F. M. Pullio Duouir. P. Rutilio, Cn. Mallio Cos. Operum lex II. Lex parieti faciendo in area, quæ est ante ædē Serapi trans uiam. Qui redemerit, prædes dato, prædiaq; subsignato Duumuirum arbitratu.

In area trans uiam paries, qui est propter uiam, in eo pariete medio ostiei lumen aperito, latum P. VI. altum P. VII. facito, ex eo pariete antas duas ad mare uorsum proicito, longas P. II. crassas P. I. Insuper id limen robustum, longum P. VIII. latum P. I. altum P. S. imponito. Insuper id & antas mutulos robustos & crassos S. altos P. I. proicito, extra pariete in utramque partem P. LV. Insuper simas pictas ferro officito. Insuper mutulos trabiculas abiegineas II. crassas quoque uersus. S. imponito, ferroq; figito inasserato, asseribus abiegineis sectilibus, crasseis quoque uersus: : disponito, ne plus S. operculaq; abiegina imponito ex trino pedario facito, ante pagmenta abiegnea lata S: z crassa ß. cumatiumq; imponito, ferroq; plano figito, portui aquæ tegito tegularum ordinibus seneis, quoq; uersus tegulas primores omnes in ante pagmento ferro figito, margineq; imponito, eisdem fores clatratas II. cum postibus æsculneis facito, statuito, occludito, picatóque, ita utei ad ædem Honoris facta sunt. eisdem maceria extrema. Paries qui est, eum parietem cum margine altum facito P. X. Eisdem ostium introitu in area quod

nunc

nunc est, & fenestras quæ in pariete, propter eam aream sunt, parietem obstruito. Et parieti qui nunc est propter uiam, marginem perpetuom imponito, cosq; parietes margines q; omnes, quæ lita non erunt calce harenato, lita politaq; & calce uda dealbata recte facito. Quod opus structile fiet in terra, calcis restinctæ partem quartam indito, niue maiorem cæmenta struito, quàm quæ cæmenta arda pendat P. XV. neu angolaria altiorem: : ꝑ facito, locumq; purum pro eo opere reddito. Eidem sacella, aras, signaq; quæ in campo sunt, quæ demonstrata erunt, ea omnia tollito, deferto, componito, statuitoq;, ubei locus demonstratus erit, Duumuirûm arbitratu.

Hoc opus omne facito arbitratu Duouir. & duouiratium, qui in consilio esse solent Puteolcis, dum ni minus uiginti adsient, cùm ea res consuletur: Quod eorum uiginti iurati probauerint, probum esto. quod iei improbarint, improbum esto.

Dies operis K. Nouemb. primeis, dies pequn. pars dimidia dabitur, ubei prædia sunt, subsignata erunt. Altera pars dimidia soluetur opere effecto, probatoq;. C. Blosius Q. F. HS ∞ Đ idem præs.

Q. Fuficius Q. F.
Cn. Tetteius Q. F.
C. Granius C. F.
T. Craßicius.

In altera marmoris parte literis grandioribus.

M. Auianius M. F. Coniunctus II.uir.iter texit, & tectum S.P.

II.

LEX DEDICATAE ARAE.

Inuenta Salonæ in Dalmatia, in Romanis antiquitatibus mutila, in Ingolstadianis deprauata, ita ut hic legitur descripta ex itinerario Cyriaci Anconitani.

C. Domitius Valens II. uir, præeunte C. Iulio Seuero Pontif. legem dixit in ea uerba, quæ infrà scripta sunt.

Iupiter optime maxime, quandoq; hodie tibi hanc aram dabo, dedicaboq;, ollis legibus, ollisq; regionibus dabo, dedicabo, quas hic hodie palàm dixero. Vti infimum solum huius aræ est, si quis hic hostia sacrum faxit, quod in augmentum ne protollat, itcirco tamen probè factum esto. Cæteræ leges huic Aræ eædem sonto, quæ Aræ Dianæ sonto, in monte Auentino dicatæ. Hisce legibus, hisce regionibus, sicuti dixi, hãc tibi aram Iupiter optime maxime dico dedicoq;, uti sis uolens, propitius mihi, collegisq; meis decurionibus, colonis, incolis, coloniæ Martiæ Iuliæ Salonæ, coniugibus liberisq; nostris.

Instrumenta

INSTRVMENTA II.

I.

INSTRVMENTVM TERMINORUM inter Genuenses & Viturios.

Ex tabula ænea ad Apēnini radices in Liguria effossa in ualle, quę uulgo Porcifera dicitur, An. M. D. VII. mense Februario. Tabula ipsa longa palmos duos, & paulò amplius, lata sesquipalmum. Literæ Romanæ antiquissimæ minutulæ. Tabula Genuæ pendet de tholo templi maioris.

Q. M Minucieis Q. F. Rufeis de controuersieis inter Genuateis et Veiturios in re præsente cognouerunt, & coram inter eos controuersias composeiuerunt: & qua lege agrum possiderent, & qua fineis fierent, dixerũt: eos fineis facere, terminosq; statui iousserunt. Vbei ea facta essent, Romã corã uenire iousserunt, Romæ coram sententiam ex senaticonsulto dixerunt Eidib. Decemb. L Caicilio Q. F. Q. Muutio Q. F. Coss. Qua ager priuatus castelli Veituriorum est. quem agrum eos uendere, hæredemq; sequi licet, is ager uectigal nei siet. Lagãtiũ fineis agri priuati ab riuo infimo, qui oritur ab Fontei in Manicelo ad Flouium ædem, ibei terminus stat. Inde Flouio suso uorsum in Flouium Lemurim: inde Flouio Lemuri susum usque ad Riuom Comberane: inde Riuo Comberanea susum usque ad conuallem Cæptiemam: ibei termini duo stant circum uiam Postumiam. Ex eis terminis

recta

recta regione in riuo Vendupale: ex riuo Vendupale in Flouium Neuiascam: inde dorsum Flouio Neuiasca in Flouium Procoberam: inde Flouio Procobera deorsum usq; ad riuom Vinelascam infumum, ibei terminus stat. Inde surſum riuo recto Vinelasca, ibei terminus stat propter uiam Postumiam: inde alter trans uiam Postumiã terminus stat: ex eo termino, quei stat trans uiam Postumiam recta regione in fontem in Manicelum. Inde deorsum riuo, quei oritur ab fonte in Manicelo ad Terminum, quei stat ad Flouium ædem agri poplici. Quod Langenses possident, hisce finis uidentur esse, ubi confluont Edus & Procobera, ibei terminus stat. Inde Flouio surſuorsum in montem Lemurino infumo, ibei terminus stat: inde surſum uorsum iugo recto, mõte Lemurino, ibei terminus stat. Inde susum iugo recto Lemurino, ibei terminus stat in mõte Procauo. Inde susum iugo recto in montem Lemurinum summum, ibei terminus stat. Inde surſum iugo recto in Castellum, quei uocitatus Aelianus, ibei terminus stat. Inde surſum iugo recto in montẽ Louentionẽ terminus stat. Inde surſum iugo recto in montem Apenninũ, qui uocatur Boplo, ibei terminus stat. Inde Apennino iugo recto in montem Tuledonem, ibei terminus stat. Inde deorsum iugo recto in Flouium Veraglascã, in montẽ Birigiemam infumo, ibei terminus stat. Inde surſum iugo recto in montẽ Preuicũ, ibei terminus stat. Inde dorsum iugo

recto

recto in Flouium Tulelascam, ibei terminus stat. Inde
surſum iugo recto Bluſtiemelo, in montem Claxelum,
ibei terminus stat. Inde deorſum in fontem Libriemelum, ibei terminus stat. Inde recto riuo Eniſeca in
Flouiom Procoberam, ibei terminus stat. Inde deorſum in Flouiom Procoberam, ubei confluont Flouí
Edus & Procobera, ibei terminus stat. Quem agrum
poplicum iudicamus esse. Eum agrum Castellanos,
Langenses, Veiturios poßidere, fruiq; uidetur oportere. Pro eo agro uectigal Langẽses Veituris in popli
cũ Genuã dent in annos singulos ↄ ✠ C N.CCCC.
Sei Langenses eam pecuniam non dabunt, neq; satisfacient arbitratuu Genuatium: quod per Genuenses
mora non fiat, quo secius eam pecuniam accipiant:
tum quod in eo agro natum erit frumenti, partem uicensumam, uini partem sextam Langenses in poplicum Genuam dare debento in annos singulos. Quei
intra eos fines agrum poßidet Genuas, aut Viturius,
quei eorum poßedeit, K. Sextil. L. Caicilio, Q. Muutio Coss. eos ita poßidere colereq; liceat: eis qui poßidebunt, uectigal Langenßibus pro portione dent,
ita uti cæteri Langẽses, qui eorum in eo agro agrum
poßidebunt, fruenturq;. Præterea in eo agro, ni quis
poßideto, nisi de maiore parte Langenßium Veituriorum sententia, dum ne alium intromittat, nisi Genuatem aut Veiturium colendi causa. Quei eorum
de maiore parte Langenßium Veiturium sententia

ita non

ita non parebit: is eum agrum nei habeto, niúe fruimino, quei ager compascuos erit. In eo agro quo minus pecuascere Genuates Veiturioscq; liceat, ita utei in cætero agro Genuati compascuo, ni quis prohibeto, niúe quis uim facito: neiúe prohibeto, quo minus ex eo agro ligna materiamq; sumant, utanturq;. Vectigal anni primi K. Ianuarijs secundis Veturis Langenses in poplicum Genuam dare debẽto. Quod ante K. Ianuar. primas, Lãgenses fructi sunt, eruntq;, ue ctigal inuitei dare nei debento. Prata quæ fuerunt proxuma Fænisicei, L. Caicilio, Q. Muutio Coß. in agro poplico, quem Veiturios Langenses poßident, & quem Odiates, & quem Dectunines, & quem Cauaturineis, & quem Mentouines poßident, ea prata inuitis Langensibus & Odiatibus & Dectuninebijs & Cauaturines, & Mentouines, quem quisq; eorum agrum poßidebit, inuitis eis ni quis sicet, niúe pascat, niúe fruatur. Sei Langenses, aut Odiates, aut Dectunines, aut Cauaturines, aut Mentouines mallent in eo agro alia prata immittere, defendere, sicare, id uti facere liceat, dum ne ampliorem modum pratorum habeãt, quàm proxuma æstate habuerunt, fructiq; sunt. Veturies, qui cõtrouersias Genuensium ob iniurias iudicati aut damnati sunt. Sei quis in uinculis ob eas res est, eos omneis soluei, mittei, leiberiq; Genuenses uidetur oportere ante Eidus Sextilis primas. Sei quoi de ea re iniquom uidebitur esse, ad nos adeant

primo

primo quoq; die, & ab omnibus controuersieis & bono publ. L. Leg. Moco Metecanio Meticoni F. Plau cus Peliani Pelioni F.

II.

INSTRVMENTVM TERMINO-rum inter Fouencularios & Ansurios.

Inuentum Romæ extra portam Collinam in uia Salaria.

Imp. Cæsar M. Aurelius Antoninus Aug. Germ. Sarm. hos lapides constituit, propter controuersias quæ inter mercatores & mancipes ortæ erant, uti finem demonstrarent uectigali Fouencularij & Ansurij promercalium, secundum ueterem legem semel duntaxat exigendo.

DECRETA XXI.

I.

DECRETVM SENATVS ET Pop. Ro. contra Iulium Cæsarem.

Ad Rubiconem fluuium inter Rauennam & Ariminum positum, refertur à Petro Crinito, & à Riuallio, sed ab hoc non satis emendatè.

IVSSV MANDATVVE P. R.

Cos. Imp. Trib. miles, tiro, commilito, armate quisquis es, manipularie, centurio, turmarie, legionarie, hic sistito, uexillum finito, arma deponito: nec citra hunc amnem Rubiconem signa, ductum exercitum, commeatumúe traducito. Si quis huiusce

huiusce iussionis ergo aduersus præcepta ierit, fecerit ue, adiudicatus esto hostis P.R. ac si contra patriam arma tulerit, penatesq; sacris penetralibus asportauerit. S.P.Q.R.

Sanctio plebisciti, S.ue Consulti.

Vltra hos fines arma ac signa proferre liceat nemini.

II.

DECRETVM IVL. CAESARIS.

De M. Tullio Cicerone, inuentum Viterbij.

C. IVLIVS CAESAR.

M. Tullium Ciceronem ob egregias eius uirtutes, singulares animi dotes, per totum orbem nostris armis uirtuteq; perdomitum, saluum et incolumem esse iubemus. C. Iabolenus.

IIII.

DECRETVM S. P. Q. R. NON integrum.

In tabula ænea Romæ in Cælio apud S. Ioannem Lateranum uidetur hæc altera pars tabulæ esse, priore amissa.

Fœdus ue cum quibus uolet, facere liceat, ita uti licuit Diuo Aug. Ti. Iulio Cæsari Augusto. Tiberioq; Claudio Cæsari Aug. Germanico.

Vtiq; ei Senatum habere, relationem facere, remittere

mittere senatusconsulta per relationem, discessionemq; facere liceat, ita uti licuit Diuo Aug. Ti. Iulio Cæsari Aug. Ti. Claudio Cæsari Augusto Germanico.

Vtiq; cùm ex uoluntate auctoritate úe, iussu mandatu úe eius, præsenteúe eo Senatus habebitur, omnium rerum ius perinde habeatur, seruetur, ac si è lege Senatus edictus esset, haberetúrq;.

Vtiq; quos magistratum, potestatem, imperium, curationemúe cuius rei petentes Senatui populoq; Romano commendauerit, quibusúe suffragationem suam dederit, promiserit, eorum comitijs quibusque extra ordinem ratio habeatur.

Vtiq; ei fines pomerij proferre, promouere, cum ex republica censebit esse, liceat, ita uti licuit Ti. Claudio Cæsari Aug. Germanico.

Vtiq; quæcunque ex usu Reip. maiestate diuinarum, humanarum, publicarum, priuatarumq; rerum esse censebit, ei agere facere ius potestasq; sit, ita uti Diuo Aug. Tiberioq;, Iulio Cæsari Aug. Tiberioq; Claudio Cæsari Aug. Germanico fuit.

Vtiq; quibus legibus plebeúe scitis scriptum fuit, ne Diuus Aug. Tiberiusq; Iulius Cæsar Aug. Tiberiusq; Claudius Cæsar Aug. Germanicus tenerentur, ijs legibus plebisq; scitis Imp. Cæsar Vespasianus solutus sit, quæq; ex quaq; lege, rogatione Diuum Aug. Tiberiumúe Iulium Cæsarem Aug. Tiberiumúe Clau-

dium Cæsarem Aug. Germanicum facere oportuit, ea omnia Imp. Cæsari Vespasiano Augusto facere liceat.

Vtiq; quæ ante hanc legem rogatam acta, gesta, decreta, imperata ab Imperatore Cæsare Vespasiano Aug. iussu mandatuúe eius à quoque sunt, ea perinde iusta ratáq; sint, ac si populi plebisúe iussu acta essent.

Sanctio,

Si quis huiusce legis ergò aduersus leges, rogationes, plebisúe scita, senatusúe consulta fecit, fecerit, siue quod eum ex lege, rogatione, plebisúe scito, S. úe C. facere oportebit, non fecerit, huius legis ergò, id ei ne fraudi esto, neúe quit ob eum rem populo dare debeto: neúe cui ea de re actio, neúe iudicatio esto: neúe quis ea re apud aliquem agi sinito.

IIII.

DECRETVM PRAEFECTI Vrbis.

In tabula marmorea Romæ, in horto cuiusdam Cardinalis apud S. Apostolos.

EX AVCTORITATE TVRCI APRONIANI V.C. PRAEF. VRBIS.

Ratio docuit utilitate suadente, consuetudine micandi summota, sub Exagio potius pecora uendere, quàm

quàm digitis conludentibus tradere, ut adpenso pecore, capite, pedibus, & seuo lactante & subgulari lanio cedentibus, reliqua caro cum pelle & interaneis proficiat uenditori, sub conspectu publico, fide, ponderis comprobata, ut quãtum caro occisi pecoris adpendat, & emptor norit, & uenditor commodis omnibus, et præda damnata, quam Tribunus, Officium, Cancellarius & Scriba de pecuarijs capere consueuerant. quæ forma interdicti & dispositionis sub gladij periculo, perpetuò custodienda mandatur.

V.

DECRETVM DVVMVIRVM.

Descriptum à me Florentię apud portam D. Pauli ex lapide antiquo. In urbis epigrammatis planè deprauatum est.

TI. CAESARE TERT. GERMAnico Cæsare iter. Cos. CN.

ACCEIO Cn. F. Arn. Rufo Lutatio
T. Petillio P. F. Qui II uir.

Aediculam & statuas has hostiam dedicationi uictimæ natali Augusti. VIII. K. Octobr. Duæ quæ P. P. immolari adsuetæ sunt ad aram quæ numini Augusto dedic. est VIIII & VIIIK. Octobr. immolentur. Item natali Ti. Cæsaris perpetuè acturi Decuriones & Populus cenarent, quam impensam Q. Cascellio Labeone in perpetuo pollicenti, ut

gratiæ agerentur munificentiæ eius, eoq; natali ut quotannis uitulus immolaretur.

Et ut natalib. Augusti & Ti. Cæsarum, priusquam ad uescendum Decuriones irent, thure & uino Genij eorum ad epulandum ara numinis Augusti inuitarentur.

Aram numini Augusto pecunia nostra faciendam curauimus, ludos ex Idibus Augustis diebus Sex P.N. faciendos curauimus.

Natali Augustæ mulsum & crustulum mulieribus uicanis, ad Bonam Deam pecunia nostra dedimus.

Item dedicatione statuarum Cæsarum & Augustæ mulsum & crustula pecunia nostra Decurionibus & populo dedimus, perpetuoq; eius die dedicationis daturos nos testati sumus, quem diem quo frequentior quotannis sit, seruabimus VI. Idus Martias, qua die Ti. Cæsar Pontif. Maximus felicissimè est creatus.

VI.

DECRETVM HIPSANII.

Tergeste extare dicitur in Istria, in muro oppidi, ante ędem S. Laurentij.

KL. NOVEMBR.

HIPSANIVS LENTVLVS NEPOS
IIVIR

IIVIR. IVR. DIC. VF.

Fab. Seuerum clarißimum uirum, multa iampridem in remp. N. beneficia contuliſſe, ut qui à prima ſua ſtatim ætate id egerit, uti in tuenda patria ſua, & dignitate & eloquentia creſceret. nam ita multas & magnificas cauſas publ. aput optimũ principem Antoninum Aug. Pium adſeruiſſe, egiſſe, uiciſſe, ſine ullo quidem ærarij noſtri impendio: ut quãuis admodum adoleſcens, ſenilibus tamen & perfectis operibus ac factis patriam ſuam, noſq; inſuper ſibi uniuerſos obſtrinxerit. Nunc uerò tam grandi beneficio, tam ſaluberi ingenio, tam perpetua utilitate R. P. N. adfeciſſe, ut omnia præcedentia facta ſua, quanquam immenſa & eximia ſint, facilè ſuperarit. nam in hoc quoque mirabilem eſſe C. V. uirtutem, quod cotidie benefaciendo, & in patria ſua tuenda, ipſe ſe uincat. Idcirco quamuis pro menſura beneficiorum eius, impares in referenda gratia ſimus: interim tamen pro tempore uel facultate, ut adiuuet, ſæpe facturus idem, uenerandam eſſe C. V. beniuolentiam, non ut illum proniorem habeamus (aliut enim uir ita natus non poteſt facere) ſed ut nos iudicantibus gratos præbeamus, & dignos tali decore, taliq; præſidio.

OQ. F. P. D. E. R. I. C. primo cenſente Calfurnio certo ſpacio.

Cùm Fab. Seuerus uir ampliſſimus adq; clariſſimus, tanta pietate, tantaq; affectione R. P. N. amplexus

sit, itaq; pro minimis maximisq; commodis pius excubitor, eius omnem præstantiam auxerit, ut manifestum sit id eum agere, ut non modò nobis, sed proximis quoque ciuitatibus declaratum uelit esse, si non aliquam patriæ suæ gratiam, & ciuilia studia, quæ in eo, quamuis admodum iuuene, iam sint peracta adque perfecta, ac senatoriam dignitatem hac maximè ex causa concupiuisse, uti patriam suam cùm ornatam, tum ab omnibus iniurijs tutam defensamq; seruaret, interim aput iudices à Cæsare datos, interim aput ipsum Imperatorem, causis publ. patrocinando, quas cùm iustitia diuini principis, tum sua eximia ac prudentissima oratione, semper nos cum uictoria firmiores remisit. Ex proximo uerò, ut manifestatur carminibus literisq; Antonini Aug. Pij, tam feliciter desiderium publicum aput eum sit prosecutus, impetrando uti CARNI CATARIQVE attributi à Diuo Augusto Pio R. P. N. prout qui meruissent talia, absq; censu per Aedilitatis gradum in curiam nostram admitterentur, ac per hoc ciuitatem Romanam adipiscerentur, & ærarium nostrum ditatum iam compleuit, & uniuersam R. P. N. cum eo mœnijs ampliauit, admittendo ad honorum communionem & usurpationem Romanæ ciuitatis, optimum & locupletissimum quenque: ut scilicet, qui olim erant tantum in reditu pecuniario, nunc & in illo ipso duplici quidem per honorarij nu-

rij numerationem reperiantur: ut & ipsi sint, cũ quibus munera decurionatus, ut paucis iam onerosa, honestè de plano compartiamur. Ad cuius quidem gratiam habendam, ut in secula permansuram eiusmodi beneficio oportuerat quidem, si fieri posset. Ac si uerecundia C.V. permitteret, uniuersos nos nobilium ire, & gratias legitimas L L. iuxta optimum principem agere. Sed quoniam certum est nobis, onerosum ei futurum tale nostrum officium: illud certè proximè fieri opportunè, triumpho, statuam ei auratam equestrem, primo quoque tempore, in celeberrima nostræ urbis parte poni, & in basi eius hanc nostram consensionem, atque hoc decretum inscribi, uti ad posteros nostros, tam uoluntas amplissimi uiri, quàm facta permaneant: petiq; à Fabio uiro egregio, patre Seueri, ut quandoquidem commentum hoc & ipsius sit prouidentiæ, qua R. P. N. infatigabili cura gubernat, & in hoc prius publici beneficij, quo & nobis & Imperio ciuem procreauit, adque formauit, cuius opera studioq; ornatiores & tutiores indies nos magis magisq; sentiamus: uti ea placuisse in hanc rem aditum suum legari mandariq; permittat, uti gratias publicè C. V. mandatu nostro agat, & gaudium uniuersorum singulorumq; ac uoluntatem, ut magister talium rerum, in noticiam eius perferat. Censuerunt.

VII.

DECRETVM DVVMVIRVM.

Descriptum à me Neapoli apud Hadrianum Gulielmum, ex Antiquitatibus Ioan. Pontani.

L. ANNIO L. F. COL. MODESTO HON. EQVO PVBL.

K. IVN.

In curia basilicæ Augustinianæ scribundo adfuer. T. Oppius Seuerus, Vigetius Liberalis, Iulius Capretanus, Granius Longinus. Quod C. Ausidius Trasea, T. Claudius Quadrimus II uiri. V. R. de confirmanda auctoritate, memoria honorand. statuaq; ponenda ANNIO MODESTO, *Anni Numisiani ornati uiri filio. Q. D. E. R. P. F. D. E. R. L. C.*

Cum Annius Numisianus V. C. ad singulorum testimon. pertin. qua probitate morum, qua quiete uitæ, quod unicum in dolore præsidium est, meruerat adfectuum nostrorum consolationem, adq; candorem ordinis nostri, bonum ciuem piumq; patrem, in tam graui fortunæ iniuria, qua potest dignatione, auocare à tristitia. Placere huic ordini auctoritatem, in eam rem ante hanc diem factam, confirmari: permittiq; Annio Adiecto lib. eius statuam ponere Annio Modesto, loco adsignato à II uiris nostris, quo testatior sit erga eum affectus reip. nostræ. Conlaudamus, quod in uita præstiterit, Censuer.

Adiectus lib. L. D D D.

DECRE-

VIII.

DECRETVM SEN. ET IMPP.

Romæ in regione Harenulę, ex Epigr. urbis.

KALEN. IVN.

Anitio Paulino Iun. C. V. Procoſ. Aſiæ & Helleſponti, Conſuli ordinario, præf. urbi, uice ſacra iudicanti, ob meritum nobilitatis, eloquij, iuſticiæ, atque cenſuræ, quibus priuatim ac publicè clarus eſt, petitu populi Ro. *teſtimonio ſenatus, iudicio* DD. NN. *Triumphatorum Augg. Cæſarumq; florentium, ſtatuam ſecundam auro ſuperfuſam locari* S. P. P.

IX.

DECRETVM POP. ROMANI.

Romæ in domo Cardinalis Vallæ ad circum Flaminium, hactenus non impreſſum.

Flauio Stiliconi clariſſimo uiro, bis conſuli ordinario, magiſtro utriuſq; militiæ, Comiti domeſticorum, & ſtabuli ſacri, adq; ab ineunte ætate per gradus clariſſimæ militiæ, ad columen regiæ adfinitatis euecto, ſocio bellorum omnium & uictoriarum, adfini etiam diui THEODOSI *Auguſti, itemq; ſocero Domini noſtri* HONORI *Auguſti, populus Romanus, pro ſingulari eius circa ſe amore, adq; prouidentia, ſtatuam ex ære argento q;, poſteris ad memoriam ſempiternam ponendam decreuit.*

X.

DECRETVM SVESSANVM.

Descriptum à me Suessæ in Campania, è marmore cuidam parieti incluso, antea non excusum.

L. Mamiliano Licimiano V. C. filio Mamiliani Liuiani V. P. ex Correct. nepoti Mamiliani Crispini, ex com. pronepoti, Mamiliani Maximi V. P. communi ab origine patrono, omnibus honoribus muneribusq; innocenter in patria sua functo, cumulante dignitate originis suæ, nunc oblato fidem decreto amore & beneficijs deuincti, ordo populusq; Suessanus statuam ad perenne testimonium ponendam censuerunt. L. D D D.

XI.

ALIVD.

In eadem urbe apud portam S. Dominici, editum ab Appiano.

C. Tetio Chresimo Aug. Lib. huic ordo decurionum quod pro salute & indulgentia Imp. Antonini Pij Felicis Aug. & ex uoluntate populi munus familiæ gladiatoriæ ex pecunia sua, diem priuatũ secundũ dignitatẽ coloniæ ediderit, honorẽ bis illi, quem quis optimo exẽplo in Colonia Suessa habuit, & ut aquæ ductus in domo eius flueret, cõmodisq; publicis, ac si Decurio, frueretur, & Tetio Chresimo filio eius, ob merita patris honorẽ Decurionatus gratuitũ, decreuit ordo decurionũ, et Augustaliũ, et plebs uniuersa.

DECRE-

XII.

DECRETVM TIBVRTINVM.

Tiburi legitur ante templum S. Pauli, ponitur inter Epigr. Vrbis.

C. Popilio C. F. Quir. Caro Cedoni Cos. VII uiro Epulon. sodali Hadrianali, Legato Imp. Cæsaris Antonini Aug. Pij Propr. Germaniæ super. & exercitus in ea tendentis, curatori oper. publicor. Præf. ærari Satur. Curatori uiar. Aureliæ ueteris & nouæ, Corneliæ & Triumphalis, Legato legionis x Fretensis. à cuius cura se excusauit, Prætor. Tribuno plebis Q. Diui Hadriani Aug. in omnibus honoribus candidato, Imperator Trib. Laticlauio leg. III. Cyreneicæ, donato donis militaribus à Diuo Hadriano ob Iudaicam expeditionem, Xuiro Stlitibus iudicandis, patrono municipi Curatori maximi exēpli Senatus P. Q. Tiburs optimè de Republica merito D.

XIII.

DECRETVM NEAPOLITANVM.

Descriptum à me in agro Neapolitano, in uilla Bernardi Martirani, quæ Petra alba dicitur, antea non impressum.

L. Munatio Concessiano V. P. patrono coloniæ, pro meritis eius erga ciues, munifica largitate olim honorem deuitum Præstantissimo uiro præsens tempus exegit, quo etiã MVNATI Concessiani fili sui Demarchia comulatiore sumptu, liberalitatis abundantia,

dantia, uniuersis exibuit ciuibus, ob quæ testimonia amoris sincerissimi REG. primaria splendidissima HERCVLANENSIVM patrono mirabili Statuam ponendam decreuit.

XIIII.

DECRETVM ROMANVM.

Inter pontes Cestium & Fabricium, in domo quadam, refertur in Epigra. Vrbis.

Ragonio Vincentio Celso V.C. à primo ætatis introitu, in actu publico, fideli exercitatione uersato, cuius primæuitas officio ædilitatis, urbanæ aduocationis exercita, fidem iuncxit ingenio, prudētiæ miscuit libertatem: ita ut nemo de eius industria, nisi ille contra quem susceperat, formidaret. Cuius accessus ætatis amplissimi honoris, & qui solet senioribus prouenire, ornamenta promeruit. Nam rexit annonariam potestatem VRBIS AETERNAE ea æquitate, ut inter omnes qui ad eum animo litigantis intrassent, parentem se plerunq; magis his, quàm iudicem præbuisset. Hinc etiam factum est, ut Mensores nos Portuenses, quibus uetus fuit cū Caudacarijs diuturnumq; luctamē, uoti compotes abiremus, ut utrumq; corpus & beneficio se & uictoria gratularetur affectum. Notum ut hoc esset iudicio publ. iam posito magistratu, statuam patrono præstantissimo testimoniū gratulationis exsoluimus. Dedicata VIII. Cal. Sept. Fl. Timasio & Fl. Promoto V V. C C. Coss.

DECRE-

XV.

DECRETVM LVGDVNENSE.

In Lugduni urbis antiquitatib. refert Symphorianus, legitur autem in æde S. Irenæi.

Q. Tullio Seuerino Sequano omnibus honoribus inter suos funct. patrono splendidissimi corporis N. Rhodanic. & Arar. Cui ob innocent. morum ordo ciuitatis suæ bis statuas decreuit, Inquisitori Galliarum tres prouinciæ Gall.

XVI.

DECRETVM ROMANVM.

In Messana Siciliæ ciuitate inuentum, refertur In Petri Appiani antiquitatibus.

S. P. Q. R.

Appio Claudio, Q. Fabio Cos. altero, Messanam Siciliæ ciuitatem, classe præfecto referante, percepit Hieronem Syracusanorũ regem, Pœnorumq; copias Hieroni coniunctas, tam celeriter superatas, ut Ap. Claudium Cos. ad hanc rem gerendam, potius ciuitas suæ uirtutis admiratorem, quàm belli susciperet adiutorem. Nam Rex Pœniq; urbis non tam multitudine, quàm animosa nobilitate propulsi, uictoribus se dedidere congressis. Qui ante consulis aduentum, ultra Leontinum profugi, pacem exposcentes, Romanorum gloria, Messanensium nobilitate, propriaq; multa, C C talenta ærario soluenda supplices impetrarunt. Ob quod statuit urbem ipsam titulo nobilitatis extolli,

tis extolli, alijsq; prouinciæ ciuitatibus sacerdotes dare, eiusq; ciues Romanorum honore, & Siciliæ caput illic fungi potestate Romana, lapides eius à Leontino usq; ad Phædas extendi. nam id spacium, cæteris deficientibus, Romanæ ditioni seruauit. Chirographum hoc factis Romanis adiunctum, laudem ciuitatis ostentans adscribi, Romanamq; gratitudinem merito respondere. Adprobatum est hoc decretum patrum, à Cn. Calatino Pl. tribuno, post V. C. anno quadringentesimo octuagesimo tertio, Rempublicam primo bello Punico conturbante.

DECRETVM XVII.

Eodem in loco repertum.

S. P. Q. R.

Seruio Fuluio Flacco, P. Calpurnio Pisone Cos. urbem Messanam prouinciæ Siciliæ, tributis cuiuslibet uectigalis, fixi mobilisq; pondere per omnia secula liberauit. Quia dum Siciliæ graue formidabileq; bellum seruile multitudine conspiratorum, instructu copiarum potentiæq; magnitudine subiugasset: quod prius Romanos prætores dispersérat, consules quoq; terruerat, seruos Messana sagaciter habitos, pace maturè frenatos: quin uno P. Calpurnio consule designando, lucem Siculis, Romano po. stimulos addidit, & à se futurum compar abstulit nocumẽtum. Vtq; se à uili seruitute eripiens, preciosa libertate gauderet, ex hoc etiã præsens chirographũ factis Romanis adiunctum,

iunctum, laudem ciuitatis ostentans, decreuit ascribi, ut gratiã meritis Romana circumspectio coæquaret.

Adprobatum est præsens patrum decretum ab Octauio pl. tribuno, post V. C. anno sexingentesimo uigesimo, Rempublicam bello seruili turbante.

XVIII.

DECRETVM HISTONIEN.

Repertum in Apulia: refertur à Lilio Giraldo.

L. Valerio L. F. Prudẽtio. Hic cùm esset ann. XIII. Romæ certamine sacro, lustro sexto, claritate ingenij coronatus est inter poetas Latinos, omnibus sentẽtijs Iudicum. Huic plebs uniuersa municipum Histonien-sium ære collato, statuam decreuit, curatorib. P.

XIX.

DECRETVM INTERAMNATIVM.

Ex Epigr. Vrb.

T. Flauio T. F. Clu. Isidoro Eq. Rom. patri duorum Eq. Pub. omnibus honoribus honestè functo Quinq. II. Auguri Sacer. Pont. Præf. sacror. patrono municip. Interamnat. Narn. Casuentinorum, Vindenatium. V. B. & quidquid in egregium hominem laudis dici potest, in hoc sit beneficio naturæ conlatum: Possessores Inquilini negotiantes uiæ stratæ, cultores Herculis Karissimo. L. D. D. D.

DECRE-

XX.

DECRETVM ASCVLANORVM.

Romæ, in domo Cæsia: in Antiq. Vrb. admodum deprauatum.

C. Sallio Aristæneto. C. V. Septemuiro Epulonum, sodali Augustali, Iuridico per Picenum & Apuliam, Curatori uiarum Aureliæ, Corneliæ, Triumphalis, Prætori & Tutelario Quæstori designato, & eodem anno ad Edilitatem promoto, Xuiro Stlitibus iudicandis, oratori Maximo, Decuriones & plebs Coloniæ Asculanorum propter humanitatem, abstinentiam, efficaciam. Curantibus A. Firilo Prisolano & Tetieno Proculo.

XXI.

DECRETVM CAENINENSIVM.

Bergomi in templo S. Alexandri, refertur in Antiquitatib. Appiani.

P. Mario Vot. Luperciano Eq. R. Eq. Pub. omn. honor. Municipal. adept. iudici. de Select. Sacerd. Cæninen. coll. Fabr. Cens. Dand. M. B. Patron. cuius eximia liberalitas post multas largitiones hucusque enituit, ut Lucar. IIIII næ redemptum à Rep. sua uniuersis ciuibus suis in perpetuum remitteret. Huius tot & tam ingentia merita ita remuneranda censuerũt, ut effigiem IIIIv. perpetua ueneratione celebrarẽt L. D. D. D.

ELO-

ELOGIA XIII.

I.

L. METELLI.

Vbi inuentum, ignoratur.

S. P. Q. R.

L. Metel. Pont. II. Cos. Dict. Mag. Eq. XV uir. agendand. qui primus elephantos primo Punico bello duxit in triumpho. Primarius bellator, optumus orator, fortißimus Imperator. Auſpicio ſuo maximas res geßit, maximo uſus honore, ſumma ſapientia, Max. S. N. partã ex æquo pecuniam Mag. Sing. L. reliquit. Clariſſimus in ciuitate fuit: tributum ei, ut quoties in Senatum iret, curru ueheretur ad curiam, quod à condito æuo nulli alij contigit.

II.

P. AEMILII.

Etiam ignoratur locus.

P. Aemilius Imp. Macedoniam terrarum imperio potitam cepit, cuius uno die LXXII. urbes subegit. etiam Indiæ uictor, per ueſtigia Liberi patris atque Herculis, Romana ſigna circumtulit.

III.

PORTII CATONIS.

Inuentum Dianij, in Hiſpania.

Hìc hoſtium relliquias profligauit Cato, Vbi & ſa

cellum miro artificio conditum, & æream Palladis effigiem reliquit. Pareant ergo & noscant omnes, senatus & Po. Romani imperium, Deorum numine, & militum fortitudine, & tueri & regi.

IIII.

Q. FABII MAXIMI.

Inuentum Aretij, editum in Epigr. Vrbis.

Q. Fab. Maximus Dictator bis, Consul v. Censor, Interrex II. Aed. Cur. Q. II. Trib. Militum, Pontifex, Augur. Primo Consulatu Ligures subegit, ex ieis triumphauit. Tertio & quarto Hannibalem complu ribus uictorijs ferocem subsequendo coercuit. Dictator Magistro Equitum Minucio, quoius populus imperium cum Dictatoris imperio adæquauerat, exercitui profligato subuenit, & eo nomine ab exercitu Minuciano pater appellatus est. Consul quintum Tarentum cepit. triumphauit. Dux ætatis suæ cautissimus, et rei militaris peritissimus habitus est, princeps in senatum duobus lustris lectus est.

V.

C. MARII.

Romæ, iuxta trophæa Marij in Esquilino.

Caius Marius Cos. VII. Pr. Tribunus Pl. Q. Augur, Tribunus Mil. extra sortem bellum cum Iugurta rege Numidiæ Procos. gessit. Eum cepit, & triumphans

phans in Iouis ædem secundo consulatu ante currum suum duci iussit. Tertium Cos. absens creatus est. IIII. Cos. Teutonorum deleuit exercitum. V. Cos. Cimbros fudit, ex ieis & Teutonis iterum triumphauit. Rempublicam turbatam seditionibus Tr. pl. & Prætor. qui armati Capitolium occupauerant, VI. Cos. uindicauit. Post LXX. annum patria per arma ciuilia pulsus, armis restitutus, VII. Cos. factus est. De manubijs Cimbricis & Teutonicis ædem Honori & Virtuti ut Rector fecit. ueste triumphali, calceis puniceis.

VI.

CN. POMPEII.

Romæ in templo Mineruæ prope Pantheum.

Cn. Pompeius Magnus Imp. bello XXX. annorum confecto, fusis, fugatis, occisis, in deditionem acceptis hominum uicies semel centenis LXXXIII. M. de preßis aut captis nauibus DCCCXLVI oppidis, castellis MDXXXVIII in fidem receptis: terris à Mœoti lacu ad Rubrum mare subactis, uotum meritò Mineruæ. Cùm oram maritimam à prædonibus liberasset, & imperium maris populo Romano restituisset, ex Asia, Ponto; Armenia, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Syria, Scythis, Iudæis, Albanis, Iberia, insula Creta, Basternis, & super hæc de regibus Mithridate atque Tigrane triumphauit.

VII.

L. MVNATII PLANCI.

Inuentum Caietæ in Campania.

L. *Munatius* L. F. L. N. L. *Pron. Plancus Cos. Cens. Imp. iter.* VII *uir Epul. triumphauit ex Rhetis. Aedem Saturni fecit de manubijs, agros diuisit in Italia Beneuenti, in Gallia Colonias deduxit Lugdunum & Rauricam.*

VIII.

L. SICINII DENTATI.

Hunc Romanum Achillem nominatum scribit Sex. Pompeius.

L. *Sicinius Dentatus Trib. pl. centies uicies prælia tus, octies ex prouocatione uictor,* XLV *cicatricibus aduerso corpore insignis, nulla in tergo. idem spolia cepit* XXXIIII. *donatus hastis puris* IIXX. *phaleris* XXV. *ciuicis* XIII. *aureis* VIII. *mural.* III. *obsidional.* I. *fisco æris* X. *captiuis* XX. *Imperatores* VIIII *ipsius maximè opera triumphantes, secutus.*

IX.

L. SYLONIS SABINI.

Apud urbem Hispaniæ Cazeres.

Lucius Sylo Sabinus bello contra Viriathum con fossus multitudine telorum, & ad Caium Plancium Prætorem delatus humeris militum, hoc sepulchrum è mea fieri pecunia mihi iussi.

L. CAMI-

X.

L. CAMINII CAMERTIS.

Inuentum non longè à Cappara urbe Hiſpaniæ.

Quem uides, uiator, putabis forſan cinerem eſſe Hiberum, erras: uides Lucium Caminium Camertem, hominem bello fortem: nec falsò glorior, qui ſub Cn. Pompei Magni filio cecidi innumeris uulneribus, pro libertate Romana omni ſtudio retinenda. Nec Hercules, quem uicinæ adorant Gades, quem ego nocte & die compellaui, me à morte eripuit: nec Bellona, quam Camertes colunt: nec Dij omnes Romani, quin caderem cadauere nõ cognoſcendo uulneribus: me hic milites piè poſuere.

XI.

TI. PLAVTIO.

In agro Tiburtino, ad pontem Lucanum, ſupra Anienem.

Ti. Plautio M. F. Ani. Siluano Aeliano Pontif. Sodali Aug. IIIIuiro A. A. A. F. F. Q. Ti. Cæſaris, Legato Leg. v. in Germania, Pr. Vrbano, legato & Comiti Claud. Cæſaris in Britania, Conſuli, Procoſ. Aſiæ Legat. Propræ. Mœſiæ, in qua plura quàm centum millia ex numero Transdanuuianorum ad præſtanda tributa, cum coniugibus ac liberis & principibus ac Regibus ſuis transduxit. Motum orient. Sarmatar. compreſſit, quamuis partem magnam exercitus ad expeditionem in Armeniam miſiſſet, ignotos

antè aut infensos P.R. Reges signa Romana adoriturос, in ripam, quam tuebatur, perduxit. Regibus Bastarnarum & Rhoxolanorum filios Dacorum fratrum captos, aut hostibus ereptos, remisit: ab aliquis eorum obsides accepit, per quos pacem prouinciæ & confirmauit & protulit. Scytharum quoque rege, de Cheronensi, quæ est ultra Boristhenen, obsidione summoto, primus ex ea prouincia magno tritici modo annonam P. R. adleuauit. Hunc legatum in Hispaniam ad Præfectur. urbis remissum, senatus in Præfectura triumphalibus ornamentis honorauit, auctore Imp. Cæs. Aug. Vespasiano, uerbis ex oratione eius Q. I. S. S. Mœsiæ ita præfuit, ut non debuerit in me deferri honor triumphalium eius ornamentorum, nisi quòd latior ei contigit mora titulus. Præfecto urbis, hunc in eadem Præfectura urbis Imp. Cæsar Aug. Vespasianus, iterum Cos. fecit.

XII.

M. CANVLEI ZOSIMI.

Romæ in libro Antiq.

M. Canulei Zosimi uix. ann. XXVIII. Fecit patronus Lib. benemerenti. Hic in uita sua nulli maledixit, sine uoluntate patroni nihil fecit, multum ponderis auri, arg. penes eum semper fuit, concupijt ex eo nihil unquam, hic arte M. Cælatura Clodiana euicit omnes.

OCT.

XIII.

OCT. AVGVSTI.

Imp. Cæsari Diui F. Augusto Pontif. Max. Imp. XIIII. Trib. Pot. XVIII. S. P. Q. R. quòd eius ductu auspicijsq; gentes Alpinæ omnes, quæ à mari supero ad inferum pertinebant, sub imperium Po. Ro. sunt redactæ.

GEORGIVS FABRICIVS LECTORI S. D.

IN his Antiquitatis monumentis, prętet literarum figuras, quæ more Romano grandiusculæ fuerunt, nihil est immutatũ. Vetusta scribendi ratio, qualis in exẽplis ipsis fuit, diligẽter ubiq;, ac propemodũ curiose obseruata: in qua quoniã multa sunt, quę ijs qui codices antiquos nõ tractarũt, aut marmora uetusta nunquã inspexerũt, uel obscura uel non emendata uideri poterant, eorum explicationem subiecimus: ne quod cõsilio & auctoritate factũ est, aliquis errori aut imperitię tribueret. A quibus aut ẽ, quibusúe in locis singula inuẽta descriptaúe sint, antea retulimus: ne quis laboris sui fructu, aut industriæ laude priuaretur.

IN TESTAMENTIS.

1. CVSPIDII.

P. Gn. Cæcilijs.) Nunc Cn. scribitur. nam etiam in alijs G literam posteriores in C mutarunt: auctor Verrius Flaccus.

Inliberalia.) pro illiberalia.

Neglegentius.) pro negligentius.

Hijsq; testibus.) pro his.

2. FAVONII.

Iocundus.) pro iucundus.

Pudentem.) Marlianus, prudentem.

Quinquenium.) pro quinquennium.

Scpulcro.) nunc, sepulchro.

Iussu meo condito, & mea uoluntate.) Post hæc uerba in Topographia Vrbis multa à Marliano addita præter rem. Legendum autem, ut nos hoc loco scripsimus. Nã alia illa huc trãslata, ex L. Sylonis Sabini epitaphio, qui etiam bello contra Viriatum cecidit.

Liberûm.) pro liberorum.

Adtribui.) nunc, attribui.

In Vrbe referre.) pro, in urbem.

3. TVCIDANI.

Sempronij.) nunc, Sempronij.

Notæ in hoc Testamento ita legi posse uidentur, saluo tamen eruditorum iudicio.

Testamen. iure Mil.) Testamentum iure Militari.

L L. abses.) Legibus absens. Litera N in quibusdam uocibus

uocibus omissa: ut prægnas pro prægnans, in Pandectis Pisanis.

Fund. Baleares.) Fundos.

P. Q. R. D.D.) populoq; Romano do, dico.

Pecu. si uia Lat. oss. meis Re.) Pecuniam, si uia Latina osib. meis relatis. Vijs enim extra urbem homines sepeliebantur.

Abeto.) pro Habeto, omissa aspiratione.

Hermeti lib. Aug. Vind. Ma. Aur. CXDD sunto.)

Hermeti liberto, Augurali uindicta manumisso, aurei CX. dati donati.

Vxo. beneme.) Vxori bene meritæ.

Mundum mulieb.) muliebrem.

Quæue è La. Par. D D.) Quæúe è lana (uel lanificio) parauerit, do, dico.

Cu. ge.) curam gesserat.

Contra decretum Ampliss. Ord. uxo. dux. ex. esto.) Contra decretum amplissimi ordinis uxorem du-

Dodrant.) dodrante. (xit, exhæres esto.

Pecu. id Instrumen. rusti.) Peculiare id Instrumentum rusticanum.

Vehic. úe D D. sunto.) Vehiculaúe data donata sunto.

In extremo aliquid uidetur esse deprauatum, quod nos inuestigando non potuimus consequi.

4 MEGONII.

In titulo, Marci Megonij Marci filij Cornel a Lecnis.) Cornelia tribus nomen est.

Cum partem.) Abusus uulgi. Ita aliquoties legitur, cum quem uixit: pro, cum quo.

Duûm.) pro duorum.

Me uibo.) pro, me uiuo. B & V literarum cognatio. ita, Fera bite: pro fera, id est, agresti uite, ex Sisenna annotauit Nonius.

Bilychneis.) pro bilychnis. I & ei diphthõgi societas.

Ius publ.) Fortasse, munus publicum. nam aliquid spacij relictum erat.

Reip. N.) Reipublicæ nostræ.

Impendis.) pro impendijs.

Conpellentur.) pro compellentur.

Perpetuum.) pro perpetuò, uel in perpetuum.

5. SERGII PARASITI.

Succinctus.) In alijs, suffarcinatus.

Quoius cinis.) pro cuius.

Litteratus.) nunc literatus.

Silens aduc.) pro adhuc.

Hijs nugis.) pro his.

6. PORCELLI.

Cocus.) pro coquus, in carta Memmelebiensi.

Domi.) pro domus.

Veniam peto.) In alijs, uitam.

Habundant.) pro abundant.

Litteris aureis.) pro literis.

7. Q. LAELII. (scribitur.

Tibur.) nũc Tybur, cõtra Antiquitatis obseruationẽ

Prædia

Prædia maneãt.) Aliter Appianus in Antiquitatibus.

8. MIMI.

Liberei sibei.) pro, liberi sibi.

Ad finem aliquid additum præterea fuit, sed obruto terra lapide legi non potuit.

IN LIBELLIS.

1. HADRIANI.

Epistula.) pro epistola. Hic libellus scriptus anno imperij Hadriani nono & decimo.

2. VELII.

Iubentio.) in Catalogo consulum, Iuuentio. Libellus conscriptus Antonini Pij anno septimodecimo. ordinatorum autem Coss. qui hic commemorantur, mentionem non inueni.

N. Imp.) nostri Imperatoris.

Iubentutis.) pro iuuentutis.

Quot.) pro, quod.

Exequutionis.) pro executionis.

Set.) pro sed, tenui in mediam mutata.

Saluom.) pro Saluum.

Cuom.) pro cum.

Coiugem.) pro coniugem.

Doniquom.) pro donicum: id est, donec.

Cuando.) pro quando. quo modo Cointus pro Quintus, in alijs legi marmoribus.

III. Non. Noemb.) pro, Tertio nonas Nouembris. V interdum omiserunt ueteres: ut hoc loco, & pai

mentum

mentum pro pauimentum, adiuerit pro adiuuerit: quod Terentij interpres obseruauit.

3. VESPASIANI.

Voltis.) pro uultis.

Adicere.) pro adijcere. ita proicere & reicere in antiquis codicibus & saxis notauimus.

Procons.) proconsulem.

II. uiri.) Duumuiri.

4. SECVNDINI.

Decim. Secundinus V. C.) Decimus Secundinus uir clarissimus.

Procuratorr.) procuratoribus & defensoribus. Cissenses autem fuerunt populi Istriæ, Venetis contermini. Plinius, Cissæ Istrorum insulæ facit mentionem: & Baphiorum procuratoris Cissensis in Ro. magistratibus suprà mentio facta est.

Fiscarum.) Deprauata lectio.

IN FORMVLA CONTRACTVS.

Ipsus emit.) pro ipse.

Tibe uerò.) Tibe pro tibi scripserunt antiquissimi, ut

Hæcce sicce.) pro, Hæc sic. (testatur Quintilianus.

Bene agier.) pro agi.

IN LEGIBVS.

1. AEDIFICANTIVM.

Ostiei lumè.) pro ostij. Hæc lex scripta est anno ab V.C. sexingentesimo quadragesimonono. Ex hac autem inscriptione alterius consulis nomen in uulgatis

Catalo-

Catalogis emendari potest, in quibus legitur C. Manlius, ubi hic Cn. Mallius. Ita crassеis, seneis, æsculineis Puteoleis, primeis, utei, ubei, ieis: pro crassis, senis, æsculinis, Puteolis, primis, uti, ubi, ijs, in hac ipsa lege inuenitur. Proicito.) nũc proijcito. et postea occludito. Abiegineas.) pro abiegnas. [ubi nunc occludito. Portumq; figito.) Hic mendum est.

Inante.) pro ante, antiqua compositio, qua & Propertius poeta utitur. Eodem modo exante & abante in uetustis libris atq; marmoribus obseruauimus.

Opstruito.) pro obstruito.

Ni'ue maiorem.) Ni pro ne, antiquè.

Quam quæ cæmenta, &c.) Ruptura lapidis in caussa fuit, ut uerbum extremum legi non posset.

Angolaria.) pro angularia.

Adsient.) pro adsint.

Pequn.) pro pecuniæ.

2. ARAE DEDICATAE.

Quandoque.) pro quandoquidem.

Ollis.) Pro illis.

Faxit.) pro faciat.

Iteirco.) pro idcirco, media uersa in tenuem. Grammatici scribi uolunt iccirco.

Sonto.) pro sunto.

IN INSTRVMENTIS.

I.

Obseruanda potißimum literarũ inter se permixtio. Ei

xtio. Ei pro i tam in primis, quàm in postremis syllabis, legitur sæpissime. Veiturios pro Viturios, Eidib. pro Idibus: Inuitei, possedeit, soluei, controuersieis: pro inuiti, possedit, solui, controuersijs, & quæ his similia. Quiei pro qui, Sei pro si, Nei pro ni, Vbei pro ubi, Vtei pro uti, siue ut.

Io pro i. Iousserũt pro iusserũt, Iniourias pro iniurias. O pro u. Flouiũ pro fluuium, iniquom pro iniquum. compascuos pro compascuus.

V pro i. Infumũ pro infimũ, Proxuma pro proxima.

I pro e. Sicet & sicare, pro secet & secare. Ni pro ne. Ai pro æ. Caicilio pro Cæcilio. (uicesimam.

Sunt etiam interpositæ literæ: ut uicensumam pro

Sunt geminatæ, ut Muutio pro Mutio, arbitratuu pro arbitratu, peccuniam pro pecuniam.

Sunt aliquoties omissæ aut absorptæ, ut susouorsum & sursuorsum, pro sursumuorsum. Item dorsum pro deorsum, semel atq; iterum. Item uocitatust, pro uocitatus est.

Ponũtur mediæ pro tenuibus, ut poplicũ pro publicũ.

Huc pertinent illa: Composeiuerunt, pro composuerunt: Senati consulto, pro senatus consulto: flexione & scriptione uetusta.

Hæc autẽ omnia antiquo more facta sunt, & quædam Genuẽsium linguæ uidentur communia: ex quo apparet, Ligurum sermonem à Latina suauitate & elegantia multum abfuisse.

L. Cæci-

L. Cæcilij & Q. Mutij coss. nomina, quæ in hoc instrumento leguntur, nusquam alibi reperi. Q. Minutij Rufi, de quo fit statim in initio mentio, notum est. is enim anno ab Vrbe condita DCXVII. cum Cornelio Cethego Insubres uicit, & Ligures ad deditionem compulit: ut historiæ cum hoc Instrumento non malè conueniat.

II.

Promercalium.) In alijs, per Mercalium.

Promercalia, quæ pro mercede uænum proponuntur. ut aurum promercale, Suetonio.

IN DECRETIS.

SENATVS CONTRA CAESAREM.

Mandatu P.R.) pro, mandato populi Romani.

Cos. Imp. Trib.) Consul, Imperator, Tribune.

SENATVS POPVLIQ. RO.

Plebei scitis.) Plebei pro plebis, à nominatiuo plebes: qui casus et in Sallustij et Ciceronis libris legitur.

PRAEFECTI VRBIS.

Ex auctoritate.) Ita passim per ct hæc dictio legitur.

Turci Aproniani.) In catalogo Consulum, T. Apronianí.

Conludentibus.) Pro, colludentibus.

Adpenso pecore.) Pro, appenso.

Officium, pro certa persona in magistratu, ut & in alijs inscriptionibus obseruaui. Ita potestas, pro prætore, apud Ciceronem in Epistolis, & apud Iuuenalem in Satyris inuenitur.

DVVMVIRVM.

Tiberio Cæsare tertiũ, Germanico Cæsare iterum consule. Cn. Acceio Cnei filio Arniensi, Rufo Lutatio T. Petillo Publij filio Quirina, Duumuiris. Aniensis & Quirina tribuum Romanarum sunt nomina, licet hic Arniensis, pro Aniensis corruptè.

Inmolentur.)pro immolentur.

Cenarent.) sine diphthongo.

Inpensam.)pro impensam.

P. N.)Pecunia nostra. Eius die.) pro diei.

HIPSANII.

II uir Iur. dic. V.F.)Duumuir iuris dicundi uerba fecit. R.P.N.)Rempublicam nostram.

Cresseret. pro cresceret. & paulo post, Obstrinserit, pro obstrinxerit. Primum media, deinde duplex in tenuem mutata.

Publ. aput optimum.)Publicas apud.

C.V. uirtutem.)clarissimi uiri.

Cotidie.)nunc quotidie.

Beniuolentiam.)nunc beneuolentiam.

Aliut.)pro aliud: ut adq;, pro atq;, sæpius in hoc decreto, contraria ratione.

Q.F.P.D.E.R.I.C.) Quod fieri placuit, de ea re ita censuerunt.

Aput iudices.) pro apud.

Carni Catariq;.)De his populis Plin. lib. 4. ca. pen.

L L.) læti lubentesq;. Mandatu.)pro mandato.

DVVM-

DVVMVIRVM.

L. Annio Lucij filio Collina Modesto, honorato Equo publico. Q.D.E.R.F.P.P.D.E.R.L.C.) Quod de ea re fecerunt, placuit de eadē re lege confirmari. Lib. eius.) liberto eius

L D D D.) locus datus decreto Decurionum.

SENATVS ET IMPERATORVM.

Paulino Iunio clarissimo uiro, proconsuli Asiæ.

DD.NN.AVGG.) Dominorū nostrorū Augustorū.

S.P.P.) sumptu publico posuit.

SENATVS.

Flauio Stiliconi clarissimo uiro.) Hæc uerba in marmore erasa: sed de Stilicone esse decretum hoc factū, ex alijs deprehenditur indicijs. Adq;.) pro atq;. Theodosi.) pro Theodosij. scriptum fuit THEODOSI: quo in fine ij solet significari: ut et in HONORI,

SVESSANORVM. (pro Honorij.

V.P.) Viri patricij, uel primarij. Contaminatum marmor legi non potuit.

NEAPOLITANORVM.

Honorem deuitum.) pro debitū. V & B affines literæ sunt, et apud antiquos sæpe inter se permutātur.

Comulatiore.) pro cumulatiore.

Exibuit.) pro exhibuit.

Reg. primaria.) regio primaria. Regionis Herculanensis, quæ Neapoli fuit, hic fit mentio: ut Palatinæ, in alio epigrammate.

Iuncxit.) pro iunxit.

Vtrunq; corpus.) Corpus pro tota societate, quæ est inter eiusdem opificij homines: ut corpus pistorum, coriariorum. Item corporati, & curatores eiusdem corporis, in Romanis monumentis leguntur.

VV.CC. Cons.) Viris clarissimis consulibus.

LVGDVNENSIVM.

Omnib. funct.) omnibus functo.

Corporis N. Rhodanic. & Arar.) Corporis nostri Rhodanicorum & Ararensium.

Innocent. morum.) innocentiam.

Prouinciæ Gall.) Gallicæ.

ROMANORVM I. DECRETO.

Appio Claudio Q. Fabio cos.) Sic & Orosius & Eutropius hos coss. nominant. nam in uulgari consulum catalogo, pro Fabio, Fuluio legitur. sed cum communi catalogo consentit Romanus, à Marliano editus. Tempus quoque ab V.C. in hoc decreto in fine additum, annus uidelicet CCCCLXXXIII, non conuenit. in Romano enim legitur CDXXCIX. hoc est, quadringentesimus octuagesimus nonus. Ego Romam marmoris scripturam Messanensi antefero, si hoc modo rectè est descriptum.

Post V.C.) Post urbem conditam.

ROMANORVM II.
Decreto.

Anno

Anno sexingentesimo uigesimo.)Rursus annorum numerus diuersus.In Romæ inuento catalogo tribuitur his consulibus annus 618.In uulgari, quē Haloander edidit,619.in hoc Messanensi epigrammate,620.

HISTONIENSIVM.

Curatorib.P.)Curatoribus publicis.

INTERAMNATIVM.

T.Flauio T.F.Clu. Isidoro.)Titi filio Clustumina. nomen tribus: ad eam autem pertinuisse Interamnates,è pluribus inscriptionibus probari potest.

Præf sacror.) Præfecto sacrorum.

Municip.Interamnat. Narn.) Municipiorum Interamnatium,Narniensium.

ASCVLANORVM.

Xuiro Stlitibus iudicandis.) Stlitibus, pro litibus. de hac scribendi ratione antiqua, Fab. Quintilianus.

Asculanorum.)Ita in marmore ipso,aliter in impressis Vrb.antiquitatibus.

CAENINENSIVM.

P.Mario Vot.) Votiua,nomen tribus.

Omn.honor.municipal.adept.)Omnes honores municipales adepto.

De select.Sacerd.Cæninen.coll.Fab.cens. dand.) De selectis sacerdotibus Cœninensium, collegio Fabrorum censui dando.

Lucar.) Pecunia sacra de redditibus lucorum.

IN ELOGIIS.

L. METELLI.

xv uir ag. dand.) Quindecimuir agris dandis, seu diuidendis.

Max. S.N.) Sigonius legit, Max. Sen. partam.

PORTII CATONIS.

Tueri & regi.) Tueri paßiuè positum, annotauit Victorius.

Q. FABII MAXIMI.

Ex ieis.) Pro ijs, antiquè. Hoc marmor alij Aretij, alij Arimini inuentum scribunt. Quoius) pro cuius.

C. MARII.

Calceis puniceis.) Ita Sigonius: aliàs, calceis patricijs.

CN. POMPEII.

Descriptum ex libro VII. Plinij.

L. MVNATII PLANCI.

L. F. L. N. L. Pron.) Lucij filius, Lucij nepos, Lucij pronepos.

Imp. iter.) Imperator iterum.

TI. PLAVTII.

M. F. Ani.) M. F. Anienſi, nomen tribus. IIIIuiro

A. A. A. F. F. Q.) Triumuiro auro, argento, ære flando, feriundoq;.

Orient. Sarmat.) orientalium Sarmatarum.

Ab aliquis.) pro aliquibus.

Q. I. S. S.) quæ ita scripta sunt.

Hic arte M.) Fortaſſe, arte Mentoris.

ANTI-

ANTIQVITATVM.

LIBER SECVNDVS, qui continet

TVMVLOS VETVSTOS.

MARITI VXORIBVS.

I.

ATIMETVS TI. CAESARIS Libertus.

CL. HOMONOEAE CONTVBERNALI.

TV qui secura procedis mente, parumper
Siste gradum quæso, uerbaq; pauca lege.
Illa ego, quæ claris fueram prælata puellis,
Hoc Homonœa breui condita sum tumulo.
Cui formam Paphie, Charites tribuere decorem,
Quam Pallas cunctis artibus erudijt.
Nondum bis denos ætas mea uiderat annos,
Iniecere manus inuida fata mihi.
Nec pro me queror hoc: morte est mihi tristior ipsa,
Mœror Atimeti coniugis ille mei.

ATIMETVS.

Si pensare animas sinerent crudelia fata,
Et posset redimi morte aliena salus:
Quantulacunq; meæ debentur tempora uitæ,
Pensassem pro te cara Homonœa libens.

At nunc, quod possum, fugiam lucemq́; deosq́;,
Vt te matura per Styga morte sequar.

HOMONOEA.

Parce tuam coniunx fletu quassare iuuentam,
Fataq́; mœrendo sollicitare mea.
Nil prosunt lachrymæ, nec possunt fata moueri:
Viximus, hic omnes exitus unus habet.
Parce, ita non unquam similem experiare dolorem,
Et faueant uotis numina cuncta tuis.
Quodq́; meæ eripuit mors immatura iuuentæ,
Id tibi uicturo proroget ulterius.

ATIMETVS.

Sit tibi terra leuis mulier, dignißima uita,
Quæq́; tuis olim perfruerere bonis.

HOMONOEA.

ἡ πολὺ σειρήνων λιγυρωτέρη, ἢ παρὰ βάκχῳ
καὶ θοίναις αὐτῆς χρυσοτέρη κύπριδος,
ἡ λαλιὴ φλιαρή τε χελειδόνος, ἔνθ' ὁ μόνοια
κεῖμαι Ατιμήτῳ λειπομένη δάκρυα,
τῷ πέλον ἀσπασίη, βαιῆς ἄπο. τὴν δὲ τοσαύτην
δαίμων ἀπροϊδὴς ἐσκέδασεν φιλίην.

II.

GRACILIS MARITVS PRObinæ coniugi.

Perpetuas sine fine domos mors incolit atra,
Aeternosq́; leuis poßidet umbra lares.
Vita subit cœlum, corpus tellure tenetur:

Omnia di

Omnia sic repetunt iura locos q; suos.
Sic rerum natura iubet, sic temporis ordo:
Que modò sunt, pereunt: quæq; futura, cadent.
Suscipe nunc coniunx, si quis post funera sensus,
Debita sacratis manibus elicia.
Multorum inuidia tandem caruisse memento,
Nil quidquam paueas, templa quietis habes.
Hic Probina iacet, Gracili citò rapta marito,
Diebus post paucis est comitata suos.
Inuida sors rerum fatis quid mergis acerbam,
Nec te coniugij flectere nouit amor?
Heu miseranda, mihi auspicijs coniuncta siniſtris:
Quo fato traheris, hoc ueniente peris.
Quid Probina tibi fœcundæ uiscera prosunt?
Concipis affectum, luctus & ipse parit.
Nil te dura mouent communis funera lethi,
Cùm tuus in nostro pectore uiuat amor.

III.

CLAVDIAE.

Hospes quod deico, paullum est, asta ac pellege.
Heic est sepulchrum haut pulcrum pulcrai fœminæ,
Nomen parentes nominarunt Claudiam,
Suom mareitom corde deilexit souo.
Gnatos duos creauit, horunc' alterum
In terra linquit, alium sub terra locat:
Sermone lepido, tum autem incessu commodo:
Domum seruauit, lanam fecit. dixi, abei.

IIII.

ANCHIALVS LESBIAE.

Hospes sta, & lacruma, si quid humanitùs in te est,
Ossua dum cernis consita mœsta mihi.
Quoius laudati mores, & forma probata est
Anchialo, quem cura anxia debilitat.
Lesbia sum, quæ dulces mores sola reliqui,
Et uitam, uiuens parui in officijs.
Sci nomen quæris, sum Lesbia: si duo amantes,
Anchialus dulcis cum suo homine Spurio.
Sed quid ego hæc cerno? mea sunt hic ossua in olla
Consita: uiue hospes, dum licet, atq; uale.

V.

AMARANTHVS IVLIAE Procillæ.

Hunc tibi perpetuò titulum gratissima coniunx,
Corporis extincti dedicat ipsa fides.
Vixisti mecum iuuenis, canosq; per annos,
Quos uita exegi dulciter ipse mea.
Opto, si qua fides remanet telluris amicæ,
Sit tibi perpetuo terra leuis tumulo.

VI.

MENOPHILVS POPILIAE Feliculæ.

Hunc tibi nunc titulum statuo carissima coniunx,
Luctuosumq; mihi, qui scio quid fueris.

Extremum officium quoniam tibi reddere cogor,
Et meritò hoc fieri testis & ipse loquor.
Nunc uos conteſtor manes, quibus ossa relinquo,
Tellus huic tumulo ne grauis esse uelis.

VII.

IVLIAE.

Iulia quæ fueras longa dignissima uita,
Occidis è nostro rapta puella sinu.
Sed comes æthereæ nunc degis iuncta coronæ.
Nunc Helicen propius cernis, & Andromeden.
Me cruciat coniunx miserum, me absumit amantem,
Sæuus amor nullis ignibus inferior.
Nanq; ego seu rebus fueram districtus agendis,
Seu dederam uacuo languida membra thoro:
Tu mihi semper ades, tua præsens semper imago est,
Quæ misero moueat flebile cordolium.
Impia cur teneros ô mors distinguis amantes,
Quos bene conueniens conciliauit amor?

VIII.

PEDANAE.

Ingratæ Veneri spondebam munera supplex,
Erepta coniunx uirginitate tibi.
Perſephone uotis inuidit pallida noſtris,
Et præmaturo funere te rapuit.
Supremum uersus munus donatus, & aram,
Et gratam cæpsit docta Pedana chelyn.

Me nunc torquet amor: tibi tristis cura recessit,
Lethæoq; iaces condita sarcophago.

IX.

HERMES COCCEIAE NICE.

Aeternam tibi sedem Hermes, aramq; dicaui,
Nice: optassemq;, utinam tua fata superstes
Vt mihi tu faceres. sed iniqua sorte, maligna
Rapta iaces, annis iam uiduata tuis.
Iam tibi Cybeles sint & rosa grata Diones,
Et flores grati Nymphis, & lilia serta.
Sintq; precor meritis, qui nostra parent tibi dona
Annua, & hic manes placida tibi nocte quiescant,
Et super in nido Marathonis cantet Aedon.

X.

CALPVRNIANVS MATVRAE.

Hic sita, quæ uixit duodetriginta per annos,
Vnanimi Calpurniano sociata marito.
Nomina Maturæ, Tuder est mihi nota propago,
Aufidius genitor, genuit me Plania mater.
Quadraginta duos mecum fero flebilis annos,
Rapta meis fatis, superi sic nanque iubebant.

XI.

CHRYSES SERVILIAE.

Seruilia Eirene reuerens, pia, casta, pudica,
Bis quinos denos & sex prouecta per annos:
Sit tibi terra leuis, cineres quoq; flore tegantur.

TECLAE.

XII.

TECLAE.

Hic abrepta iacet supremo funere coniunx,
Nomine Tecla: mihi quæ caro pectore prægnans
Emisit geminum pignus, si fata dedissent,
Crudelis tabes consortem substulit unum.

XIII.

FVRIVS SECVNDVS LAELIAE.

Functa iaces hic, sed uiuis, uiuesq; Secundo
Lælia, tua debent nec benefacta mori.

XIIII.

AEMILIVS IANVARIVS Marcianæ.

Inuide quid gaudes? illa hic mihi mortua uiuet,
Illa meis oculis aurea semper erit.

XV.

ZOE.

Dulce caput, manes Zoe benedicta moraris,
Tu secura iaces, liquisti morte querelas,
Præcessi hospitium dulce parare tuis.

XVI.

IVLIA MARCELLA CLODIO Fabato marito.

Terrenum corpus cœlestis spiritus in me,
Quo repetente suam sedem, nunc uiuimus illic,
Et fruitur superis æterna in luce Fabatus.

PAREN

PARENTES LIBERIS.

XVII.

VALERIANVS IVLIANVS ITALICO filio, & Honoratæ Mammulæ eius.

Dispar damna leges, Parcarum crimina dispar,
Hæc ridenda mihi est, hic lacrumandus erit.
Hæc nanq; emeritos bis quadraginta per annos
Vixit, ac hic terno consule natus obit.
Cur modò tam præceps puerum, tam scæua tulisti,
Funeris amborum dic rea Persephone?
Vix lucem uidisse, satis qui uiuere posset:
Viuere quæ nollet, uix potuisse mori.

XVIII.

AQVILAE.

Hic Aquilæ cineres miserabilis urna sepultos
Contegit, & fatis exproperata nimis.
Occidit infelix cepto modò flore iuuentæ,
Quem finijt annus septimus & decimus.
Formonsus, frugi, doctus, pius, à patre mœsto
Accepit tumulos, quos dare debuerat.

XIX.

IVLIVS NICEPHORVS Palladio.

Vitæ Palladij raptum fleuere Camœnæ,
Fleuerunt populi, quos continet Ostia dia.

VIBIVS

XX.

VIBIVS HELENIVS VIBIAE Latinæ.

Quæ tibi cunque mei potuerunt pignora amoris
Nata dari, populo sunt lacrumante data.
Et uolui maiora nimis: sed cura meorum
Fida, tuei prohibet me cinerem esse rogi.
Vixisses utinam, & potius mea carta taceret,
Quàm mihi scribendi causſa Latina fores.
Vixisses, neu te surgentem in uota tuorum
Aspicerem, addictam manibus ire sacreis:
Sed quoniam Parcis uetitum'st nihil: accipe nostri
Aeternas eheu carminis exequias.

XXI.

PATER FILIO.

Quamuis nate tuos mors inuida ruperit annos,
Abstulerintq; tuum dura sepulcra decus:
Non tamen his secum potuit deducere laudes,
Quas uiuens semper fama superstes habet.
Maior enim longa ueniens de stirpe senator,
Auxisti mentis nobilitate genus.
Iudicis imperium seruans bonitate magistra,
Cum tibi subiectis tu quoque miles eras.
Vrbanos fasces gaudens tibi Roma parabat,
Consilio fratris nunc moderata tui.
Fidus amicitiæ custos, ambitor honesti,
Iusticiæ cultor, pacis amator eras.

Gratus,

Gratus, dulcis, ouans, humilis, pius: hei mihi quantis
Priuauit miserum mors inimica bonis.
Te luxitq; pater, soboles, coniunxq; fidelis,
Te mixtis lachrymis longè & amata domus.
Nil tibi defendens, famulum mihi nate parasti,
Vt tibi seruitij cresceret alter amor.

XXII.

ARICINA NAIS BASSO FILIO.

Debuit hoc natus nobis præstare duobus,
Vt cineres patrios dederet inferijs.
Sed quoniam diræ genuerunt fata uolucres,
Te Basse ereptum fleuimus ante rogum.

XXIII.

CAESIA GEMELLA SVCCESSO.

Quod fas parenti facere debuit filius,
Mors immatura fecit, ut faceret parens.

XXIIII.

MATER FILIAE.

Verius hunc titulum matri tu nata dicasses,
Quem mater miseræ nunc tibi nata facit.
Bis senos completam annos te filia matri,
Eripuit miseræ mortis iniqua dies.
Opteſtor manes meritæ sanctæq; patronæ,
& Comprecor ut leni terra tegat tumulo.

LIBE-

LIBERI PARENTIBVS.

XXV.

FILIVS PATRI.

Sic pia, sic fœlix, sic quòd tibi uita beata
Contigit, & cunctis auxilians bonitas.
Nos tamen hic cruciat dolor anxius, & pia cura,
Quòd te festinans abstulit atra dies.
Numina nunc inferna precor, patri date lucos,
Quòs est purpureus perpetuusq; dies.
Quod certè hic meruit: cuncta'st data cura sepulcro,
Extruxere faui de Siculis apibus.

XXVI.

ANICIVS OLYBRIVS ANIciæ Probæ matri.

Consimiles fratrum trabeis, gestamina honorum
Tertia, quæ deerant addidimus titulis.
Dilectæ Probus hæc persoluo muncra matri,
Restituens statuis præmia quæ dederat.

XXVII.

MEIAE.

Meia fui fœlix, septem circumdata natis,
Dum uixi, astabat Romula turba mihi.
Vt mihi grata uicem natorum turba parabat,
Hoc mihi de Pario marmore struxit opus.
Manibus atq; meis nati pia uota dedere,
Persoluere meis manibus inferias.

HATE-

XXVIII.

HATERIA TELETE AD parentes.

Tu pater & mater lachrymis retinete dolorem,
Nam fato raptam non potis eripere.

ALTORES ALVMNIS.

XXIX.

VETTIA MEGISTE, ET VETtius Onesimus Symphoruſæ alumnæ.

Nata, ſed in lachrymas ſolum, dolor omnibus inſtat:
Hic ſita ſum: uixi, tempus inane meum.
Annus erat uitæ primus, mox deinde ſecundi
Liminibus rapuit me ſibi Perſephone.

XXX.

ATTEIVS PHILOLOGVS Lepidæ.

Procurator eram Lepidæ, moreſq; regebam:
Dum uixit, manſit Cæſaris illa nurus.

XXXI.

IANVARIVS FLORO.

Florus ego hîc iaceo, raptus bigarius infans,
Qui citò dum cupio currus, citò decidi ad umbras.

PATRONI LIBERTIS.

XXXII.

GELLIVS MAXIMVS PHOEbo Liberto.

Hic ſitus

Hic situs est, quondam Gelli pars maxima, Phœbus:
Adfectus omnes possidet iste lapis.
Vix consummauit septem quinquennia lustri,
Oscula feruentem nec tenuere animam.
Quòd si mutari potuissent fila sororum,
Gauderet condi Maximus hoc tumulo.

XXXIII.

Q. SVLPITIVS LASCIVAE uernæ.

Quæ caruit luce, & tenebris se miscuit atris,
Lasciua eu nimium fatis crudelibus orta est.
Liquit & orbatos miseros fidosq; parentes,
Vberibus pressis nutricem liquit amantem.
Nutricis coniunx infelix ille relictus
Mœret, & ad cineres plangit sua pectora palmis.

XXXIIII.

DOMITILLA HECTORI.

Qui colitis Cybelen, & qui Phryga plangitis Attin,
Dum uacat, & tacita Dindyma nocte silent:
Flete meos cineres. non est alienus in illis
Hector, & hoc tumulo Mygdonis umbra tegor.
Ille ego qui magni paruus cognominis hæres,
Corpore in exiguo res numerosa fui.
Flectere doctus equos, nitida certare palæstra,
Ferre iocos, astu fallere nosse fidem.
At tibi dent superi quantum Domitilla mereris,
Quæ facis exigua ne iaceamus humo.

XXXV.

CALPVRNIA ANTHIS IKADIO.

Dextera fama mihi fuit, & fortuna patrona,
Magnifici coniunx Cæsaris illa Dei.
Qua bene tutus eram, caris nec uilis amicis,
Quis etiam mecum plurima cura fuit.
Anthis causa meæ uitæ, quæ cara sepulcro
Condidit ossa suo: nominor Ikadium.

XXXVI.

EVCHARIS LICINIA ELPIDI.

Heus oculo errante quei aspicis lethi domum,
Morare gressum, & titulum nostrum perlege.
Amor parentis quem dedit natæ suæ,
Vbei se reliquiæ conlocarent corporis.
Heic uiridis ætas cùm floreret artibus,
Crescente & æuo gloriam conscenderet,
Properauit hora tristis fatalis mea,
Et denecauit ultra ueitæ spiritum.
Docta, erodita pœne Musarum manu,
Quæ modò nobilium ludos decoraui choro,
Et Græca in scena prima populo apparui,
En hoc in tumulo cinerem nostri corporis,
Infistæ Parcæ deposierunt carmine.
Studium patronæ, cura, amor, laudes, decus
Silent ambusto corpore, & letho iacent.
Reliqui fletum nata genitori meo,

Et alt-

Et anteceßi genita pòst lethi diem.
Bis hic ſepteni mecum natales dies
Tenebris tenentur, Ditis æterna domu,
Rogo ut diſcedens terram mihi dicas leuem.

XXXVII.

ANNIA ISIAS FLAVIAE Dionyſiadi uernæ.

Hic iacet exutis Dionyſia flebilis annis,
Extremum tenui quæ pede rupit iter.
Cuius in octaua laſciuia ſurgere meſſe
Cœperat, & dulces fingere nequitias.
Quòd ſi longa tuæ manſiſſent tempora uitæ,
Doctior in terris nulla puella fòret.

XXXVIII.

PATRONA ANNIAE Agathonicæ.

Vita breuis longo melior mortalibus æuo,
Nam paruo ſpacio floruit hæc anima.
Bis denos perfuncta annos ſine crimine morum,
Vita beata fuit, ſpiritus hic nituit.
At patrum miſeranda ætas anima cruciatur,
Pœnaq; de longo tempore longa data eſt.
De ſenio luctus, ſenium fletu renouatur,
Vtraque res mortis durior exitio.
Dat tamen hæc Patronæ pietas ſolatia fidæ,
Iugera quot terræ dedicat hic tumulus.

LIBERTI PATRONIS.

XXXIX.

ONESIMVS ANICETVS fecit Domino.

O utinam uiuo potuissem præmia morum
Reddere, nunc lachrymas accipe pro meritis.
Nam semper fateor tacita te mente probaui,
Detexit sensus ultima flamma meos.
Tu columen rerum, semper tu cura mearum,
Nunc eris & luctus tu quoque causa mei.

XL.

ARTEMISIVS LIBERTVS FAbiæ Pyrallidi patronæ.

Cunctorum hæc suboli sedem pòst morte reliquit,
Ante tamen nato, coniugi & ante suo.
Nondum secura dum flet maiestissima mente,
Occidit, & tristes decepit mœsta fouendo.
Sed nos solliciti, memoresq; parentis amore,
Matrem cum nato, coniuge cumq; suo.
Securos colimus, memores de nomine nostro,
Et faciet suboles multos memorata per annos
Sacra, Deis patribusq; suis, memoresq; priorum,
Et memores nostri nostrorumq;: alta propago
Aeternò seruent semper memorabile nomen.
Quisquis es, aut olim nostra de stirpe futurus,
Sis memor antiqui nominis, & tituli,
In quorum titulis hic datur esse locus,
Aeternæq; domus tu tueare focos.

TV-

TVMVLI VARII.

MATRIS CVM ALIQVOT LIBERIS.

XLI.

POLLIAE SATVRNINAE, TITIO PHILIPPO, AELIAE SATVRNINAE.

Immatura quies quos abstulit, hic siti sunt tres,
Mater cum paruis pignoribus geminis.
Pollia Saturnina parens, triginta per annos
Vixit, & enituit docta sonare mele.
Octo puer Titius proles citò rapta Philippus,
Et fratri tenero Karior una soror,
Aelia Saturnina obijt, uno insuper anno:
Nec cantus uitam protulit, aut choreæ.

PVERI.

XLII.

FLORIDI.

Quod uixi, flos est: seruat lapis hoc mihi nomen:
Nolo Deos manes, flos satis est titulo.

PVELLAE.

XLIII.

APOLONIAE.

Apolonia quæ uocitabar,
Lapide hoc inclusa quiesco,

Vnum sortita maritum,
Seruaui casta pudorem.
Mater misera hoc monumentum
Extruxit Olympias amens.

NAVFRAGORVM.

XLIIII.

IVVENVM DVORVM.

Vna Iuuentatis domus hæc produxit alumnos,
Libertatis opus contulit una dies.
Naufraga mors pariter rapuit, quos iunxerat antè,
Et duplices luctus sic perimiqua dedit.

XLV.

ACIDIS.

Acidos hæc cernis montana cacumina busti,
Aequor & ex imis fluminis ire iugis.
Ista Cyclopei durant monumenta furoris,
Hîc amor, hîc dolor est candida Nympha tuus.
Sed bene, si perijt, iacet hac sub mole sepultus,
Nomen & exultans unda perenne uehit.
Sic manet ille quidem, neque mortuus esse feretur,
Vitaq; per liquidas cœrula manat aquas.

XLVI.

NARCISSI.

Hic est ille suis nimium qui credidit undis,
Narcissus uero dignus amore puer.
Cernis ab irriguo repetentem gramine ripam,
Vt per quas perijt crescere possit aquas.

IVLIAE

XLVII.

IVLIAE SECVNDAE FILIAE, Corneliæ Tychæ uxori.

Iam datus est finis uitæ, iam pausa malorum
Vobis, quas habet hoc natam matremq; sepulcrum,
Littore Phocaico pelagi ui exanimatas:
Illic unde Tagus, & nobile flumen Hiberus
Vorsum ortus, uorsum occasus fluit alter, & alter
Stagna sub Oceani Tagus, & Tyrrhenica Hiberus.
Sic etenim duxere olim primordia Parcæ,
Et neuere super uobis fatalia fila:
Cùm primum Lucina daret lucemq; animamq;,
Vt uitæ diuersa dies foret, unaq; lethi.
Nobis porrò alia est trino de numine fati
Dicta dies lethi, quam propagare suopte
Visum ollis tacito arbitrio, cum lege perenni,
Sisti quæ cunctos iubet ad uadimonia mortis.

XLVIII.

ATTII EPICTETI.

Raptus ego superis, patribusq; ablatus iniquè,
Cùm frui debueram ætate, horrida fata negarunt.
Præcipitem memet superi mersere sub undas,
Ac tumulo clusere graui: iam partus & usus,
Arsq; mihi fuerat studioso corde reperta
Maxima quadrupedũ: studia & quoq; plura fuerũt,
Ingenio semper plenus, probitate beatus:
Vt quandoque simul finito lumine uitæ,

Manibus his iuncti pariter sociauimur unà,
Quisq; legis, doleas: deuites talia fata.

AVRIGAE.

XLIX.

FVSCO FACTIONIS VENETAE agitatori.

Factionis Venetæ Fusco, sacrauimus Aram
De nostro, certi studiosi & bene amantes,
Vt scirent cuncti monumentum & pignus amoris,
Integra fama tibi, laudem cursus meruisti.
Certasti multis, nullum pauper timuisti.
Inuidiam passus, semper fortis tacuisti.
Quisquis homo es, quærens talem, subsiste Viator,
Perlege, si memor es, nosti qui'nam fuerit uir?
Fortunam metuant omnes: disces tamen unum,
Fuscus habet titulos mortis, habet tumulum.
Contegit ossa lapis, bene habet: fortuna ualebis,
Fundimus insonti lachrymas, unaq; precamur,
Vt iaceas placidè: nemo tui similis.

L.

CLODIAE SECVNDAE.

O' quanta pietas fuit hac adolescentia,
Fides, amor, sensus, pudor, atque sanctitas.
Noli dolere amica euentum meum,
Properauit ætas, hoc dedit fatum mihi.

LVCII

LI.

LVCII ET FLAVII fratrum.

Vrna breuis geminum quamuis tenet ista cadauer,
Attamen in cœlo spiritus unus adest.
Viximus unanimes Luciusq; & Flauius: idem
Sensus, amor, studium, uita duobus erat.

LII.

CETRONII PASSERIS.

Vixi, quod uolui, semper bene, pauper honestè:
Fraudaui nullum, quod iuuat ossa mea.

LIII.

AVLI EGNATII.

Aulus Palateina Egnatius Priscilianus,
Arte super gemma nobilis, & Sophia.
Dum uixi, didici, quæ mors, quæ uita homini esset,
Aeterna unde animæ gaudia percipio.

LIIII.

HELVIDII ORATORIS.

Hic iacet Heluidius, satis extinctus iniquis,
Egregius iuuenis, caussarum orator honestus.

LV.

BLASANI NOVII.

Blasanus hoc Nouius, requiem sortitus in æuom,

*

Cuncta locus sanctus plausu qui excepit agresti,

Cùm primùm fundo uenerat hic dominus.
Parebat nemo, Fauni Nymphæq; sonabant,
Lætitiam Diuom sensit & ipse locus.
Hic olim statuis urbem decorauit, & orbem:
Nomen habet populus, corpus habet tumulus.

LVI.

AVARI PATRIS ET FILII.

Qui dum uita data est, semper uiuebat auarus,
Hæredi parcens, inuidus ipse sibi,
Hic accumbentem sculpi genialiter arte
Se iussit docta post sua fata manu.
Vt saltem recubans in morte quiescere posset,
Securáq; iacens ille quiete frui:
Filius à dextro residet, qui castra secutus
Occidit ante patris funera mœsta sui.
Sed quid defunctis prodest genialis imago?
Hoc potius ritu uiuere debuerant.

LVII.

MERCATORIS.

L. VALERIVS LABOLAE.

Seu stupor huic studio est, siue est insania nomen:
Omnis ab hac cura cura leuata mea est.

LVIII.

HECTORIS.

Defensor patriæ, iuuenum fortissimus Hector,
Qui murus miseris ciuibus alter erat,

Occubuit

Occubuit telo uiolenti uictus Achillis,
Occubuere simul spesq; salusq; Phrygum.
Hunc ferus Aeacides circum sua mœnia traxit,
Quæ iuuenis manibus texerat antè suis.
O' quantos Priamo lux attulit illa dolores,
Quos fletus Hecube, quos dedit Andromache.
Sed raptum pater infelix, auroq; repensum
Condidit, & mœrens contumulauit humo.

LIX.

ACHILLIS.

Pelides ego sum, Thetidis notissima proles,
Cui uirtus clarum nomen habere dedit:
Qui strauí toties armis uictricibus hostes,
Inq; fugam solus millia multa dedi.
Hectore sed magno summa est mihi gloria cæso,
Qui sæpe Argolicas debilitauit opes.
Ille interfectus subijt me uindice pœnas,
Pergama tunc ferro procubuere meo.
Laudibus immensis uictor supra astra ferebar,
Hostilem preßi fraude peremptus humum.

LX.

ANTENORIS.

Inclitus Antenor, patriam uox nisa quietem,
Transtulit huc Henetûm Dardanidûmq; fugas,
Expulit Euganeos, Patauinam condidit urbem,
Quem tenet hic humili marmore cæsa domus.

LVCRE-

LXI.

LVCRETIAE.

Cùm foderet ferro castum Lucretia pectus,
Sanguinis & torrens egrederetur, ait:
Procedant testes me non placuisse Tyranno,
Sanguis ante uirum, spiritus ante Deos.

LXII.

PORTII CATONIS.

Cerne hic ossa sacri semper ueneranda Catonis,
Libertate potens, animoq; inuictus & armis,
Auius incerto peragrauit tramite Syrtes.
Libertatis enim dulcedine captus amatæ,
Ne sua seruitio premerentur colla tyranni,
Fortia crudeli penetrauit pectora ferro.

LXIII.

IVLII CAESARIS.

Ille hic magnanimus, qui claris arduus actis,
Non timuit generum, nec inertia tela Senatus.
Ne sibi Gallorum raperetur pompa triumphi,
Intulit immitis per ciuica uiscera ferrum.
Vis inuicta uiri reparata classe Britannos
Vicit, & hostiles Rheni compescuit undas.

LXIIII.

OCTAVIANI AVGVSTI.

In Macedûm campis ultus iam Cæsaris umbras
Sum patris, Augustus bello; armisq; superbus.

Nanque

Nanque meos sensit fugiens Antonius enses.
Quantum ingens orbis, quantum Iouis alta potestas,
Tantus in orbe fui, mare trans pontumq; subegi.
Vix cœlum superis, & sidera summa reliqui.

LXV.

PVERI THRACIS.

Thrax puer, astricto glacie dum luderet Hebro,
Frigore concretas pondere rupit aquas.
Dumq; imæ partes rapido traherentur ab amne,
Abscidit heu tenerum lubrica testa caput.
Orba quod inuentum mater, dum conderet urna:
Hoc peperi flammis, cætera dixit aquis.

LXVI.

MILITIS BATAVI.

Ille ego Pannonijs quondam notissimus oris,
Inter mille uiros primus, fortisq; Batauus,
Traiano potui qui uindice, uasta profundi
Aequora Danubij cunctis transnare sub armis:
Immissumq; arcu, dum pendet in aere telum,
Et redit, ex alia fixi fregiq; sagitta.
Quem neq; Romanus potuit, neq; Barbarus unquã,
Non iaculo miles, non arcu uincere Parthus,
Hic situs, hoc memori saxo mea facta sacraui.
Viderit, anne aliquis post me mea gesta sequatur:
Exemplo mihi sum, primus qui talia gessi.

MVLIE-

LXVII.

MVLIERIS INTERFECTAE.

Immitis ferro secuit mea colla maritus,
Dum propero niuei soluere uincla pedis.
Durus & ante thorum, nuper quo nupta cohiui,
Quo cecidit nostræ uirginitatis honos.
Discite ab exemplo Cristinæ discite patres,
Ne nubat fatuo filia uestra uiro.

LXVIII.

MARITAE DEFVNCTAE.

Lugent sibei esse talem ereptam filiam
Mei parentes, & genetrix, germanaq;:
Desinite luctu quæso lacrumas fundere,
In uita sei iucunda, & uoluptatei fuei,
Viro atque ameiceis atque noteis omnibus.
Nunc quoniam fatum se ita tulit, æquo decet
Animo uos ferre, concordesq; uiuere.

LXIX.

MILITVM LEGIONIS QVINT. ET VNDEVIGES. FORTISS. MIL. V. ET XIX. LEG. QVORVM OPERA FORTITER VETERA CASTRA DEFENSA SVNT POLIANDRION.

Huc reduces olim post tempora longa reuersas
Senserat ire Aquilas Legio Vndeuigesima, cuius

Hæc

Hæc ueterum manes castrorum hiberna tuentur.

D. M.

OSSA MIL. V. ET. XIX LEG. CVM
QVINTIL. V. INTERFECT. IVSSV
GERMANICI IMP. HVC COLLATA
QVIESCVNT.

Siquid adhuc manes, cineres, atque ossa sepulta
Mentis habent, uociſq;, iubent saluere reductas
In sua castra Aquilas, felix fauſtumq; precantur.

LXX.

Vt belli sonuere tubæ, uiolenta peremit
Hippolyte Teuthram, Lice Donin, Oebalon Alce:
Oebalon enſe, Donin iaculo, Teuthranta sagitta.
Oebalus ibat equo, curru Donis, ac pede Teuthras.
Figitur ora Donis, latus Oebalus, ilia Teuthras.
Carus Epo Teuthras, Doridi Donis, Oebalus Idæ.
Argolicus Teuthras, Mœſus Donis, Oebalus Arcas.

LXXI.

Almo, Theon, Thyrſis, nati ſub monte Pelori:
Semine diſparili, Laurente, Lacone, Sabina:
Vite Sabina, Lacon ſulco, ſue cognita Laurens.
Thyrſis oues, uitulos Theon egerat, Almo capellas.
Almo puer, iuuenisq; Theon, ſed Thyrſis ephebus,

CALEN-

CALENDARIVM ROMANVM VETVS.

Extat Romæ duobus in locis. In domo Vallarum, quæ est in Circo Flaminio: & in hortulo Angeli Colotij, qui est contiguus domui ipsius in campo Martio.



MENSIS
Ianuar.

Dies XXXI.
Non. Quint.
Dies horarum
VIIIIS.
Nox horarum
XIIIIS
Sol Capricorno
Tutela Iunonis
Palus
aquitur
Salix
Harundo
cæditur
Sacrificant
DIs
Penatibus.



MENSIS
Febr.

Dies XXVIII.
Non. Quint.
Dies horarum
XS.
Nox horarum
XIIIS.
Sol Aquario
Tutel. Neptuni
Segetes sa-
riuntur
Vinearum
superf.
colit.
Harundines
incendunt.
Lupercalia
Parentalia
Cara Cognator.
Terminalia.



MENSIS
Martius

Dies XXXI.
Non. Septiman.
Dies hor. XII.
Nox hor. XII.
Aequinoctium
VIII. Cal. April.
Sol Piscib.
Tutela Mineruæ
Vineæ
Pedamina
in pastino
putantur
Trimenst. seritur
Isidis nauigium
Sacr. Mamurio
Libera
Quinquatria
Lauatio



MENSIS
April.

Dies XXX.
Non. Quintan.
Dies hor. XIIIS.
Nox hor. XS.
Sol Ariete
Tutela
Veneris
Oues
lustrantur
Sacrum
Phariæ
item
Sarapia.





MENSIS
Maius
Dies XXXI.
Non. Septiman.
Dies hor. XIIIIS.
Nox hor. VIIIIS.
Sol Tauro
Tutela Apollinis
Segetes runcant.
Oues tondent.
Lana lauatur
Iuuenci iniant.
Vicea pabular.
secatur
Segetes
Iustrantur
Sacr. Mercurij
& Floræ.

MENSIS
Iunius.
Dies XXX.
Non. Quintan.
Dies hor. XV.
Nox hor. VIII.
Solis instítium
VIII. Kal. Iul.
Sol Geminis
Tutela Mercurij
Fœnificium
Vineæ
occantur
Sacrum
Herculi
Fortis
Fortunæ.





MENSIS
Iulius

Dies XXXI.
Non. Septiman.
Dies horarum
XIIIIS.
Nox horarum
VIIIIS.
Sol Cancro
Tutela
Iouis
Messes
hordiar.
& fabar.
Apollinar.
Neptunalia.

MENSIS
August.

Dies XXXI.
Non. Quint.
Dies hor. XIIIS.
Nox hor. XS.
Sol Leone
Tutela Cereris
Palu paratur.
Messes
frumentar.
item
triticar.
Stupulæ
incendunt.
Sacrum Spei
Saluti
Deanæ
Volcano.



MENSIS
Septemb.

Dies XXX.
Non. Quint.
Dies hor. XII.
Nox hor. XII.
Aequinoctium
VIII. *Kal.* Octob.
Sol Virgine
Tutela
Volcani
Dolea
picantur
Poma
leguntur.
Arborum
oblaquiatio.
Epulum
Mineruæ.



MENSIS
Octob.

Dies XXXI.
Non. Septiman.
Dies hor. XS
Nox hor. XIIIS
Sol.
Libra
Tutela
Martis.
Vindemiæ
Sacrum
Libero.





MENSIS
Nouember
Dies XXX.
Non. Quintan.
Dies hor. VIIIIS.
Nox hor. XIIIIS
Sol Scorpione
Tutela
Deanæ
Sementes
triticar.
& hordear.
Scrobatio
arborum
Iouis
epulum
Heureſis

MENSIS
December.
Dies XXXI.
Non. Quintan.
Dies hor. VIIIL
Nox hor. XV.
Sol Sagittar.
Tutela Veſtæ
Hiemis initium
Siue tropæ
chimerinæ
Vineas ſterc.
Faba ſerentes
Materias
deijcientes
Oliua legent
item uenant.
Saturnalia.

Georgius

GEORGIVS FABRICIVS LECTORI S. D.

VEtustißimam elegantiam, & elegantißimam uetustatem Lector in his tumulis, ni fallor, agnoscis: puri enim & faciles sunt plerique, excepto IIII tumulo Lesbiæ, qui aliquid Catullianum sapit: & duobus alijs, III uidelicet Claudiæ, & XXXVI Elpidis, qui Plautinis numeris feruntur, scripti senariolis, in quibus & forma orationis & scribendi ratio ineſt antiquior. Annotatione autem in his uersibus digna sunt ea, quæ à uulgari consuetudine, uel etiam à uetusto more, quantum quidem ex ijs qui extant, scriptoribus notus est, abhorrent: ut cum genus carminis mutatur, quod fit in tumulo IX Cocceiæ, in XL Pyrallidis, in XLIX Fusci: ubi heroicis passim interponuntur elegiaci. Dictio etiam uersus extrema in alterũ reijcitur, quod in iambicis est apud Ennium & Terentium à doctis obseruatum, & in marmore Romano cernitur, tumuli XXIIII ultimo disticho. Vocales non elidi, alijs consequentibus, Virgilio & cæteris usitatum. idem fit in XLVII tumulo Iuliæ, hoc uersu,

Littore Phocaico pelagi ui exanimatas. & in LIII Egnatij,

Aulus Palateina Egnatius Priscilianus. quo etiam in loco s litera bis eliqueſcit: uocalis autem integra manet, quia Tribus Romanæ nomen, ut ex Asconio

& Seruio constat, poni aliter latinè non potuit. Insolentius & rarius est, duas syllabas breues, aut breuem & longam, loco unius longæ ponere: quod antiquis fuisse in usu, Victorinus Grammaticus testatur, & in primis exempla Comicorum probant. Prioris item generis exemplum est illud Lucretij, quod ex v. Sat. adducitur à Nonio:

Nam si quod satis est homini, id satis esse potuisset.

Item Ennij ex IX. Annal. quod ab eodem affertur:

Sic mulier erubuit, ceu lacte & purpura mista.

Tale etiam est in tumulo XIII Læliæ:

Lælia, tua debent nec benefacta mori.

Posterioris plura inueniuntur exempla: ut in tumulo II Probinæ: Diebus post paucis est comitata suos. item in VI Popiliæ:

Luctuosumq; mihi, qui scio quid fueris. & in X Maturæ: Vnanimi Calpurniano sociata marito. tum in XLVIII Attij:

Cùm fruī debueram ætate, horrida fata negarunt.

Postremò in XLIX Fusci:

Factionis Venetæ Fusco sacrauimus aram. Syllabam breuem poni, quæ præcedit pt, imitatione Græcorum, & antiqua Latinorum cõsuetudine, apparet in tumulo Maritæ defunctæ LXVIII

In uita sei iucunda & uoluptatei fuei.

De quo dictum à me est in libello De ratione cognoscendarum syllabarũ. Hæc, quòd ad numeros attinet: alia

net: alia uerò quæ à scribendi ratione usitata atque communi dissident, & præterea cognoscenda uidentur, sunt illa.

In tumulo III.

Deico.) pro dico.
Paullum.) paulum.
Pellege.) perlege.
Heic.) ubi nunc hîc circumflexè, cùm est aduerbium.
Pulcrai.) pro pulchræ.
Suom.) pro suum.
Souo.) pro suo.
Horunc.) pro horunce.
Abei.) pro abi.

IIII.

In te'st.) pro, in te est.
Ossua.) nunc ossa.
Quoius.) nunc cuius.

VIII.

Cœpsit.) quid sit nescio. In alijs Scæpsit.

XV.

Præcesti.) pro, præcessisti.

XVIII.

Hoc epigramma in Fabrica oppido legitur.
Formonsus.) nunc formosus.

XIX.

Vitæ raptum.) id est, mortem.

XX.

Tuei.) pro tui.

Vetitum'st.) pro, uetitum est.

XXI.

Apstulerint.) nunc abstulerint.

XXXIII.

Eu.) pro heu.

Hoc epigramma non est integrum: in fine enim deest adhuc aliquid.

XXV.

Cuncta'st.) pro cuncta est, more antiquo.

XXXVI.

Legitur in hortis Angeli Colotij.

Quei.) pro qui

Heic.) pro hic, ut antea.

Veitæ.) pro uitæ.

Erodita.) pro erudita.

Pœne.) cum dipthongo in prima syllaba.

Infistæ.) pro infestæ.

Deposierunt.) deposuerint.

Domu.) pro domo.

XXXVIII.

Hoc legitur Comi. in Insubria. Patronæ.) Si non proprium nomen est, uersus claudicat.

XL.

Maistißima.) nunc mœstißima.

Suboles.) pro soboles.

XLI.

In hoc

In hoc syllabarum ratio non est obseruata primo & tertio uersu.

XLIII.

Hoc epigramma repertum Telesiæ.

XLV.

Sequentia duo inuenta in manuscripto.

XLVII.

Vorsum.) pro, uersum.
Ollis.) nunc, illis.

XLVIII.

Hi uersus Heroici Comi leguntur in Insubria.
Clusere.) nunc, clausere.
Sociauimur.) pro, sociabimur.

XLIX.

Hi uersus descripti Dianij in Hispania.

LIII.

Palateina.) pro, Palatina. Nomen tribus.

LV.

Primus in hoc pentameter desideratur.
Diuom.) pro, diuorum.

LVIII.

Tumulos sequentes decem, excepto Antenoris, è libro antiquo descripsi. Antenoris autem, Patauij nunc legitur. Id quod est Lucretiæ, tribuitur Ouidio: quod pueri Thracensis, asscribitur Iulio Cæsari, in eodem libro antiquo.

In hoc

LXVIII.

In hoc ei dipthongus, pro i simplici, in nominibus, pronomine, uerbo, & coniunctione ponitur, ut etiã in aliquot superioribus.

LXIX.

Hi tumuli reperti Hellerenæ, in Hispania.

LXX.

Sequentia duo leguntur sub nomine Hadriani Imp. in manuscripto: ultimum in Sicilienſi marmore repertum, scribit Huttenus.

In Calendario Romano.

Mens. Maius. Iuuenci iniant.)Lapis Colotianus, Iuuenci domantur. Præposuit hos Menses Aldus libris Fastorum Ouidij, sed admodum deprauatè descriptos.

FINIS.

INDEX IN ANTIQVITATES GEORGII FABRICII.

A Achillis tumulus 91
A Acidis tumulus 86
A Actij Epicteti tumulus 87
A Aedificantium lex 23
A Aelij Hadriani libellus 18
P. Aemilij elogium 49
A Antenoris tumulus 91
A Antiquitati omnes plurimum tribuere 4
A Aræ dedicatæ lex 26
A Asculanorum decretum. 48
A Atimeti T. Cæs. liberti tumulus. 69
Blasani Nouij tumulus. 89
Calēdarium Romanum. 97. inde
L. Caminij Camertis elogium. 53
M. Canuleij Zosimi elogium. 54
Claudiæ tumulus. 71
Clodij Fabati tumulus. 75
Cæninenſium decretum 48
Cocceiæ Nice tumulus. 74
Contractus formula. 22
L. Cuſpidij teſtamentū. 5
Decimi Secundini libellus. 21
Decreta XXI. 31. inde
Duûmuirûm decretum. 35. 40
A. Egnatij tumulus. 89
Elogia XIII. 49
Q. Fabij Maximi elogiū 50
Galli Fauonij Cuſpidij teſtamentum. 19

Grunnij Porcelli testamentum 16
Hectoris tumulus 90
Heluidij oratoris tumulus 89
Hipsenij decretum 36
Histonienſe decretum 47
Homonœæ tumulus 69
Instrumentum terminorum inter Genuenſes & Viturios 27. Inter Fouēcularios & Anſurios 31
Interamnatium decretum 47
Ioan. Fichardi laus 3.4
Iuliæ Procillæ tumulus 72
Iuliæ tumulus 73
Iul. Cæſaris decretum 32 contra eundem decretum 31 eiuſdem tumulus 92
Læliæ tumulus 75
Q. Lælij Tiburtini teſtamentum 18
Leſbiæ tumulus 72
Lex ædificantium 23 dedicatæ aræ. 26
Libellus Aelij Hadriani 18 Velij Fidi 19 Fl. Veſpaſiani 20 Decimi Secundini 21
Lucretiæ tumulus 92
Lugdunenſe decretū 45
C. Marij elogium 50
Marcianæ tumulus 75
Maturæ tumulus 74
M. Megonij teſtamentū 12
L. Metelli elogium 49
Mimi teſtamentum 18
L. Munatij Planci elogium 52
Narciſſi tumulus 86
Neapolitanum decretum 43
Octauij Auguſti elogiū 55 tumulus 92
Pedanæ tumulus 73
T. Plautij elogium 53
Cn. Pompeij elogium 51
Popiliæ Feliculæ tumulus 72

Portij

Portij Catonis elogium 49 tumulus 92
Præfecti urbis decretum 34
Probinæ tumulus 70
Romanum decretũ 44. 45. 46
Sempronij Tucidani testamentum 11
Sergij Polensis parasiti testamentum 14
Seruiliæ tumulus 74
L. Sicinij Dentati elogium 52
Suessanum decretum 42
L. Sylonis Sabini elogiũ 52
Teclæ tumulus 75
Testamenta. 5.
L. Cuspidij. ibid. Galli Fauonij Iocundi 10. Sempronij Tucidani 11. M. Megonij 12. Ser. Polensis parasiti. 14. Grũnij Porcelli 16. A. Lælij Tiburtini 18. Mimi. ibidem
Tiburtinũ decretum 43
Tumuli uetusti 69 Mariti uxorib. ibid. Parentes liberis 70. liberi parentibus 79. Altores alumnis 80. Patroni libertis. ibid. liberti patronis 84 matris cum liberis 85 pueri. ibid. puellæ. ibidem. naufragorũ 86 aurigæ 88 auari patris & filij 90 mercatoris. ibidem
Velij Fidi libellus 19
Fl. Vespasiani libellus 20
Zoes tumulus 75

FINIS.

GEORGIO FABRICIO CHEMNICENSI, ET MAGDALENÆ FAVSTÆ, scriptorum carminum nuptialium Libri II.

Adiecimus etiam Epitaphia aliquot, eodem G. Fabricio autore.

BASILEAE, PER IOANnem Oporinum.

IACOBVS FABRICIVS CHEMNICENSIS IOANNI Schulteto, Honstenij, & Lomij Præfecto, S. D.



MOS olim celebris fuit, ut ijs qui fœdere coniugij legitimo iungerentur, priuatis & publicis uocibus gratulationes fierent, & ut fauſtiſsima quæq; amici exoptarẽt. Qui mos ex Eccleſiæ ueteris diſciplina fluxit: è qua quidem bona quæ ſunt, in genus humanum fluxerunt omnia. Tales gratulationes in domo paterna fiunt Rebeccæ, quæ uxor Iſaaci futura erat, ut innumera prole aucta in inimicos imperium & uictoriam obtineret. In uniuerſa tribu Iuda, gentis ſuæ nobiliſsima, ſponſo felicitatem Phares, ſponſæ uerò Rachelis & Liæ fœcunditatem publicis in cõgreſsibus optabãt: nimirũ illud precãtes, ut ex utriuſq; ſtirpe ac familijs Eccleſiæ regnum creſceret atq; ampliaretur. Qui finis matrimonij deinceps in populo Dei, & propter inſtituentis auctoritatem, & ordinis tam præclari obſeruationem, & uerò ipſius rei ſanctimoniã, ſemper eſt habitus ſolennis. Reliqui populi etſi Deum nõ agnouerũt: generis tamen humani conſeruationem ſpectantes, nec diuorum inuocationes omiſerunt, nec aliorũ uota boni

ominis cauſſa non acceperunt cupidè. Vnde θεοὶ γαμήλιοι, καὶ ζύγιοι ſunt appellati, & carmina nuptialia atq; epithalamia multis ſunt decãtata. Hoc aũt tempore, ut prima & uetus conſuetudo reuocata eſt: ita etiam honeſtè atque religioſè uſurpatur. Nam ad arã adduci, Deũ auctorem ſancti fœderis inuocari, teſtem facere Eccleſiam, audirę uerbũ Dei decretũ ſuum cõfirmantis, cognoſcere uocationis ſuæ munus, datis manibus fidem dare & accipere, preces pro incremento Eccleſię fundere, uota fieri aſtantiũ: hæc omnia nemo ſanæ mentis pro rebus habere inanibus poteſt: & certè negare nemo poteſt, tantum ineſſe ponderis bonorum precibus, ut eis nihil ſit neq; efficacius neq; ſalutarius. Id autem norunt ij qui è rebus minoribus faciunt iudicium. Etenim ſi quod aggredientibus negotium bene precamur, & inſtituto gratulamur, & ſucceſsibus gaudemus: quanto magis fieri hoc conuenit in eo propoſito, cuius dux & auctor eſt Deꝰ, quod religio mandat, quod omnes gentes cõprobant, quo carere hominum ſocietas non poteſt? deniq; quod retinendum eſt, donec & oppida, & urbes, & imperia eſſe uolumus? Rectiſsimè igitur faciunt, qui cõiugibus proſpera & ſalutaria comprecantur. Cùm enim uarias moleſtias hoc uitæ genus afferat, amoris eſt, aliorum cauſſa dolore affici: pietatis, mala impendentia coniunctis uotis deprecari:

cari: religionis, Dei præsentiam & benignitatem commemoratione reddere illustriorem. Quæ res & ad confirmandum se se, & ad consolandum alios, & ad Deum celebrandum ampliſsimam pijs animis præbet materiam. Carmina autem, quę nouis sponsis dicantur, cùm plerunq; laudes contineant celebrium personarum: ista quoq; pars utilitatem cum iucunditate coniunctam habet. Aliorum enim scire uirtutes, ingenia, studia, merita, amores honestos, ad imitationē est perquàm commodum: se uerò inter eos numerari, qui laudabilia exempla sequantur, & cōmunem societatem adiuuent, & bonis studijs atque pulchris amoribus afficiantur, non potest nō esse delectabile. Quæ cùm ita sint, cumq; Georgio fratri meo, aliqua nuper & pietatis & honoris gratia offerrentur Epithalamia, elegiæ, odæ, epigrammata: rem ab officio non alienam facturum me putabam, si illa coniunctim ederem, & ad te mitterem præcipuè. Tu enim ante annos triginta literas & pietatem in mea patria cùm docueris, Georgium habuisti tuæ disciplinæ alumnum. quamobrem meritò & in communium uotorum partem, & laudum ipsius societatuem enis: cumque hæc magna ex parte ab alumnis disciplinæ eius sint profecta, tecum communicanda uisa sunt hæc quasi ἀρχηγέμα: quæ uti à suis accepit ille, ita ad te deferri me quasi internuncio

uoluit: neque dubito, quin tibi uiro bono atque erudito uoluptatem ea ſint allatura. Vale. Miſena Hermundurorum, pridie Idus Octobris. M. D. LVII.

IOANNES CLAIVS Herccbergenſis.

Λῆγε δὲ λοιδορέων, καὶ μὴ ὑπερόπτικα βάζων
σὸν κατ' ἔθος σεμνὸς ζώϊλε σκῶπτε νέους.
οὐ γὰρ ἐπιστήμην ἠδ' σὐφίην ἐπιδεῖξαι
βουλόμενοι σφετέραν, τοῦτο γ' ἔγραψαν ἔπος·
ἀλλὰ χαριζόμενοι σφείωνγε διδασκάλῳ ἀνδρὶ
παιδευτῷ, πολλῶν ἵστορι φαβρικίῳ.
ὅς ποτ' ἐλευθερίως αὐτοὺς παίδευσε, παρ' ὄχθαις
ἄλβιδος ἐν λυσῶν ἐνδοκίμῃ πόλεϊ.
τοὔνεκ' ἄρ' οὖν αὐτῷ κλείουσι γαμήλιον ἆσμα,
εἰδότες οἱ πολλὴν, ὡς θέμις ἐστὶ, χάριν.

CARMINVM NVPTIALIVM GEORGIO FABRICIO ET MAGDALENAE Fauſtæ ſcriptorũ Liber primus, continens Epithalamia.

EPITHALAMIVM CHRISTOphori Schellenbergij Annebergenſis.



Væ das Miſniacæ nõ iam noua nomina genti,
Vitiferosq; colis flumen ad Albis agros,
Ciuibus eximijs habitata, nec indiga laudis,
Vrbs regionis honor, Pieridumq; domus:
Nunc age, nunc dignis pompam molita maritis,
Læticiæ iungas uota ſecunda tuæ.
Arbore cinge fores, cultum penetralibus adde,
Gramine ſterne ſolum, ſparge cubile roſis,
Quales mille parit Maius: formoſius ipſo
Vix aliud ſeries annua tempus habet.
Gaudia nũc placeãt. quid enim morer omina, quãdo
Menſe malum Maio nubere uulgus ait?
Vana fides ſacrum certis opus alligat horis,
Vana fides Maio nubere menſe cauet.
Nulla ſuperſtitio connubia noſtra diebus

Astringat certis, det neq; iura thoro.
Iura thoro sanxit mirandi conditor orbis,
Coniugij certos proposuitq; modos.
Diuinæ legi parcto atq; addito uota:
Sic fausum, quod ages, efficit esse Deus.
Auspice se cœptum Christus fortunat amorem,
Et quouis tædæ sacra peracta die:
Cum Christi auxilium uotis ardentibus orat
Sponsus, & inuicta sponsa precata fide.
Talibus auspicijs postquam connubia fausta
Sperauit summi mens ope freta Dei,
Votaq; Fabricius geminat penetrantia cœlum,
Audijt, & iussit spem Deus esse ratam.
Ipse uiro legit præstantem laude puellam,
Cui poterat nusquam carior ulla legi:
Seu quis ab Aurora uelit Herculis æquora, siue
A' media medium quærere nocte diem.
Quanta Dei bonitas, mortales quantus in omnes,
Solliciti in sobolem ceu patris, extat amor?
Quamq; laboranti curat bene commoda uitæ,
Quàm, quod agit, miris transfigit omne modis?
Sæpe quis huc illuc curæ dum fluctuat æstu,
Consilij dubio pectore pendet inops,
Quid faciat, quam speret opem, quæ uota sequatur,
Quæ sit habenda uxor, quo sit alenda modo.
Cui pater omnipotens largè dum prospicit, ipso
Euentu rerum se probat esse Deum.

Sæpe

Sæpe quis amplexu non delectatus honestæ
Coniugis, austerum uiuit, & alta sapit.
Cui simul ac rigidam mutarunt numina mentem,
Cum socia castum gaudet inire thorum.
Sæpe sibi nullas ausus promittere tædas,
Fit sponsus, tædis prospiciente DEO.
Vix tum nascentis posito fundamine mundi,
Possedit Tempe cum noua primus homo,
Quæ nondum pluuiæ, sed ab uno fonte rigabat
Tigris & Euphrates, cumq; Gehone Phison,
Non aliquam sperans Euam, neq; conscius ipse
Pronuba quid ferret tæda, quid esset amor,
Solus erat, nec tum muliebris nomina sexus
Nouerat, ignotæ nulla cupido rei.
Sed curæ DEVS unus erat, DEVS una uoluptas,
Gaudebatq; noui regna tenere soli.
Si quid præterea, quod erat sibi dulce, petebat,
Terra recens ipsi gaudia mille dabat.
At simul ante suas facie pulcherrima uultus
Constitit, è costa facta uirago sua,
Atq; decus thalami discit, legesq; pudoris,
Oblatæ subito coniugis igne calet.
Iam nihil excepto per totum numine mundum,
Tam carum fuerat, quàm fuit Eua uiro.
Non uacuo dormire thoro, non amplius horti,
Quantumuis læti, gaudia solus amat:
Sed dulcem sociam cupidis amplectitur ulnis,

Et colit, & ueluti propria membra fouet.
Sic neq; Fabricio licuit prius esse maritum,
Quàm data diuino munere nupta fuit.
Non in corde rigor, non ignorantia iuris,
Nascendæ fecit non graue prolis onus.
Vt sociale iugum multos differret in annos,
Cautior est sero tempore cœptus amor.
Quæ præmaturis caluerunt pectora flammis,
Ante diem fessæ destituere faces.
Parendumq; DEO est, & eò, quò monstrat, eũdum:
Qui pius es, nusquam, uel duce perge DEO.
Hoc duce Fabricius tantisper tendere cœpit,
Dum tenuit metam, quò sibi cursus erat.
Mandauitq; uiam CHRISTO, uitæq; labores,
Et curam thalami, coniugijq; statum.
Antè uidebatur felix in cœlibe uita,
Cum Deus hunc uellet uirginitate frui:
Nunc ubi diuersum monuit Deus, annuit ille,
Viuendiq; nouum cœpit amare genus.
Haud mora, propositum fatis autoribus urget,
Atq; suo dignum quærit amore thorum.
Hîc inhiant alij lucro, uenantur & aurum,
Et magnas auido corde sequuntur opes.
Formam alij tantum spectant, sine nomine uirtus
Lethææ fluctu pressa tacetur aquæ.
At famulãtur opes, & forma pediſſequa tantũ est,
Quæ sub uirtutis sede premuntur heræ.

Qui

Qui sibi præ domina seruas uirtute priores
Expetit, ah miseri seruus amoris erit.
Nam nimiæ comes est plerunq; superbia formæ,
Hinc formosa uirum fœmina sæpe fugit.
Diuitiæ reddunt animos plerunq; feroces,
Inde suo locuples imperat uxor hero.
Quò leuis ibit amor? stupido quid pectore uoluet,
Cui tantum cordi formaq; dosq; fuit?
Degeneris patienda feret fastidia formæ,
Et post exhaustas tristis egebit opes.
Qui sacra non tractant digno connubia cultu,
Eueniat stolidis ista querela procis.
Non lucra Fabricius captat, formam'ne caducam,
Pro nihilo uates hæc generosus habet.
Forma placet, si sit pietas coniuncta, pudorq;:
Hinc amor in casta mente perennis erit.
Cùm petijt sponsus te Magdalena, tuarum
Virtutum & generis mentio prima fuit.
Quale decus morum, quibus orta parentibus esses,
Absq; alijs coràm testibus ipse uidet.
Dumq; tuam patriã multos tenet hospes ad annos,
Sanxit amicitiæ cum patre iura tuo.
Quem uirtus, æuoq; fides rarissima nostro,
Esse facit carum, nec sine laude uirum.
Protinus acceßit uitæ coniunctior usus,
Vnaq; Faustum habuit Fabriciumq; domus.
Mensa epulati unà, diuerso munere functi,

Sed

Sed tamen unius præses uterq; scholæ.
Hic docet Aoniam pubem, uictum ille ministrat:
Saxonicoq; fidem præstat uterq; Duci.
Quàm bene coniungent affinis fœdera tædæ,
Qui curant uni commoda iuncta scholæ?
Mutua sic longo uirtus ubi proditur usu,
Firmus in alterno pectore creuit amor.
Mox ut Fauste tuus gener esse Georgius optat,
Tu simul optabas illius esse socer.
Hæc quia diuino tentanda fauore fuerunt,
Numina consulitis, crebraq; uota datis.
Nubilis interea dum sese filia Fausti,
Sæpe offert oculis clare Poëta tuis,
Sat tibi forma decens uisa est, & gratia uultus,
Et qui uirginea fronte sedebat honor.
Censuram speciosa tuam minus ora morantur:
Tu melius cernis, iudiciumq; facis,
Quàm Phrygius fecit pastor, cum monte sub Ida
Splendida Diuarum contulit ora trium.
Interiora tuo penetras examine cordis,
Tu moresq; notas, ingeniumq; probas.
Prima fuit uirtus Pietas, qua sponsa fauorem
Præcipuè cœpit conciliare tuum.
Cui nihil in uita prius est, quàm nomina nosse
Sancta Dei, & sacris discere scripta libris,
Assiduasq; preces saluanti fundere Christo,
Iustificamq; pio corde tenere fidem.

Hinc

Hinc ſpecimẽ præbet, quàm nata ſit indole pulchra,
Quàm genitore graui, quàm genitrice pia:
A' quibus accepit diuinæ dogmata legis,
Et didicit mores ſemper amare bonos,
Ipſa uicem reddens meritis gratiſſima tantis,
Et patris & matris nititur eſſe decus.
Diligit hos tantum, quantum ſe diligit ipſa,
Et colit, & magna ſedulitate fouet.
Sæpius ipſorum iuuat indefeſſa labores,
Nunc alacri dignum uirgine munus obit.
Si doluere ægri, uel decubuere parentes,
Vel quodcunq; graues triſte tulere dies:
Filia, quæ pietas eſt illius, anxia duros
Et timet euentus, & dolet ipſa ſimul.
Mox animum reuocans, triſtem ſolamine caſum
Quærit, & intrepida uoce leuare malum.
Conſulit in medium, uigilat ſimul, aßidet unà,
Alloquitur dictis ingenioſa ſuis. (quis,
Nec minus agnatis bona, nec minus æqua propin-
Illius promptam res ubi poſcit opem.
Aſſuetum exercet facilis tolerantia corpus,
Et peragit uarias impigra uirgo uices,
Apta domus cuſtos, & curis pluribus apta,
Sponte ſua ſtudium præſtat ubiq; pium.
O' pietas, accepta polo, uenerabilis orbi,
O' ſine qua nullum gloria pondus habet.
Fama cui ſanctæ tribuit pietatis honorem,

Optæ

Optanda hoc solo nomine uirgo foret:
Ni plures aleret generoso pectore dotes,
Corda quibus sponsi captat amica sui.
Virtutum summus pudor, & dos optima matrum,
Quas magis, ac digitos aurea uincla, decet.
Qui magis est decori, quàm purpura picta puellis,
Ipsius nunquam cedit ab ore pudor.
Emicat ingenuo præclara modestia uultu,
Nil deforme habitus, nil leue gestus habet.
Lumina figit humo, post se non iactat amictum,
Mobile nec nutu uibrat inerte caput,
De generis ritu turbæ, quæ (turpe) cachinnum
Ridicula capitis mobilitate ciet:
Vt solet, eloquium si cui natura negauit,
Cùm profert nutu, quas nequit ore, notas:
Aut ueluti frontem commota uentilat ira,
Cùm fera crabronum spicula sensit equus.
Fastus ab hac procul est, procul est petulantia lin-
Pectora fucatæ nescia fraudis habet. (guæ,
His ubi Fabricius sponsam uirtutibus auctam
Sensit, ad hanc ipso numine fertur amans.
Hanc admiratur, probat hanc ex omnibus unam:
Dumq; recens uotum, dum noua flamma fuit:
Quandoquidem, dixit, uis me quoq; ducere nuptã,
Si non hanc, similem da mihi Christe, precor.
Vox rata fit, firmatur amor, pia fœdera fiunt,
Traditur eximio culta puella uiro.

Hunc

Hunc quid laude ueham prolixa? ueſper & ortus
Inclyta Fabricij nomina uatis habent.
Quem Germana canit tellus, quo ciue ſuperbit
Fundatum à magno Cæſare Chemnicium,
Vrbs doctis populoſa uiris: quid cætera namq;
Ingenijs referam nomina clara ſuis?
Fabricij uates faciunt, uatesq; Siberi,
Clarus ut iſtius ſit magis urbis honor.
Verùm priuatæ decora inter cætera uitæ,
O ſat in hoc felix Fabriciana domus,
Quòd ſummo ingenio, magna uirtute decoros,
Germanos fratres quattuor una tulit:
Aonidum quibus unus amor, quibus omnibus artes
Docta Minerua ſuas, carmen Apollo dedit.
Fratribus exemplo eſt, anteitq; Georgius, annis
Atq; uſu rerum maior, & arte prior.
Cui palmam ſtudij fratrum non inuidet ullus,
Quin ipſam pro ſe quiſq; referre ſtudet.
Fabricius ueteris uix cedit uatibus æui,
Prouocat ingenio tempora noſtra ſuo.
Dignior haud quiſquam fuerit Parnaſside lauro,
Nemo tamen poſcit laurea ſerta minus,
Quàm pius hic uates. alit huic Polyhymnia uenam,
Atq; docet carmen pangere mille modis.
Ipſius uariè reſonat lyra: plectra Poëtis
Singula ſunt alijs, omnia Fabricio.
Gratior hic Chriſto, Chriſtũ quia carmine laudat:

Carior

Carior hic nobis est, quia dulce canit:
Quale sonant niuei per stagna Caystria cygni:
Quale tibi cecinit Sulmo celebris olor.
At te nos alijs opponimus optime uates,
Nomina qui nobis ingeniosa negant.
Viue diu, felixq; tuis Hermundure Musis,
Viue Deo, patriæ gloria uiue tuæ.
Multa tibi debet Princeps, & Principis urbes,
Dum præstas operam recta docendo piam:
Dumq; gerens isthic illustris sceptra Lycæi,
Iam post undecimæ tempora messis agis:
Proh tua quot quantasq; gerit solertia curas?
Quàm te difficili munera mole premunt?
Tu tamen obnitens inuicto robore contrà
Surgis, & impositum fers toleranter onus:
Officiumq; probas cunctis, operamq; benignam,
Et cum doctrinæ dexteritate fidem.
Ardua cura scholæ, grauis est cultura iuuentæ,
Maximus est animos erudijsse labor:
Aere labor nullo, nullo pensandus & auro,
Tædia plura capit, præmia pauca refert.
Nam quæ Fabricius meruit, quis conferet ipsi?
Quis dignas Musa suppeditabit opes?
Ipse tamen paruo contentus, pectore grato
Officij precium fert mediocre sui.
Numinis in laudes, studiosæ in commoda pubis,
Non lucri studio munus alacre facit.

Grande

Grande scit esse lucrum, Christo seruire uocanti,
Qui dabit officijs præmia digna pijs.
Hac spe Fabricius tanto sudore iuuentam
Erudit, & pueros, ut pater alter, amat.
Et quas ipse docet, uirtutum exempla suarum
Exhibet in sese, discipulisq; probat.
Suaue decus morum, facilis grauitatis honorem,
Et castæ uitam sobrietatis amat.
Ipse ego dum tota trieteride, sede sub una
Illius lateri iunctus alumnus eram,
Non unquam Baccho uidi titubare Poëtam,
Pectora miratus numine plena Dei.
At quibus ebrietas uersus ad pocula fundit,
Carmina qui laudant non nisi tincta mero:
Non pia Musa, sacer non his aspirat Apollo,
Nec uenit ætherea talis ab arce furor.
Ille preces inter sanctas sua plectra capesit,
Et dictante Deo carmina sacra facit.
Non famam fragilem populari captat ab aurá,
Non quærit titulos ambitione leui.
Comis in ore pudor, dulces in uoce lepores,
Rectus in ingenio simplice candor inest.
Singula quis referat grauis ornamenta poëtæ,
Vix quoq; Solstitij commemoranda die?
Quæ coram, felix hoc Magdalena marito,
Tu melius spectas, quàm mea Musa refert:
Hæc non, ut caneret dignè præconia sponsis,

Venit, opus maius uiribus ausa suis.
Sed gratans hilari socialia gaudia plausu
Coniugibus castis, candida uota daret.
Ergo pijs sponsis thalami gratamur honorem,
Numinis orantes omnipotentis opem.
Copula sit felix, qua Magdalena Georgi
Iuncta tibi, stabili præstet amore fidem.
Tu foueas carnemq; tuam, tuaq; ossa, uicissim
Te coniunx animam sentiat esse suam.
Tecum oret, laudetq; Deum, tecumq; laboret:
Quodq; tibi placuit, sentiat uxor idem.
Ipse autor thalami, qui tædis adfuit olim,
Cùm miro facto se probat esse Deum:
Conuiuam mirata Deum, cum dulce Falernum
Versum è fontanis Cana bibebat aquis:
Numine propitio connubia uestra secundet,
Sit præsto uobis, & sua dona ferat.
Det uictum facilem, det egenti cætera uitæ
Dona, beet uestram prole frequente domum.
Dulce patris nomen capias, quo quisquis abhorret,
Inuisæ nomen posteritatis habet.
Impiger exemplo seruanda in prole colonus
Sit tibi, pomiferam qui bene plantat humum,
Quem cum deficiunt exhausto robora fœtu,
Educit stirpes traduce fronde nouas:
Sic decet ad sobolem traducere germen auitum,
Et patrium nati crescere prole genus.

Hoc

Hoc erat, omnipotens hominem cur cõderet autor,
Cur plenum uellet gentibus esse solum:
Scilicet è cunctis sanctum legeretur ut agmen,
Quod uerum nosset diligeretq; Deum,
Laudaret, coleret, soli confideret ipsi,
Denique cum Christo scanderet astra duce.
Talem coniugij finem cũm nuptaq; uirq;
Cogitet, & uoto poscat uterq; suo,
Opto eadem sponsis, uno simul ore precatus
Atq; animo, nostras accipe Christe preces.

IACOBI FABRICII
Chemnicensis.

HVc ades humanæ Deus alme propaginis au-
Vnde gerũt ortus uir mulierq; suos: (ctor,
Christe ueni, casti tu conciliator amoris,
Huc sacer appropera Spiritus igne tuo:
Est noua nupta pio iam deducenda marito,
Has tua commoueat pronuba dextra faces.
Absq; Deo non est sponsam sibi ducere tutum,
Absq; Deo quouis nubere mense malum est.
Oratum uenio, cupidis Deus annue uotis,
Pro meritis fas est soluere uota tibi,
Mansurum tepidis aspira cordibus ignem
Copulet unanimis pectora bina fides:
Nuncius incœpto præsit diuinus amori,
Læta ferens nuptæ nuncia, læta uiro.
Missus eat, qui Saraidæ, natiq; Tobiæ
Coniugio ardentem prætulit antè facem.

Accelera gressus rutili pars inclita cœli,
Cumq; meo Raphaël perfice fratre uiam.
Non ignotus eris, uestigia sæpe secutus
Est tua, diuersis te præeunte locis.
Te comitante sacras primùm deductus ad artes,
Chemnicium patriam dulce reliquit humum.
Te comitante etiam Latij peragrauit amœni
Oppida, per terræ, perq; pericla maris.
Vitiferam Rheni lustrauit te duce ripam,
Te duce in Albiacam peruenit inde scholam.
Hîc ubi quotidie mitti te cœlitus orat
A' Christo, teneri est cui sacra turba gregis.
Ergo sancta Dei mandata capesse minister,
Atq; tuo propera more uenire comes.
Magdalena bonas inter celebranda puellas
Pectore costa, grauis moribus, ore decens,
Filia laudati Misnæ lectissima ciuis,
Matre pia genita est, & patre nata pio.
Nam quòd erat mater nulli integritate secunda,
Hinc tantùm ueræ filia laudis habet.
Ipse parens Faustus, cùm religionis amore,
Tum multi officij laude probatus homo est.
Est aliquid cultis uirtute parentibus ortum,
Sed maior propria laude paratur honos.
Qualis in Eoa gemma est, Indoq; lapillo,
Talis in hoc castæ uirginis ore nitor.
Nec decus est oris maius, quàm gratia morum:
Omnibus est animi nam cumulata bonis.

Hanc

Hanc cœpit licitis ardere Georgius ausis,
Et uitæ sociam uult, & habere precum.
Huc comitare illum, natum uelut antè Tobiæ,
Cùm peteret Saræ gaudia blanda suæ.
Fallor, an ipse Deus celeri dat iussa ministro,
Vt faciat uoti magna petita mei?
Annuit, & fratri iam pronubus Angelus astat,
Coniugijq; ratam spem facit esse noui.
Annuit inde parens, & uultu uirgo pudico:
Quod Deus atq; parens uult, ait, ipsa uolo.
Prima Deus tibi pars in re consultor agenda,
Altera pars illis qui genuere datur.
Res autore Deo quæcunq; incepta iubente,
Successum propter iussa uolentis habet.
Nunc igitur uitam grator tibi sponse iugalem,
Plus mihi fraterna semper amate fide.
Cara Deo pietate sua tibi contigit uxor:
Hæc potior gemmis diuitijsq; tibi.
Non auro probitas, nec morum gloria uenit,
Dotalis uerè est ipse corona pudor.
Vnio ut obryzo fulget Gangeticus auro,
Sic erit in casto gemma marita sinu.
Vt flauos cingunt genialia serta capillos,
Sic collo nectet brachia grata tuo.
Ver agit illius iucundum nubilis ætas,
Hìc satia dulci pectus amore tuum.
Sic tuus hac ornatur honos, decorantur & anni:

Vt uiret expansis arbor amœna comis.
Illa preces fundet socias, & perferet illa
Dimidiumq; mali, dimidiumq; boni.
Deserit Amramidem Iethronis nata maritum,
Et uiduum longas sustinet ire uias,
Dum numerose tuis ripis te Nile frequentat,
Corde premit populi dum male dicta sui.
Dum fert immensas curas instante tyranno,
Et gentem ducit per uada rubra Dei,
Vxor abes: uerùm post tot discrimina tandem,
Afflicto reddis teq; tuosq; uiro.
Non ita Thariadæ clari facit inclita coniunx:
Illa uale patriæ dicit, & illa suis.
Quod littus ferit Euphrates, & Tigridis unda
Linquitur, estq; uiro fida marita comes.
Non ita pulchra Labane Rachel parente relicto
Deserit in uacuo te Iacobe thoro:
Sed socia ipsa uiæ constans, consorsq; laborum,
Cum caro exilium coniuge sponte legit.
Sic te fixa tuo lateri sectabitur uxor,
Et sortem tecum fortis utramq; feret.
Vtiliter uires iunguntur mole grauatis,
Dulcior est socio cum tolerante labor:
Sic quodcunq; mali fuerit, stat mutuus ardor,
Ipse geris curas illius, illa tui:
Gratia danda Deo, qui munera talia confert,
Et sua tot meritis suauia dona facit.

Talibus

Talibus & quì te clementer dotibus ornat,
Præbeat augendo pignora multa thoro.
Vitis uti pendet lætis redimita racemis,
Pinguia mox pleno musta datura lacu:
Sic tua te faciat non infœcunda parentem
Nupta, domus soboles occupet omne latus.
Non secus ac teretis stat fertilis arbor oliuæ,
Sic mensæ aßideat turba tenella tuæ:
Turba tenella, suum quæ noscat dicere Christum,
Quæ pars ætherei fiat amata chori.
Quis sibi Caino similem, Absoloneq; prolem,
Non toto lachrymans palleat ore dari?
Tempora longæuæ numeres felicia uitæ,
Ante tuos perstent gaudia plena pedes,
Natorum uideas natos, Ecclesia Christi
Sit tua, non ulli uituperanda, domus.
Nunc dicenda etiam sunt uerba precantia frater
Pro te, proq; tua coniuge uota feram.
Verùm sponsa prius tibi grator, & opto salutem,
Connubiale tibi quò bene tempus eat.
Non es nacta uirum pulchræ uirtutis egentem,
Nec daris in rigidum blanda puella thorum.
Relligiosa pio nubis, morata modesto,
Cuiq; uiros celebres inter habetur honos.
Nempe tibi laudes atq; ornamenta parabit
Fabricius, modicum cui satis atq; suum est.
Sed tibi quantumuis cupias, laudare maritum

Me uetat, ut ſocium ſanguinis, ipſe pudor.
Non caret ipſe Dei donis felicibus, illa
Rectius alterius grata Camœna canet.
Ad dulces Muſas quos duxit, plectra mouete:
Reddite quæ uester dona magiſter amat.
In uos illius mentem celebrate paternam,
Officij nec ſit gratia lenta pij.
Nam ſic promeruit pulcherrima quæq; docendo:
Profuit admonitu pluribus ille ſuo.
Felix quæ primis te iungis amoribus ipſi,
Felix qua cultum duceris in thalamum.
Gaude ſiquando numeroſus uagiat infans,
Et tua ſuſcepta prole ſtet aucta domus.
Quàm bene conſuluit teneræ tot lustra iuuentæ,
Tam bene, crede mihi, conſulet ille ſuis,
Tam bene componet mores creſcentibus annis,
Doctrinæq; ſuos non ſinet eſſe rudes.
Non ſecus ac latis arbor ſpacioſa lacertis,
Sucreſit fructu multiplicata ſuo,
Quam circum trunco minor aſsita ſurgit ab imo,
Atq; ſuas uires ſole refecta capit.
Illa uiret primò, mox frondes induit aptas,
Et iam ſit pomum quale datura docet:
Sic qui naſcetur tali genitore magiſtro,
Proferet ingenij ſigna probanda puer.
Tentabit patrias artes, & carmina ludet,
Matre monente domi, patre docente ſchola:

Illaq;

Illaq; dum patriam pertentant gaudia mentem,
Immemor officij non erit ille sui:
Inq; alios similemq; animum, similemq; fauorem
Concipiet, quorum nunc uaga corda regit.
Quos quāuis amat, & doctos cupit, atq; modestos,
Hic tamen in patrio pectore crescet amor.
Multæ illi matres, multiq; precantia patres
De natis merito tam bene, uerba canent.
Sed pia quandoquidem uobis sententia constat,
Atq; illam cupidè publica uota probant,
Consentitq; Deus: sperata precamur utriq;,
Et canimus parilis fœdera iuncta thori.
Non melius uites ulmis sociantur, ut ipsi
Non ita cum miti compare turtur auis.
Sic tibi Labanis cara est olim Isacc pacta,
Isacidæq; Rahel, Saraq; Thariadæ.
Non hîc præcipuè facies spectatur, & aurum:
Sed uirtus, & cum simplicitate pudor.
Confer opes, & da Iesabelis regna potentis,
Absq; una dederis nil pietate mihi.
Formosus satis est iuuenis, quem sponsa probauit,
Sponsa bonis animi nobilitata sui.
Et siqua est simplex, & rustica sæpe uocatur,
Pulchra sat est, sponso si modò uirgo placet.
Vos minimè agrestes, & non sine numine iuncti,
Non sine quod restat perficitote Deo.
Hic repetit grates, bene perpetuoq; merendo

Materiam grandem suggerit ipse precum.
Sancta decent omnes, sanctum seruate cubile,
Atq; hæc uota omni tempore ferte Deo.
Legitimi castiq; Deus caste auctor amoris,
Qui genus hoc uitæ connubiale probas,
In quo diuini lucet scintilla fauoris,
Inq; homines mentis dulcis imago tuæ.
Gratia magna tibi, qui nos hoc fœdere nectis,
Fœdere quod nullus soluere possit homo.
Da precor illius per te traducere uitæ
Tempora, cum precibus, cumq; timore tui.
Nos hæc edoceat socij coniunctio lecti,
Verus amor nobis quiq; duobus inest,
Quàm maior multo longeq; potentior ardor
Ille tuus, nectat pectora nostra sibi.
Nam quod in humano laudabile corde relictũ est,
Maius in immenso est splendidiusq; Deo.
In te perpetuos Ecclesia sentit amores,
Nostra tuo longè lingua fauore minor.
In nobis restat pars exiguissima lucis,
Et signum ardoris flammula nostra tui est.
Hanc non extingui patiaris, luceat illa
In thalamis nostris, admoneatq; tui.
Hæc nobis de te solatia certa ministret,
Et leuius faciat, quod premet, omne malum.
In placido duret concordia firma cubili,
Vnanimi decus est uiuere grande thoro.

Vt

Vt populator abit Raguelis ab æde fugatus,
Sic etiam à noſtro limine pulſus eat.
Nec detrectantis noceant uaga iurgia linguæ,
Quæ fletu Saræ ſæpius ora rigant.
Nil homicida ſatan crudelibus ingerat auſis,
Nil faciat dictis aſpera ſerua probris,
Quiq; poteſt Raphaël ſarcire domeſtica damna,
A læſis medica non procul abſit ope.
De nobis uerò genitis Eccleſia ſurgat,
Creſcat militiæ turba puſilla tuæ.
Filius à teneris annis, à uirgine nata
Proferat ore preces, diſcat amare Deum.
Interea quodcunq; mali eſt oneriſq; ferendum,
(Hoc uitæ ut non eſt abſq; dolore genus)
Ferre doce, qui ferre iubes: patientia uinci
Nolit, in aduerſis nixa fauore tuo.
Hæc ſi uota Deo, uel ſi meliora feretis,
In ueſtra cernam non niſi fauſta domo.
Sic pia ſucreſcet ſoboles, creſcetis & ipſi.
Sic maneat uobis gratia læta Dei.

IACOBI STRASBVRGI Fribergenſis.

PRopoſiti dux Chriſte mei, qui grata magiſtris
Pectora, pro meritis officioſa, probas:
Senſibus æthereum noſtris immitte calorem,
Vt mea ſit felix numine Muſa tuo.

Non

Non graue Martis opus, non aspera bella canemus,
Magnificas Cœsi non referemus opes.
Vt decet, esse dato uolumus pro munere grati,
Votaq; legitimo ferre secunda thoro.
Fabricius Clarij decus admirabile cœtus,
Cum sponsa templum uirgine sponsus adit.
Illius adducam castos Hymenæon ad ignes,
Vt bene qui cæpit, sit diuturnus amor.
Addidimus thalamis gratantia carmina multis,
Nostra peregrinis Musa parata fuit.
Et meus autoris nunquam labor ornet honorem?
Ille magisterij præmia nulla ferat?
Ista rudes feritas uix est audita per Indos,
Et mores deceat barbara uita bonos?
Sancte Deus, sancti dignissime fœderis auctor,
Quo duo coniungi, fœmina uirq;, solent:
Caste parens, socij fer uincla iugalia lecti,
Corpora iunge duo, pectora iunge duo.
Casta patris soboles, & homo, non respue dici
Hospes, & hæc aditu festa probare tuo.
Caste Dei flatus, Patris Natiq; potestas,
Vnanimes castis ignibus ure thoros.
Coniugium meruit concors, & pace beatum,
Fabricius sacri gloria summa chori.
Ille puer quondam placidissima castra secutus,
Venit ad Aonias patre iubente Deas:
Venit, & este mihi faciles placidæq; sorores,

Dixit,

Dixit, ego castè numina uestra colam.
Dixerat ad Musas, quarum dignissima soluit
Protinus Vranie talibus ora sonis:
Sint rata uota puer, tibi ducere molliter æuum
Det DEVS, & Pylij fata referre senis.
Si mens arguitur uultu, nisi fallit imago,
Nescio quid tectæ nobilitatis habet.
Non est pigra tibi, non est inamabilis ætas,
Aucta bonis animi, corporis aucta bonis.
Alite felici studijs incumbere tantum
Perge, nec incœptum desere laudis iter.
Si qua fides nostris aut uis est artibus ulla,
Si generis non sunt nomina ficta mei:
Hinc procul externas urbes populosq; uidebis,
Quæq; tot Ausonio sunt monumenta solo.
Nec merces ingentis erit tua parua laboris,
Magna tibi ueniet gloria, grande decus.
Iam uerò patrias quando remeabis ad oras,
Albidos ad uirides hinc reuocatus aquas,
Inter honoratos claro fulgebis honore,
Fulget ut astrorum Lucifer ante choros.
Sæpe tibi ponet furtim lasciua Cupido
Vincula, consilijs insidiosa tuis:
Nec blando tua mens inuicta uacabit amori,
Artibus Aonidum dedita tota sacris.
Tela tamen pueri, sæuos patieris & arcus.
Cùm dabis ipse tuas uincla sub ista manus.

Felix

Felix illa quidem quam tu dignabere tæda,
Et pater ex cuius corpore factus eris.
Sed neq; deformis,neq; rustica moribus uxor,
Ibit in amplexus uirgo decora tuos.
Stat Venus æqua tuo,stat Iuppiter æquus amori,
Oppositq coëunt nata parensq; gradu.
Et nisi coniugij me pronuba sidera fallunt,
Septena cœli conspicienda domo:
Ipse tuos undam gelidissimus Albis ad ignes,
Ipse dabit curis gaudia læta tuis.
Hîc ubi uirgo tibi teneros adolescet in annos,
Inq; tuos quondam crescet itura thoros.
Dixerat Vranie.rarò præsagia fallunt,
Arcano cœlum numine si qua dedit.
Fabricius sacras igitur procumbit ad aras,
Cumq; pia sanctum uirgine fœdus init.
Virgo,tuo gaude Domino,lætare marito,
Qui nullo ueræ laudis honore caret:
Siue bonæ spectas pueriles indolis annos,
Tempora siue placet posteriora sequi:
Nulla fuit uitæ pars segnis:nulla per imas
Prorepens sordes non in honore fuit.
Insomnem,fructus spe consolante,laborem
Sustinuit studijs inuigilare pijs.
Egregios a nimos labor arguit ocia turpes:
Proditur ingenij sedulitate uigor.
Vix bene factus erat iuuenilibus integer annis,

Natali

Natali patria cùm procul iuit humo.
Flumina Miſniacas duo ſunt celebrata peroras,
Albis, & exigua lenis Eliſter aqua.
Proſilit Aonij de riuo fontis uterq;,
Aonij uires fontis uterq; refert.
Qui bibit inde, ſapit: iuuenes accurrite, laudum
Quos ſitis ulla mouet: qui bibit inde, ſapit.
Fabricius ſacras etiam dum uixit ad undas
Pocula diuino nectare miſta bibit.
Sed neſcit paruo concludi limite uirtus,
Alta petens, humilem non amat illa locum.
Ergo piniferas cupidè reptare per Alpes
Optat, & ad gentes Auſonis ora tuas.
Non tantum uario commutet ut aëra cœlo,
Ceu facit ignotas grus reditura uias:
Sed probet ut patrios alijs, uelut indice, mores,
Et multa celebres audiat arte uiros.
Hoſpitijs igitur Muſarum clara frequentat
Sæpius, & Clario digna Lycea choro.
Eius Medoacum uirtus florebat ad amnem,
Grandeq; Troiana nomen in urbe tulit:
Quæ Phrygijs opibus, triplici firmiſſima muro,
Nunc Antenoreis ampla ſtat auſpicijs.
Cæſar in hanc Rufæ dictus cognomine barbæ,
Tranſtulit abductas ex Helicone Deas.
Scilicet illa fuit bene Cæſare digna patrono,
Iliaco primùm quæ duce cœpit opus:

Quæq;

Quæq; tuum Liui dignißime fouit honorem:
Liuia nam tibi gens nomen opesq; dedit.
Tanta uiris quondam fuerat reuerentia doctis,
At nunc ingenijs gloria talis abest.
Non alit hæc ætas patriæ ſua pignora ciues,
Externum foueat ſumptibus illa decus?
Virgo tuo gaude Domino, lætare marito,
Qui nullo ueræ laudis honore caret.
Hac igitur uiuens celeberrimus hoſpes in urbe,
Doctrinæ uarias accumulauit opes.
Sæpe quis hic mores eius, uitæq; uigorem
Vidit, & ingenij conſcia ſigna pij:
Vidit, & inuidit tantum Germania ciuem
Ille tibi, ciuem maluit eſſe ſuum.
Nec Phrygiæ tantum uirtus hæc nota paleſtræ,
In reliquis etiam claruit illa locis.
Nobilis urbs latis colitur Ferraria campis,
Qua non ad ripas pulchrior ulla Padi:
Delius hîc ſua ſacra tulit, cætusq; Dearum
Fertur in hanc artes depoſuiſſe ſuas.
Saxonicis ducibus materna ab origine iuncta,
Imperium Eſtenſis gens uetus eius habet:
Hîc quoq; Fabricio clarorum docta uirorum
Nomina cum ducibus noſcere cura fuit.
Proxima Felſimiam poſtquàm uia duxit ad urbem,
Quam paruus placida Rhenus inundat aqua,
Excipitur, patriæq; ſimul chariſſima terræ

Agnoſcit

Agnoscit ueteri nomina nota fide.
Carus ubi summis, minimis uenerandus amicis,
Dignus amore fuit, dignus honore fuit.
Doctrinæ sedes est ampla Bononia, quondam
Illa Theodosio Cæsare facta potens.
Affluit ingenijs, patet omnibus hospita terris,
Vtraq; quas celso despicit ursa polo.
Nec decus hoc nostrum turrita Perusia nescit,
Excelsas propter nobilitata domos.
Hîc quoq; laurigeræ choreas duxere sorores,
Et multus studijs est cumulatus honor:
Blanda sed inuidit Mars impius ocia Musis,
Omne manu uiolans sæua per arma sacrum.
Intrauit Graias Pelopëia mœnia Pisas,
Quam uitreis Tuscus perfluit Arnus aquis:
Eloquio hæc Latio, priscisq; est artibus aucta
Cosme tuis princeps inclite diuitijs.
Non dux hoc gentis Mediceæ clarior ullus,
Mæonidæq; cani dignior ore fuit.
Cuncta quid enumerem? nouerunt Tibridis unda,
Sebethusq; suo flumine Fabricium.
Nouit utrunq; æquor: tum cui dedit Adria nomen,
Tum quod Tyrrheni littoris ora uidet.
Virgo tuo gaude Domino, lætare marito,
Qui nullo ueræ laudis honore caret.
Herculeo gaudet notißima Bretta Philippo,
(Gaudeat illa diu, uiuat & ille precor)

Namq; modò liuor uerum fateatur iniquus,
Non habet ingenio, non pietate parem.
Cuius in Augiæ ſtabulis induſtria ſudat,
Artibus inſtaurans quod fuit ante decus.
Clara Berengarij exilio uinclisq; Paberga eſt,
Clarior ingenio nunc Ioachime tuo,
Huc qui Cecropias trahis ex Helicone puellas,
Eruis abſtruſum Græcia quidquid habet.
Vrbs quoq; Chemnicium, quæ Caſco ſubdita monti,
Et fluuij nomen prætereuntis habet:
Fabricio nunc ciue ſuo tumefacta ſuperbit,
Quòd fuerit tanto patria facta uiro,
Pierios latices qui ſacrum duxit ad Albim,
Et mea Pierijs ora rigauit aquis.
Nunc quoq; (ne meritum ſibi uẽdicet alter honorẽ)
Fontibus illius riuulus iſte fluit.
Auferat ille ſuum, reliquis uix pauca relinquet:
Obſtruat hic fontes, non erit unda mihi.
Virgo tuo gaude Domino, lætare marito,
Qui nullo ueræ laudis honore caret.
Multarum uotis forſan fuit ille petitus:
Libera multarum uota tot, una tenes.
Dixerat Vranie, fati præſaga futuri,
Fabricij flammis colliget Albis aquas.
Non caſu ueniunt, fato connubia fiunt,
Illa nec humanæ ſunt rationis opus.
Ignis ab aſpectu mollis per uiſcera ſerpit,

Et facies odium uix bene uisa parit.
Vincula sponte fugit, quod non natura ligauit:
Quod iungi debet, uincula sponte subit.
In fatis fuit ergo tuis pie sponse puella,
Quæ datur in thalamum iam socianda tuum.
Nec tamen hoc fato poteris minus esse beatus,
Ista tibi uirgo nubere digna fuit.
Quæ reliquas tantum supereminet una puellas,
Quantum uel stellis præstat Toa Venus.
Quod si forma tibi tenero iucunda uigore,
Prima uerecundo dux in amore fuit:
Non es fallaci deceptus imaginis umbra,
Nec malè iudicium credulus error habet.
Aspice quam comi frontem grauitate serenet,
Quàm tenero roseus luceat ore pudor.
Non in mansueto feritas est barbara uultu,
Non facit ingratos lingua modesta sonos.
Cum forma casto lis est æterna pudori,
Perpetuum multis dedecus illa tulit.
Sed tua sponsa pia laudem uirtute meretur,
Dum formæ luxum casta pudore regit.
Est breue forma bonum, quouis mutabile morbo:
Vera pudicitiæ gloria fine caret.
Cætera si spectes, quid non laudabile spectas,
Hîc uires uirtus exerit ipsa suas.
Nulla mali noui mundi ludibria, nil scit
Præter amare Deum, præter amare uirum.

Altera narret opes, generis uel stemmata iactet,
Quæ pietate caret, quæq; pudore uacat.
Non illi desunt uel opes, uel fama parentum,
Vno deposuit sors bona cuncta loco.
Non opus est nostro genitores carmine tolli,
Obscurum uirtus non habet ista locum.
Aspice laudatos mores, cultumq; decorum:
Laude refert matrem filia, laude patrem.
Aspice quid studium, quid cura domestica possit,
Hæc pia non fructu sollicitudo caret.
Mater erat uirtutis amans, cultrixq; mariti
Fœderis, in casto religiosa thoro.
Desijt esse quidem magno post fata dolore,
Cœpit & ante suum gaudia ferre Deum:
Sed tamen exemplum uitæ moritura reliquit,
Hæredemq; suæ mortua laudis habet.
Aequius hic moritur, soboles cui uiuit honesta,
Quæ custos uiduæ sit generosa domus.
Nec uerò pater his aliquid uirtutibus ausert,
Sæpe mali pietas huic quoq; caussa fuit.
Quàm Musis faueat, Musarum curet alumnos,
Nos salua testes possumus esse fide.
Sponse tua felix sponsa, quæ laude parentum
In thalamos affert nomina clara tuos.
Iam tibi legitimi socialia fœdera lecti
Gratulor, & tædis gaudia mille precor:
Noxia ne uestrum turbet discordia lectum,

Nec

Nec sterilis dulci sit sine prole domus.
Non homo coniugium sanxit, precioſior extat
Autor, & hæc thalami fœdera sancta facit:
Vnicus in trinis Deus est, & trinus in uno
Numine, sic mentem prodidit ipse suam.
Ipse probat castos, lasciuos punit amores,
Viuere legitimo nos iubet ipse thoro.
Tristia sæpe sui præbens exempla furoris,
Perdidit incestas igne uorace domos.
Scit benè, quàm damnum lugubre libidinis extet,
Quæ fumat piceo mersa Gomorrha lacu.
Scit bene, quàm noceat non abstinuisse cupitis,
Quæ iacet Argolica diruta Troia manu.
Pro uicijs pœnas soluit communibus illa,
Hæc modò priuatis est rea facta malis.
Prima sit ergo Dei uobis, sit proxima uestri
Cura, leuat pietas quidquid ubiq; grauat.
Discite non homini, sed fidere discite Christo,
Vana salus hominis, spes pia fraude caret.
Vir iuuet uxorem, iuuet uxor amica maritum,
Atq; oneris partem gestet uterq; suam.
Sic neq; succumbet uir pondere, fœmina mole:
Nam bene communi sarcina fertur ope.
Tu subiecta tuo semper sis nupta marito,
Libera coniugij regna maritus habet.
Non Deus ex capitis structura condidit Euam,
Esset ut illicitis imperiosa modis:

Ex costa formam mulier sortita uirili,
Arguit ipsa uirum coniugis esse caput.
Et tu sponse tuam sic semper dilige sponsam,
Vt sponsam Christus diligit ipse suam.
Non odisse potes, si te non oderis ipsum,
Scilicet illa tuo corpore corpus habet.
Sis miti facilis, placidæ sis comis: & omnes
Blanditias adhibe, dummodo præstet idem.
Durior hic saxo est, & tigride durior atra,
In sua crudelis uiscera quisquis erit.
Non habet ex manibus pedibus ue uirilibus ortum,
Tradita legitimo fœmina prima thoro.
Ne species recti posset furor iste uideri,
Cum male uir pedibus, cum manibusq; ruit.
Debile uas mulier, nec in has accommoda pugnas,
Lusibus ac teneris aptior illa iocis.
Tale quid in uestros unquam ne repat amores,
Ferte Deo placidas semper uterq; preces.
Sic reddet thalamum iucunda prole beatum,
Ludat ut ad patrios turba tenella pedes,
Sic quæ præterea sunt huius commoda uitæ,
Propitio mitis numine cuncta dabit.
Sic neq; diuitiæ deerunt, neq; copia rerum,
Omne Deo uobis suppeditante bonum.
Multiplici fructus cum fœnore reddet agellus,
Sub uestroq; fluet largiter uua pede.
Donec ad æthereas sedes post fata, relicto
Corpore,

Corpore, cœleſtem mens uolet ante Deum:
Rodit ubi nullus liberrima pectora mœror,
Eſt ubi ſummus amor, nec periturus amor
Omnia prætereunt mortalia, præter amorem:
In cœlo flammas concipit ille nouas.

MARTINI HENRICI Sagani.

FOedere Fabricio iungatur Magdalis arcto,
Et dicto fiant publica ſacra die.
Dicamus bona uerba, Deumq; ad templa uocemus,
Fundamusq; humiles ſupplice corde preces.
Illius auxilium concordi uoce rogemus,
Cuius mortales indiga turba ſumus.
Ille ſuo cœptas fortunet numine tædas:
Omnia ſuccedunt acta iuuante Deo.
Chriſte Dei ſoboles, æterno nate parente,
Quàm prius hæc mundi machina facta fuit,
Nos Deus, aſſumens humani corporis artus,
Feciſti carnis uiſcera cara tuæ.
Naturam ſocias mirando fœdere noſtram,
Fœdere quo nullum ſanctius eſſe poteſt.
Nam genus humanum ſine te perit omne, ruitq;:
Et redit in cinerem, quod fuit antè cinis.
Nos tibi, quos patrio ſuſtentans robore, ſancto
Flamine uiuificas, inſita maſſa ſumus.
Ac ueluti matris ſeruatur fœtus in aluo,

Sic alimur uerbi lacte recente tui.
Mirum opus: haud quantum debemus, dicimus ore,
Sed titubans quantum dicere lingua potest.
Et tamen infantum blesо cupis ore uocari,
Et dici laudes optime Christe tuas.
Tu tibi de nostro speciosam semine sponsam
Eligis, atq; tuo sanguine Christe lauas.
Illius absterges sacro baptismate sordes,
Et pia sanctificas flamine corda tuo.
Non habeat maculas, non labem: pura sit omni
Crimine, nec faciem ruga senilis aret.
Seruiat in cunctis soli tibi subdita rebus,
Te solum casto semper amore colat.
Nam cùm sis castus, nos omnes uiuere caste,
Et te uis puræ mentis honore coli.
Ergò legitimi sanxisti fœdera lecti,
Sint uno ut iuncti fœmina uirq; thoro.
Scilicet in carnem duo coniunguntur eandem,
Vt sit in ambobus firmus & unus amor.
Agmina certa simul numero cœlestia firmas,
Non opus his speciem est multiplicare suam.
Sed binos homines sociatos iure iugali
Viuere, & immota crescere lege iubes.
Vt tibi nascatur mortali è semine cœtus,
Qui colat æterno nomen honore tuum.
Ah quàm dulcis erat primorum uita parentum,
Donec adhuc nocuo crimine pura fuit.

Vixis-

Vixissent ambo longos feliciter annos,
Vna futura fides, mensq; duobus erat.
Inq; Deo læti degissent tempora uitæ,
Mansissent flatus templa sacrata tui,
Criminis expertes ataui, expertesq; dolorum,
Longam uidissent ordine progeniem.
At tuus est nobis magnorum caussa malorum
Morsus, & aspersit uirus Adame nocens.
Excussere Deum mortalia pectora, nec sunt
Primùm quæ fuerant integra templa Dei.
Hinc hominum mentes auersæ à legibus errant,
Et fiunt cladis maxima caussa suæ.
Suscitat illicitas Satanas in pectore flammas,
Et miseros homines pellit ad omne scelus,
Quiq; uagos æstu uario sectantur amores,
Irritant iras in sua damna tuas.
Aspicis ad uetitos inimicis uultibus ignes,
Et trahis in pœnas impia facta graues.
Plurima Christe tui sunt sæua exempla furoris,
Nec leuis iratum est res habuisse Deum.
Tu rapidis totum demergis fluctibus orbem:
At pius in naui, te duce, cœtus abit.
Tu Sodomam deles flammis, fœdamq; Gomorrhã,
Demittens piceas cœlitus ipse faces.
Euomuit medio Cananæos æquoretellus,
Beniamidæ est nimium nota ruina domus.
Sparta peris bello, uastantur Pergama flammis,

Attica cum Thebis mœnia marte cadunt.
Morte magis tristes pœnas persoluit adulter
Iessæus, uiolans ius sociale senex.
Helladis atq; Asiæ perdit furor improbus urbes,
Quas armis uastas Turca cruente tuis.
Nunc furit Italicas atrox Bellona per oras,
Nam tenet Italico regna libido solo.
Omnia quis numeret? priuata & publica cladis
Exempla, ante fores quilibet ipse uidet.
Tu Deus immensum differs à dæmone turpi:
Et cùm sis castus, nil nisi casta probas.
Vis precibus castis, uis pura mente uocari,
Et tolli puras ad tua templa manus.
En te uoce rogat cum sponsa sponsus ad aram,
Et puras ad te tollit uterq; manus.
Christe faue cœptis, communibus annue uotis,
Et sine nunc nostras pondus habere preces.
Ecce tuis sacris iussis, & numine tædas
Incipiunt: tutum est nam tua iussa sequi.
Auspicioq; tuo faciunt solennia sacra,
Nam bene succedunt auspice cuncta Deo.
Da nunc felici iungantur ut omine dextræ,
Da uiuat longos saluus uterq; dies.
Vinciat unanimes sic dulcis gratia mentes,
Vt duo sunt uno corpora iuncta thoro.
Cum patre, cum sancto te flamine semper adorent,
Communesq; ferant ad tua templa preces.

Teq;

Teq; colant animis uerè concordibus ambo,
Nam tibi consensus de pietate placet.
Christe precor multa fœcundes prole parentes,
Coniugiumq; pium pro bonitate iuues.
Sit domus illorum tibi grata Ecclesia, quæ te
Agnoscat uerum, sit schola sancta, Deum.
Tum rudibus soboles tibi fidere discat ab annis,
Aeterno & laudes prædicet ore tuas.
Et quia conditio hæc uarijs subiecta periclis,
Et mala sunt omni tempore mixta bonis:
In thalamo ueniunt quæcunq; aduersa iugali,
Pectore composito, te minuente, ferant.
Propitius tædis hospes feliciter adsis,
Thariadæ ingrederis qui pia tecta senis.
Arceto, Angelicis comitate ô Christe ministris,
Clemens à Sancta tristia cuncta domo.
Hæc precor, hæc supplex cũ sponsa sponsus ad arã,
Hæc præsens etiam concio tota petit.
Iungite nunc alacres constanti fœdere dextras,
Et mentes fidum pignus utrinq; liget.
Aureus ut digitos circumdans annulus ambit,
Sic uos perpetuo iungat amore fides.
Omine sponse bono diuinum suscipe munus,
Quodq; cupis toto pectore lætus habe.
Quæ tibi se soli tutò committit habendam,
Confugit inq; tuam supplice mente fidem.
Scilicet & sponso supplex Ecclesia Christo

Tra-

Traditur, inq; fidem ſponſa relicta uenit.
Sanguine quam proprio macula depurgat ab omni,
Omnis & expertem criminis eſſe facit.
Ipſe Deus uestros animos coniungat amore,
Qui mouet afflatu pectora nostra suo.
Nunc postquam stabili iunxit uos lege sacerdos,
Sponſe tibi rediens ducitur illa domum.
Aſpice quàm roſeo demittit lumina uultu?
Pulchra uerecundus tingit ut ora rubor?
Aſpice ut æquales forma ſupereminet omnes,
Nullus ut in toto corpore fucus ineſt?
Non leuitas, non factus ineſt, nec ſordidus horror:
Mundiciem ingenui uirgo pudoris amat.
Inſidet in teneris quàm gratia blanda labellis,
Vt mores uerbis conuenienter eunt?
Non amat ambages, pigmentaq; lubrica ſpernit,
Simplicitas tacitæ ſemina laudis habet.
Non illam cenſus, nec clarum nomen auorum,
Sed tibi qui debet conciliauit amor.
Iſta mouent ſtulti dementia pectora uulgi,
Te pietas mouit, cumq; timore fides.
Te caſtum mouit pectus, precioſius auro,
Et decus in tenera mente pudicitiæ.
Felix, cui tantis contingit dotibus uxor:
Quæ uenit, à Domino nupta pudica uenit.
Inuenit optatæ placidiſſima gaudia uitæ,
Rebus in aduerſis mite leuamen habet.

Is pia persoluit cara cum coniunge uotâ,
Et domini flectit supplice corda prece.
Præbet enim faciles aures ad uota duorum,
Numine quos iunctos scit Deus esse suo.
Quæ duo coniunctis optarint pectora uotis,
Hæc etiam Domino munera dante ferent.
Res est magna, fides in lecto firma iugali,
Mutuus & mentes qui bene nectit amor.
Vt duo sublatum cum iuncto corpore pondus
Gestant, alterius subleuat alter onus:
Sic dolet aduersis sociato pectore coniux,
Lætus & alternis gaudet uterq; bonis.
Diuisi media minuuntur parte dolores,
Accipiunt geminas gaudia iuncta uices.
Nupta Deum uerè metuens, patiensq;, maritum
Omnibus obsequijs officiosa colit.
Nam caput esse suum nouit pia moribus uxor,
Vt caput est sponsæ Christus, honorq; suæ.
Sara ita Thariaden coluit: sic fida Rebecca
Isaacum, & domini nomina læta dedit.
Forma bonum fragile est: pietas & candida uirtus
Permanet æternos inuiolata dies.
Nupta Deum metuens omni dignissima laude est,
Et placidi caussam iure fauoris habet.
Quæ latet assiduè tectis, testudinis instar,
Et facit officij munera iusta sui:
Hanc tibi diuino donatam munere sponsę

Gratu-

Gratulor, & cedat res bene tota precor.
Nunc & sponsa tuis opto felicia tædis,
O tali felix coniuge, clara uiro.
Ille Deum uero semper complexus amore,
Sincera coluit relligione fidem.
Ingenuas didicit studijs felicibus artes,
Et meruit docti nomen habere uiri.
Multa tulit, fecitq;, diu sudauit & alsit:
Nam longa sapiens usus ab arte uenit.
Quas ille ærumnas tulit, exhausitq; labores,
Dum pueros artes cum pietate docet?
Lipsia, Chemnicium, Fribergum, uera referre
Me norunt: testis Missnia terra mihi.
Nondum uernabant teneræ languine malæ,
Cùm teneros animos cura docere fuit.
Lustraq; nunc postquam uitæ bis quina peregit,
Sedulus officio fungitur ille suo.
Conditio hæc grauis est, & magni plena laboris:
Sit grauis illa licet, sed Domino illa placet.
Fabricius fama celebri super æthera notus,
Scriptaq; Fabricij docta per ora uolant.
Sedulus est teneris Musarum cultor ab annis,
Largaq; Castalias uena ministrat aquas.
Gallia Fabricium non nescit, & Itala tellus,
Ille tibi est magnum Teutonis ora decus.
Hunc tu fraterno præceptor amore Philippe
Diligis, & studijs gloria Ebere bonis.

Hunc

Hunc decus Ausoniæ Camerarius inter amicos,
Hunc & facundo Sturmius ore colit.
Singula quis numero comprendere nomina posſit,
Docta quibus florent ſecula noſtra uiris?
Omnibus his propter uirtutem carus habetur,
Et reperit laudes integritate ſuas:
Non mouet in uanis certamina friuola rebus,
Conſenſum ueræ relligionis amat.
Omnibus expoſitus, ſincerus amicus amicis,
Et faciles aditus comis habere ſinit.
Scilicet ingenua quo quiſq; eſt cultior arte,
Hoc magis humanis moribus eſſe ſolet.
Cuius ſi digna uirtutes laude referrem,
Prorſus in immenſum ſurgeret iſtud opus.
Non opus eſt longo celebrari nomina uerſu,
Eſt multis cuius uita probata uiris.
Ergo ne uidear nimium indulgere fauori,
Ceſſabo laudes enumerare uiri.
Quod ſupereſt, utriſq; precor felicia uobis,
Atq; opto uotis omnia fauſta meis.
Quali concorde eſt cum compare turtur amore,
Talis & in ueſtris cordibus inſit amor.
Sit iucundus amor, ſine faſtu & turpibus auſis,
Litibus & tecta ſuſpicione carens.
Alter in alterius lætantes igne quieſcat,
Perq; ſuas certet mutua flamma uices.
Cùm caro nunc eadem cœleſti fœdere ſitis,

Vt sibi, sic socio quisq; bene esse uelit.
Qui probat & sanxit socialia fœdera lecti,
Quum bonus immisit, uentilet ipse facem.
Ille pios multa fœcundet prole parentes,
Fortunetq; suo numine prosper opus.
A primo soboles Dominum cognoscere lacte
Discat, & in uestro sit schola sancta lare.
Vitis ut extendit sua brachia densa per ædes,
Sic ludant uestra pignora multa domo.
Illi omnes referant caros uirtute parentes,
Sintq; Deum uero cœtus honore colens.
Sic Christus reddens ex undis dulcia uina,
Aduersas minuens leniat ipse uices:
Vnanimesq; diu sano cum corpore seruet,
Vos regni faciens organa grata sui.

HIERONYMI SCHEI-nij Dresdensis.

IAm bis consueto canis Erigoneius æstu,
Defessos Phœbi sensit anhelus equos:
Quo iussu Domini, sanctiq; fauore senatus,
Misniacæ liqui docta Lycea scholæ.
Hîc studijs pueri inuigilant, libros q; fatigant,
Discendiq; artes quemlibet ardor agit.
Prima ubi constitui te fundamenta magistro,
Et factus docta cultior arte fui.
Hospes Elistræum post hæc ego missus ad amnem,

Consumpsi studijs tempora multa bonis.
Sed nostræ ingratum culpanda silentia chartæ
Reddunt, innocuas esse uetantq; manus.
Non sic Chionides Eumolpus in Orphea, talis
Nec Chironis erat Phthius alumnus, ais?
Bestia Romano te uincit sæua theatro,
Fida probans fido pectora mancipio.
Aethereo mentis qui ducit semina cœlo,
Non ne homo pro meritis officiosus erit?
Parce precor fassum sceleris damnare, benigne
Comprime commotas in mea uota manus.
Dignior hic uenia qui se peccasse fatetur, ‘‘
Quàm qui delicti se negat esse reum. ‘‘
Ingratus dicor, potius timidus reor, horret
Nostra subire tuum litera iudicium.
Pluris Aristotelem faciendum patre Philippo
Pellæus iuuenis dicere non timuit:
Esset fatalis genitor quia lucis origo,
Hic regeret dictis pectora stulta bonis.
Nec diuersa meum tenuit sententia pectus,
Complector fidi te patris ipse loco.
Debeo me totum (fateor) tibi, debeo quidquid
Ingeniumq; ualet, sedulitasq; potest.
Nota tua est pietas, & diuulgata per orbem,
Ingenijq; extant candida scripta tui.
Tu mihi dicebas, quæ nostro digna labore:
Tu bonus hortator, tu pius autor eras.

Pro quibus affirmo fore me memoremq; piumq;,
Dum Phœbi & denſæ noctis agentur equi.
Quàm bene apud gratas ſtat facti gratia mentes:
Ingratos animos uindicat ipſe DEVS.
Sacra quidem noſtras uenit, ſed grata ſub aures
Fama, ferens thalami feſta futura tui.
Reddebar lætus tali rumore, precabar
Eſſet ut hic ſummo fauſtus honore thorus.
Et quia ferre pias Straſburgo tradita Muſas,
Fida tuæ mentis pagina culta iubet:
Crimen erat merito non hoc præſtare magiſtro,
Sponte minus meritis quod damus officium.
Dum loquor en ſacrũ ſpirant præcordia Chriſtum.
Aduentumq; Dei lucida tecta notant.
Non igitur Satyros, nec ruſtica numina Nymphas,
Quæ Chriſtum referunt carmina mitto tibi.
Ille Cananæas in uina liquentia lymphas
Vertit, & hæc miro cœpta fauore probat.
Ipſe tuos præſens quoq; confirmabit amores,
Pronubus & iunget corpora ueſtra thoro,
Fœcundaq; tuum thalamum cum prole beabit,
Reptet ut ante tuos paruula turba pedes.
Filius inſiſtet ueſtigia clara parentis,
Maternæ hæredem filia laudis aget.
Fortè alij mittent auro fulgentia dona,
Et multi certè munera digna dabunt:
A nobis Chriſtus miſſus, gratiſſimus hoſpes

Sit miſſus

Sit missus uerè, peruenìatq; precor.
Interea licitos dum tu sectaris amores,
Cumq; tuis curas commoda nostra simul,
Si quid agam quæris: Musarum tecta frequento,
Et soleo doctos ferre referre libros.
Me iuuat arcanas naturæ quærere causſas,
Et cœli motus lucidaq; astra sequi.
Quo Phœbus rubeat, quo Cynthia palleat igne,
Falciferiq; tenax stella sit unde senis:
Iridis & pingat uarias quid in aere formas,
Et cœli ueniat, cùm tonat, unde fragor.
Expiret patulis cur ignes faucibus Aetna,
Epotas rursus cur uomat æquor aquas.
Quoq; modo pisces medijs seruentur in undis,
Et quæ præterea turba sacrata stupet.
Plura quid enumerem, quæ nõ sunt carminis huius?
Nostra sit huic uestro dedita Musa thoro.
Vrit amor homines: quidquid secat aera pennis,
Quidquid aquis gelidis innatat, urit amor.
At mentes nostras traheret ne bruta libido,
Angeret aut hominum pectora turpis amor:
Legitimo sanxit Deus ordine fœdera lecti,
In quo sint castæ, sint sine lite faces.
Nomen & unde suum iusto celebretur honore,
Humanumq; simul crescat & unde genus.
Hìc Deus est præsens, optataq; cuncta ministrat,
Nec non & iunctas seruat, & auget opes.

Castra sed insanæ Veneris lasciua, tulerunt
Magnificas urbes, magnificosq; uiros.
Ante Dei faciem quoduis damnabile scortum,
Pœna uagos ambit iustaq; & ampla thoros.
Pœnitet æterno, commissum tempore paruo,
Perpetuò torquet criminis hora breuis.
Non opus ut referam ueterum commissa uirorum,
Pluribus hæc horrent secla referta malis.
Legibus abiectis ducit sua quemq; uoluptas,
Nequicia heu nullum creditur esse nefas.
Cum senibus pueri peccant, cum uirgine matres,
Turpeq; flagitium nescit habere modum:
Diuinæ sed cui legis sunt dogmata cordi,
Qui uis esse bonis gratus, & esse Deo,
Sperne uoluptates, prauosq; libidinis æstus,
Impia sic contra secula rectus eris.
Ocia fac tollas, & flammæ semina luxum,
Atque time summum qui uidet ista Deum.
Semine qui peccat, luet hic in semine pœnas:
Concipiens coniunx crimine, crimen erit.
Blanda quidem Venus est, et plurima pectora fallit,
Istius at damnum flebile finis habet.
Casta Deus mens est, & castos approbat ignes,
Diuina impuri destituuntur ope.
Niliaca domina cùm tentaretur Ioseph,
Ne se pollueret, maluit esse miser.
Ad tantos etiam nunquam uenisset honores,

Lasciuus

Lasciuus thalamum si uiolasset heri.
Numine diuino cuius, uelut ægide pectus
Munitum, nullis fallitur insidijs:
Et præceptorum reminiscens sæpe parentis,
Quæ, matris sugens ubera, lacte bibit.
Non mouet hunc ullis blandißima fœmina uerbis,
Nec prece, nec precibus, pollicitisúe trahit.
Nil Dominæ stirpem, nil commoda libertatis
Curans, oblatas inter egenus opes:
Templa sed aßiduis cœlestia uocibus implet,
Sustentat firmo seq; timore Dei.
Exequitur fida commissa negocia mente,
Impositumq; sibi strenuus urget opus.
Sermones uitat, declinat munera, quæq;
Esse solent huius causa caputq; mali.
Quisquis es ergo, Dei qui numina sancta uereris,
Hæc tibi sit uitæ regula certa tuæ.
Castum audire stude, castum sentire q;, castum
Dicere, amat castus nil nisi casta Deus.
Coniugibus Deus ipse locis præsto omnibus astat,
Et facit ut referat lympha sapore merum.
Iungit amore animos, & dextras fœdere, lecto
Corpora: nec rumpi talia uincla sinit.
Aspirans illis felicia fata, duorum
Efficit ut iunctum cor sit, & unus amor.
Largitur prolem gratißima germina casti
Lecti, ceu pinguis germina læta soli.

Montibus uua uelut plantata renidet in altis,
Atq; decore oculos pascit amœna suo:
Sic uxor tenera quæ prole beata, marito
Summum delicium, credite, summus honos.
Felix qui reperit sociam uitæ atq; laboris,
Cui mensæ cingit fulcra, caterua loquax.
Mercator rapidum petat impiger Hellespontum,
Sustineatq; uagi multa pericla maris.
Bella gerant fortes: uerùm hic sine lite, sine armis,
Lætatur laribus, coniugio q; frui.
Quòd si quo forsan tentatur turbine cladis,
Commendans Christo, fert patienter onus.
Si cruciant artus ægræ contagia mentis,
Vxor solamen præbet amica uiro.
Ipsa sui studiosa uiri, studiosa laboris,
Instruit & natos, instruit atque domum.
Decantat caris natis pia mater ad aures,
Aeterno quæ sit uita probata Deo.
His diuersa docet gens quæ redimita cucullo,
Quis Deus est uenter, lauta culina polus.
Qui pia legitimi prohibentes fœdera lecti,
(Heu quàm præceptis dissona uita pijs:)
Iosephos simulant, sed Cypria castra sequuntur,
Gaudentes sceleri continuare scelus.
Nec scelus esse putant, quod ui, quòd fraude puellas
Cogant ingenuo corpore stupra pati.
Vitibus heu malè prospicitur, si uinitor hircus,

Vitiferos

Vitiferos rodens depopulatur agros.
Quid faciet scelerum uindex cùm uenerit? heu
Mittet in ardentes corpora fœda lacus.
At manifesta uidens, & pectoris abdita rimans,
Caste Deus, casta sæpe uocande prece:
Quæsumus humanas illustra flamine mentes,
Quod nostros animos tempus in omne regat.
Ne caro succumbat uicijs, mensq; ipsa furori,
Tu retine hospitium pectora nostra tuum.
Diximus autorem thalami: nunc suffice uires
Christe mihi, gyro fortius ire meo.
Fabricius sacram supplex procumbit ad aram,
Huic desponsa simul uota puella facit.
Ipse tua præsens hæc maiestate secunda
Cæpta, tuo thalamos flecte fauore pios.
Cœlesti flamma medias incende medullas,
Semper ut his unum cor sit, & unus amor.
Verba fides sequitur, strepitu resonante, caterua
Cœlituum, arcano numine, Christus adest.
Coniugio iungit stabili tibi sponse puellam,
Teq; pio tradit sponsa pudica uiro.
Vtq; suo gaudet dilecta Ecclesia Christo,
Pro qua morte sua multa & acerba tulit:
Sic etiam socia uos inter lege ligari
Christus, dissidio non prohibente, iubet.
Coniugium felix, thalamos intrare sacra os,
Christus ubi uerè pronubus ipse præst.

Fortuna nunc ſponſe tua lætare, tuoq̃;
Quæ ueniunt tacito gaudia conde ſinu.
Hauſiſti caſtos promiſſæ uirginis ignes,
Et tua legitimus corda momordit amor:
Omnes optatos ſuſpirauere hymenæos
Albiacæ nymphæ, Miſena quotquot habet.
Non formæ tibi cura fuit, licet ipſa ſuperſit,
Sed cordi pietas integritasq̃; fuit.
Forma bonum fragile eſt, & lædit ſæpe ferentes:
Perpetuò hæ durant tempore, fine carent.
Profuit haud quidquã quam laudat Achaia formã,
In cineres ob quam Pergama uerſa iacent:
Quam quia non puduit fines tranſire pudoris,
Infami æternum crimine nomen habet.
Tollitur ad cœlum, quæ noctu fraude pudica,
Docta fuit cupidos fallere nympha procos.
Arguit impuros animos laſciuia, caſtæ
Indicium præfert indolis ipſe pudor.
Nota tuæ probitas, & cura domeſticæ ſponſæ,
Hanc iuuet officijs, hanc probitate colat.
Cernis ut exornet ueneranda modeſtia uultum,
Et pulchri mores, & iuuenile decus.
Gemma nitet ueluti ſuluo precioſa metallo:
Sic bene cum forma iuncta pudicitia.
Te non indignis flagrant tua pectora flammis,
Sed iuſtos ignes mens generoſa capit.
Thariades Saram tali dignatus amore eſt,

Iſaaci

Isaaci & pectus pulchra Rebecca tulit.

R Rachelis Isacides sic dulcem sensit amorem,
Damna sub iniusto multa Labane ferens.

I Litigiosa fuit coniunx patientis Iobi,
Tobiam uerbis perculit Anna senem.

N Nil minus has fido complexus uterq; fauore,
Pertulit atq; suum fortis uterq; malum.

A Antiquos referens simili quoq; fœdere patres,
Nulla tibi posthac carior uxor erit.

G Gaude sponsa thoro talis dignata mariti,
Atq; inopina tuo gaudia conde sinu.

C Clarius hinc Coa tu Batthide nomen habebis,
Misnenses inter prima ferêre nurus.

N Non tibi quærendum memorabile nomen auorum,
Illius est uirtus excutienda tibi.

I Is quoniam teneris Musas comitatus ab annis,
Ad citharam hunc dulces edocuere sonos.

V Vnde comas ornans hederis, & uirgine lauro,
Tot scriptis peperit nomina clara suis.

P Patria Chemniciũ hunc genitũ celeberrima iactat,
Eximio illius gaudet honore genus.

M Inde peregrinas cupidus discessit ad oras,
Notus & externis esset ut ipse locis.

M Multorum mores hominum cognouit, & urbes:
Multa tulit terra, multa pericla mari.

Q Quid referam excelsa didicit quæ Antenoris urbe?
Quæq; locis uidit diuitis Ausoniæ?

Et quos bellatrix monstrauit Roma colossos,
Quam flauus rapidis Tibris inundat aquis.
Quid loquar Adriaci cultissima mœnia ponti?
Miris structa modis, marmora, templa, domos!
Et quos deuicit glaciales Hannibal Alpes,
Aduentu cuius territa Roma fuit?
Inde Tridentinas ad Norica rura per oras,
Ad patrios hospes se tulit ille focos.
Huius caussa uiæ fuit & dignissimus auctor,
Qui Vuerterorum nomen & arma tenet.
Illa opibus gens est multùm celebrata paternis,
Sed nunc Fabricio clara cliente magis.
His bene se dignos sibi conciliauit amicos,
Eximios inter nomina rara uiros.
Sturmius Ausoniæ lumen iam nobile linguæ,
Diligit hunc iuuenem, diliget atque senem:
Nec non Meurerus Coa notissimus arte,
Inter Lipsiacos gloria prima patres:
Et Camerariadum clarissima gloria gentis,
Cecropijq; simul splendor honosq; soni:
Hunc quoq; miratus solida pietate Melanthon,
Qui summum decus est Teutona terra tibi.
His quia sponsa bonis cum coniuge reddita consors,
Hæc inopina tuo gaudia conde sinu.
Caro cara faue, fido sis fida marito,
Sentiat in studijs omnibus obsequium.
Non desit pietas, non officiosa uoluntas,

Exigit

Exigit hanc Christus, hanc socialis amor.
Quando sponte uiro prudens obtemperat uxor,
Nil tota uita suauius esse potest.
Sic uxor, sic mater eris, referentq; nepotes
Sic auiam, dominam subdita turba suam.

CHRISTVS CONVIVA IN NVPTIIS.

Cana Palæstinis obscurus uicus in oris,
Cuius adhuc retinet nomina posteritas.
Huc cum discipulis, & cum genitrice uocatus,
Christus adit casti festa sacrata thori.
Non humiles renuit Deus ipse intrare penates,
Vt placuisse sibi tale probaret opus.
Deficiente mero natum pia mater Iesum
Sollicitat: Vinum deficit, affer opem.
Hic contrà affatus: Quid nam mihi fœmina tecum?
Iam præfinitum non mihi tempus adest.
Illa pudore graui perterrita, celat eundem,
Atq; importuni pœnitet alloquij.
Ad circumstantes sed fert mandata ministros,
Vt sine perficiant tradita iussa mora.
Sex urnæ stabant purgandi more locatæ,
Quas figulus celeris finxerat arte rotæ.
Harum metretas capiebat singula binas,
Quas plenis Christus fundere mandat aquis.
Nec mora, cœlesti iussu fit lympha falernum,
Cœrulea arcano more rubescit aqua.
Pincernæ datur ille liquor gustandus: at ipse

Pocula

Pocula uix sumens, uina meraca stupet.
Et mox ad sponsum conuersus, talia fatur:
Inuerso res est ordine gesta malè.
Conuiuas lautè qui uult tractare, repentè
Fumoso promit uina uetusta cado.
Dum iam læta calent forti conuiuia uino,
Apponit mensis feruida pocla minus.
Signorum Christi sunt hæc primordia, per quæ
Illi creuit honos, discipulisq; fides.

PRAECEPTA MARITALIA.

Siracides cap. IX.

Dilige cui primo sociali es fœdere iunctus,
Integer hanc toto pectore, semper ama.
Nulli credideris de coniuge praua loquenti,
Coniugij uestri rumpere uincla cupit.
Non decet imperium dominam tenuisse mariti,
Fœmineo turpe est subdere colla iugo.
Nupta uirum timeat, solum uereatur ametq;,
Hic domini nomen, coniugis hæc teneat.
Nec nimium blandæ te credas tutus amicæ,
Ferrea sub dulci uincula melle latent.
Psaltria fallaci ne te trahat improba cantu,
Eius & illecebris ne capiare caue.
Non calamistratis moueat te uirgo capillis,
Fallax in forma retia tendit amor.
Non secus incendi turpis solet inde libido,
Ac flammam capiunt arida ligna foco.

Non

Non tibi famosis placeat saltare tabernis,
Exitium multis flebile sæpe tulit.
Coniugis alterius nec te leuis abstrahat error,
Illius aut collo brachia necte tuo.
Ne tibi cæcus amor fugitiuas præbeat alas,
Forsan & interitus sit tibi causa tui.
Inuitos etiam aspectus corrumpit ocellos,
Hunc ueluti Lernæ dira uenena fuge.
Nam facile hærebit, uisusq; afflabit amores,
Præq; alijs nimium quid sit amare scies.
Vt bona cuiq; cito nullo munimine septa
In prædas quasuis diripienda patent:
Sic sine coniugij properat consorte maritus,
Et proprium nescit, ceu uagus erro, locum.

BONA MVLIER. PROVERB. VLT.

Ingenuæ thalamis fruitur quicunq; puellæ,
Hæc puris gemmis anteferenda uiro,
Blandaq; sollicitum demulcens ore maritum,
Exhilarat tristi pectora mœsta uiro.
Fortunatus erit cui tradita nupta fidelis,
Quæ decus est domini, firma columna domus.
Commoda non decrunt huic lautæ fercula mensæ,
Et de quæsitis gaudia iusta feret.
Iudicium sequitur domini, mandata capessit,
Astat & ad nutus officiosa uiri.
Stamina nocturni ducens operosa laboris,
Pauperiem tectis amouet ipsa suis.

Non ali-

Non aliter nigros quàm tendens nauis ad Indos,
Munera fert domino plurima sæpe suo.
Illa thorum insomnis media sub nocte relinquens,
Apponit famulis, debita dona, cibum.
Hæc plenis cernens alienos meßibus agros,
Vt sua distendat horrea plena studet.
Hæc sudore suo uineta nitentia plantat,
Fundat ut è proprio suauia uina cado.
Aßiduas nunquam restinguit sedula flammas,
Incœptum donec perficiatur opus.
Hanc circum multæ deducunt fila puellæ,
Pollice & ipsa suo strenua uersat opus.
Hæc nudos ueßit, uictum largitur egenis,
Et paupertatem qualibet arte leuat.
Sollicitè curat tectum ne damna niualis
Inferat aut Boreas, aut leuis Auster aquis.
Purpureo nitidum decorat uelamine lectum,
Externo uendit texta decora uiro.
Omnibus in portis astris æquabit honores,
Clarior illius laude maritus erit.
Ornatus exosa leues non fulget in auro,
Legitimo satis est huic placuisse uiro.
Natorum formæ dictis hortantibus aures,
Et magnas lingua res sapiente sonat.
Illa domi uersat tractanda negotia uelox,
Nec capit illa suum desidiosa cibum.
Exiguam laudem, breuis & uaga forma meretur:

Si qua

Si qua pia est, formæ damna pudore refert.
Posteritas ipsam cœli super æthera tollit,
Et soboles tali digna parente uiget.

POENAE LIBIDINIS.

Non scortatores cœlorum regna subibunt:
Præco Dei, sacro pectore, Paulus ait.
Diuini scriptura canens exempla furoris,
Ferreus est quem non tantaq; totq; mouent.
Libera corruptæ dum laxat uincula carni
Mundus, & ex uicijs in scelus omne ruit,
Cœlitus unda ruens armenta uiroſq; necauit,
Immensas inter nat Noa tutus aquas.
Ob commune malum de cœlo incensa Gomorrha,
Deducente Deo uidit abire Lothum.
Spectatum ueniens, & spectaretur ut ipsa,
Passa Hemoriadem Dina puella fuit.
Hinc Cananæorum stirps sæuo perdita ferro,
Erroremq; luit cum duce turba suo.
Dalila blanditijs Simsonem tradidit hosti,
Ex quo priuatus lumine utroq; fuit.
Simrius ingreditur cum Madianitide scorto
Castra, cui notum Casbia nomen erat:
Amborum merito fodiuntur pectora telo,
Nequiciæ pœnas sic statuente Deo.
Helchitin Daniel defendens uoce pudicam,
Vertit in authorum damna parata caput.
Inuadens thalamos fratris, uetitoq; hymenæ os

Herodes

Herodes, tetris, uermibus esca fuit.
Tarquinij cessit Lucretia casta furori,
Eius nox regnis illa suprema fuit.
Ledæam rapiens Helenam Priameius hospes,
Euertit patrij regna superba soli.
Vita simul miserum relliquit & unda Leandrum,
Dum natat ad thalamos Sesta puella tuos.
Viribus & Nessus nimium confisus equinis,
Ob raptum perijt Deianira tuum.
Tristis ab Aegistho pœnas exegit Oreste,
Patris pernicies, matris adulter erat.
Sollicitans audax nati Thesea cubile,
Immundum fœda de trabe pendet onus.
Dardanij regis dum cæco carpitur igne,
Ardet in extructo tristis Elissa rogo.
Aesonidem fugiens immitem Colchida puppi,
Interimit natos sæua nouerca suos.
Oebaliæ captam fœda dux mente puellam
Oppressam, turpi tradidit inde neci.
Exangui demum statua (res mira profanis)
Admonitum uerbis talibus esse ferunt:
Ad pœnam properas, adfert iniuria damnum,
Criminibus pœnam constituente Deo.
Captum Ephori tandē, & funesto carcere clausum,
Obscæna cogunt fata subire fame.
Hæc exempla docent diuini signa furoris:
Extirpat castus cuncta proterua Deus.

CAR-

CARMINVM NVPTIALIVM LIBER SECVNcundus, continens Elegias, Odas, & Epigrammata.

GREGORII BERSMANI Annebergensis

ELEGIA.



Huc colis Delum, seu celsum Heliconа frequentas,
Ambrosias orna pulcher Apollo comas:
Laurigerasq; sacro deducens monte sorores,
Huc age cum citharis carminibusq; ueni.
Nunc uos alternas percurrere pectine chordas,
Nunc dare lætitiæ carmina plena decet.
Qualia Thebarum uos nuncia fama per urbem
Harmoniæ sponso concinuisse refert.
Namq; nouus scã dit templum cum uirgine sponsus,
Fabricius uestri gloria rara chori.
Cuncta repurgato fugiant modò nubila cœlo,
Non habeat madidus quas pluat Auster aquas.
Vt meritò sponsi sponsæq; decorus honore,
Purpureo totus rideat ore dies.
Vix ita fatus eram, cùm nubibus undique pulsis

Aſpicio ſolito clarius ire diem.
Nec non Sidonio iuuenem uelamine cinctum,
Ducentem doctas ex Helicone deas.
Non illis facies mihi uiſa decentior unquam,
Dum mihi lunari uita ſub orbe fuit.
Formoſi niuea crines ceruice fluebant,
Velabant teneras laurea ſerta comas.
Cultus erat, qualem non eſt rubor eſſe Dearum:
Geſtabat libros dextra, ſiniſtra lyras.
Extemplò trepidos horror mihi præpedit artus,
Nullus & in gelido pectore ſanguis ineſt.
Cùm mihi (ſenſit enim) ſic uellit Delius aurem:
Pone metus pauido pectore, pone metus.
Quin potius memori quæ dico percipe mente,
Percipe quod certo cognitus ore fero.
Qui toties mea caſtra fuit, qui ſigna ſecutus,
Et ſtudij conſors, & comes uſq; uiæ:
Seu claram peterem Troiani Antenoris urbem,
Seu Romam, Roma Parthenopenúe meam:
Nunc primùm caſtriſq; meis, ſigniſq; relictis,
Alterius maulit principis arma ſequi.
Pro Phœboq; ſuæ nunc uirginis ardet amore,
Securos ipſi quæ uetat ire dies.
Nec tamen hunc uictum crudeli miror amore,
Qui me paſtoris fecit obire uicem.
Tunc ego nec cithara poteram depellere curas,
Vulnera nec medica noſtra leuare manu.

Illius

Illius sed nos Helicona reliquimus ergo,
Quotquot in Aonio numina monte sumus:
Vt duo iungentes sociali corpora lecto,
Cantemus fausto carmina digna thoro.
Sic ait, & plectro pariter modulatus eburno,
Felices cantus uoce fauente dedit.
Nec mora, turba suum studiosa secuta magistrum,
Hos similes chordis reddidit ore sonos.

APOLLO.

Quantùm purpureo cùm fulget rosidus ore
Lucifer, astra suo cuncta nitore premit:
Tantùm, Pieridum lumen memorande Georgi,
Ingenio doctos uincis & arte uiros.
Si te non ueterum commendat nomen auorum,
Nec domus est censu nobilitata tua:
At Phœbus faciunt, Heliconiadesq; puellæ,
Nec non sinceræ relligionis amor.
Salue cura Deûm, salue uenerande poeta,
Eueniant lecto prospera cuncta tuo.

CALLIOPE.

Sæpius euoluo ueterum monumenta Georgi,
Sed tua non illis scripta minora puto.
Quæ legit Hesperius, manibus quæ uoluit Eous,
Ingenij mirans flumina magna tui.
Perge precor Latijs nomen tibi quærere Musis,
Sic tua post obitum fama superstes erit.
Detrahat & quamuis præsenti plurima liuor,

Mens tamen æqua magis posteritatis erit.
At te felici ter credo sidere natam
Virgo, uiri tanti digna reperta thoro.

POLYMNIA.

Intueor quoties faciem, moresq; uenustos,
Candida uirgo tuam, uirgo pudica tuos:
Esse satam miror talem de stirpe caduca,
Mortalis miror tale parentis opus.
Nam Iunonis habes mores, Cithereidis ora,
Clara pudore simul, clara decore simul.
Viue Sibyllinos cum coniuge, uiue per annos,
Vna dies ambos auferat, una fides.
Magdalena tuum potius cantem' ne parentem,
An matrem: dubium me modò mentis habet.
Non illa certè reuerentior ulla mariti
Vxor erat, nec plus religionis amans.
Numinis haud illo facilè metuentior ullus,
Aut doctos seruans plus in honore uiros.
Tam felix utinam, quàm moribus integer esset,
Nec dispar uitæ sors malefida foret.
At te tam claris uirgo maioribus ortam,
Per generis laudes gnauiter ire decet.
Vt simili pietate Deum, probitate maritum,
Dum reget hos artus spiritus, usq; colas.
Sic nomen sanctas Heroidas inter habebis,
Digna parente pio, matreq; digna pia.

MELPO-

MELPOMENE.

Quæ satis apta toro modulabor carmina uestro,
Carminibus digni fœmina uirq; meis?
Altera uirginei flos exemplumq; pudoris,
Alter Pierij fama decusq; chori.
Longa precor tribuant ambobus fila sorores,
Quæ nent fatali stamina nigra colo.
Candida tranquillo sedeat concordia lecto,
Tamq; pari semper sit Venus æqua iugo.
Diligat illa suum non ficto corde maritum,
Vxorem semper diligat ille suam.

CLIO.

Quas non Fabricij ueteris laus uenit in oras?
Sed te uix dignum sponse minore puto.
Siue tuos mores, seu uitam labe carentem,
Ingenij spectem nobile siue decus.
Quas non Penelopes castæ laus uenit in oras?
Sed te uix dignam sponsa minore puto.
Seu spectem ueræ dulcem pietatis amorem,
Ingenuo pictas siue rubore genas.
O felix animo, felix ô sponse marita,
Insignes inter gloria rara uiros.
O felix animo, felix ô sponsa marito,
Teutonicas inter gloria rara nurus.
Par bene compositum, uos tangat mutuus ardor,
Mutua cura duos, mutuus urat amor.

EVTERPE.

Ille prius Libycæ numerum ſubducat harenæ,
Et dicat piſces quot uehit unda maris:
Qui ueſtræ cupiat ſummam comprendere prolis,
Singula qui ueſtræ membra referre domus.
Quàm multus grauidæ ſuccreſcit palmes oliuæ,
Sic ſoboles creſcat ueſtra fauente Deo.
Quæ uultu referat uirtutis ſigna paternæ,
Et matris mores indicet ore ſuo.
Quæ ſolamen auo præſtet, requiemq; ſenectæ,
Illius quando repſerit ante pedes.

VRANIE.

Si modò ſtelligeri non fallunt ſidera cœli,
Aſtrorum uerax ſi ſolet eſſe fides:
Coniugium uobis ſpondet Venus aurea fauſtum,
Nec non ætherei ſtella benigna Iouis.
Et iam tempus erit, quo tanquam ſemen in armis,
Cernetis ueſtra creſcere ſtirpe genus.
Natorumq; pater claros ſpectabit honores,
Et referet pueris tempora priſca ſenex.

ERATO.

Ad ſponſum charam rapiens Hymenæe puellam,
Ac iungens ſocio pectora bina thoro,
Huc ades, atq; tuo connubia numine firma,
Huc ades ad thalamos ô Hymenæe pios.
Namque tua non eſt opera uir dignior ullus,
Dignior officio nulla puella tuo.

Sic tibi

Sic tibi ſerta ferant iuuenes, pariterq; puellæ,
Albiadum nectat ſic tibi ſerta chorus.
Sic grates memori pro factis mente rependant,
Auxilio læti fœmina uirq; tuo.

TERPSICHORE.

Quam ſacris uoluit pater ipſe præeſſe maritis,
Ad tædas propera Iuno uenire nouas.
Vt uinclo iungas ſponſum ſponſamq; iugali,
Quod, niſi mors, nemo diſſoluiſſe queat.
Par ut in ambobus ſit amor, ſimiliſq; uoluntas,
Inſit & in duplici corpore pectus idem.
Vt dent felicis felicia pignora lecti,
Quæ patrium geminent per ſua facta decus.
Quæ patriæ proſint, ſimili uenerentur honore,
Dum ſolis cernent lumina clara, Deum.

Talia Pieriæ Phœbo cum fratre ſorores,
Carmina dulciſona perſonuere lyra.
Hæc, uir clare, tibi pergratæ pignora mentis
Mittere me pietas, mittere iußit amor.
Tu me Pegaſeos duxiſti primus ad amnes,
Primitias igitur me tibi ferre decet.
Si tamen & mea uota Deum, ſi numina tangunt,
Fortunet ueſtrum comprecor ille thorum.
Ille duo ſtringat ſociali corpora uinclo,
Cordaq; ſuccendat bina calore pari.
Abſq; Deo nulli bene coniunguntur amantes,

Absq; Deo nullus stat diuturnus amor.
At quos ipse sacro coniungit fœdere lecti,
Illorum nullo tempore cessat amor,
Seu uultus illis monstret fortuna serenos,
Seu rugas eadem fronte, maligna trahat.
Neue morer patrum gestis: quæ cuncta referre
Carmine si coner, non satis oris erit:
Scilicet id loquitur Sara cum coniuge nobis
Thariades, casti cultor uterq; thori.
Vix illis socio similes in amore fuere,
Aequora dum pisces, auraq; uexit aues.
Gaudebant pariter, pariter mala cuncta ferebant,
Difficilemq; famem, difficilemq; fugam.
Sic Deus æqualem uobis precor afflet amorem,
Qui stabilis mortis duret ad usq; diem.
Longaq; concedat felicis tempora uitæ,
Ac uestram faciat crescere prole domum.
Cumq; suprema ferent ambobus fata quietem,
Auferat ex istis in meliora locis:
Hîc ubi nulla dies flammas extinguit amantum,
Nullus ubi turbat pectora casta dolor.

IOANNIS ANDREAE Pirnensis.

RErum opifex sanctus, cœli terræq; creator,
Cum noua iam facies, et nouus orbis erat:
Vt crescant homines, sed non sine lege pudoris,

Legitimi

Legitimi sancit fœdera sancta thori.
De costa sumptam mox Heuam iungit Adamo,
Copulat & faciles in noua iura manus.
Nondum mendaci deceptus fraude draconis,
Factus homo iratum senserat esse DEVM.
Flamma fuit primi casta & moderata pudoris:
Sed nunc peccatum pectoris ardor habet.
Non ideo tamen hoc minus est uenerabile uinclum,
Perpetuò uoluit quod DEVS esse sacrum.
Ipse suo demit quæ noxia cunq; fauore,
Atq; omni placitum tempore seruat opus.
Namq; Deo curæ sunt uincla iugalia: qui se
Offert, & patris nomine spondet opem.
Qui sibi connubij cœtum per fœdera sanctum
Colligit, atq; eius fructibus astra replet.
Astra replet, pellitq; animos de sede superbos
Aetherea, atq; hominum ducit ad alta genus.
Thariades quòd si fugisset gaudia Saræ,
Ebreæ gentis gloria nulla foret.
Si non in thalamos Helcanæ uenerit Hanna,
Non Samuel populi est fama futura Dei.
Ergo tuam cœlebs quid uitam laudibus effers?
Quin sine coniugio, tu sine luce fores.
Quid uult ruga tuæ frontis cerebrose Papista?
Qui thalamos spernit, spernit & ille Deum
Dignus es in turpi meretricis fornice nasci,
Dignus es in natis probra uidere tuis.

Mox quoq; cum turpi persolues dæmone poenam,
Et trahet infernus membra proterua canis.
Sanctior at longè mens est castisq; pijsq;,
Horrent mandatum qui uiolare Dei.
Felix, undanti communis ab æquore uitæ,
Coniugij in portum quem Deus ipse trahit.
Hæc quoq; Fabricio docto sententia sedit:
Cui prima æterno cura placere Deo.
Annos ille quidem uixit sine coniuge multos,
Eius uita tamen semper honesta fuit:
Dum multas causſa studiorum migrat in oras,
Curat & impositum sedulus officium.
Nunc tandem elegit Christo ductore puellam,
Quæ socia est uitæ, quæq; futura thori.
Huc ades ergo sacri uenerabile numen amoris,
Coniugij primi, te precor, auctor ades.
Christe parentis amor, cui firmo Ecclesia uinclo
Iuncta est, ut iuueni sponsa puella datur:
Dexter ades cœptis, & castis annue uotis,
Impetrat omne bonum, cui Deus ipse fauet.
Spiritus alme ueni, pia pectora iunge duorum,
Durat inæternum quod bene iungis opus.
Prodi sponse, sacras iamiam ducetur ad aras,
Inq; manus dabitur sponsa petita tibi.
Audi uoce Dei, modò quæ cantantur ad aras,
Seu iucunda tuo, triſtia siue thoro.
Triſte quidem carni crux est, sudorq;, dolorq;,

Sed bo-

Sed bonitate sua mitigat illa Deus:
Et consueta tibi patientia multa leuabit,
Assiduæq; preces, assiduusq; labor.
Tum qui circumstant nunc ipsa hac æde frequentes
Cognatiq; tui, discipuliq; tui:
Crede mihi, uanis non pulsant æthera uotis,
Arrident tædis ipsa quoq; astra pijs.
Tu quoq; sponsa sacris aures aduerte loquelis,
Parêre & digno disce modesta uiro.
Pande Deo grates: tecum intra pectora gaude,
Ante alias talem sis quòd adepta uirum.
Qui quamuis magna non est ab origine clarus,
At gentem & ciues auxit honore suos.
Non illo quisquã pietatis amantior, æqui est
Cultor, & Aonij candida fama chori.
Ingenio felix, quo primis usus ab annis,
Consuluit studijs turba pusilla tuis.
Quid mitis tractet sæuas ad prælia turmas?
Quid castus Gnidiæ furta scelesta deæ?
Fabricium sacris iuuat inuigilare Camœnis,
Et Christi sumpta facta referre lyra:
Quis implorandus uotis precibusq; benignus,
Cùm minus est uelis aura secunda Deus.
Quoq; ardore pio grates de pectore fundat,
Rebus in aduersis cui tulit auxilium.
Adde quòd & nullos dubitet perferre labores,
Vt liceat multis ocia grata sequi.

Quæ ip-

Quæ latuere prius densa caligine pressa,
Quæq; minus nobis nota fuere prius:
His dant Fabricij clarum monumenta nitorem,
A' summa ut possint nomen habere manu.
Ergo donec erunt uates, & pectora docta,
Fabricij semper nobile nomen erit.
Sponse tibi gaude, uotis Deus annuit æquus,
Ducitur in thalamos Fausta puella tuos.
Aspice ut egregio niteat uirtûtis honore,
Corporis atq; animi concomitata bonis.
Si merito celebris laudatæ gentis origo est,
Et sancto & iusto clara parente satis:
Illius est animi constantia cognita multis,
Grandibus & pietas sæpe probata malis:
Eius erat specimen matronæ mater honestæ,
Aeterni cultrix relligiosa Dei.
Cumq; duodecimam prolem partu ederet, ipso
In nixu celsi scandit ad alta poli.
Quòd si laudanda est facies, moresq; puellæ,
Et bene nota fides, ingeniumq; pium:
Magdalis est multis uultu anteferenda pudico,
Quæ tenet ingenuæ uirginis omne bonum.
Esse bonum nouit minimè durabile formam,
Virtutis summum iudicat esse decus.
Talia uirginea nec solum mente reponit,
Sed se his ornatam dotibus esse cupit.
Sic fuit innocui semper studiosa pudoris,

Cognita

Cognita sic ueri relligione Dei:
Millibus è multis ut sola atq; una placeret,
O decus, ô patriæ gloria rara, tibi.
O uos felices, ô terq; quaterq; beatos,
Quos facili sociat summus amore DEVS.
Viuite florentes, concordes uiuite semper:
Fœdera nam facitis sancta, fauente DEO.
Ex animo iunctum noua dilige sponsa maritum,
Obserua socij sacra uerenda thori.
Tu quoq; sponse tui consortem dilige lecti:
Mutua sit pietas, mutua utrinq; fides.
Et quia non rarò miscentur tristia lætis,
Impositam stabili pectore ferte crucem,
Ferte crucem, Domino si uultis uiuere Christo,
Sub cruce firma solet uincere sæpe fides.
Quamuis coniugibus sic iunctis retia tendat,
Inuideatq; bonis uis inimica Satan,
Nil nocet ille tamen: quia pectora fida tuetur
Rebus in aduersis dextera magna Dei.
Siue igitur nigrum fert tristia nubila cœlum,
Seu profert nitidum Phœbus ab axe iubar:
Vestra operata Deo sint tempore pectora quouis,
Dirigat auspicio cœptaq; cuncta suo.
Ille malas abiget curas, uariosq; dolores,
Et uacuæ mentis gaudia mille dabit:
Et uobis præstabit opis nullius egentem
Fortunam, ut cingat Gratia blanda thorum.

Donabit

Donabit sobolem felicis germina lecti,
Augebit placitam commoditate domum.
Longa dabit uobis optataq; tempora uitæ,
Nec dirimet socium mors inopina thorum.
Cernetis pulchros dulcißima pignora natos,
Inter honoratos nomen habere uiros.

GEORGII TREPTAE AD AVVNculum bene meritum.

CHriste faue cœptis, graditur iã spõsus ad aras
Supplex, & casta fert tibi mente preces.
Ad tua sacra ueni Deus, & procul inde repelle
Nomina quæ sacris sunt inimica tuis.
Qui primùm liciti sanxisti fœdera lecti,
Præcipiens una uiuere carne duos:
Accipe quas fundit summißè sponsus ad aras,
Accipe quas fundit sponsa pudica preces.
Coniugis ille petit, fidosq; exoptat amores,
Quæ petis optanti dat tibi dona Deus:
Virginibus castis lectam de mille puellam,
Instituit uera quam pietate pater.
Quæ sic obsequio deuinxit corda parentum,
Vt reliquis semper carior una foret.
Illa domum uiduam patris, ceu sedula mater
Rexit, & à cunctis culta fauore fuit.
Si spectes mores, nil non laudabile spectas:
Si faciem, uitæ conuenit oris honor.

Quæ

Quæ teneris didicit Christum nouisse sub annis,
Cui datur, à Domino casta puella datur.
Quæ iunxit niueos pietati candida mores,
Cui datur, à Domino sponsa modesta datur.
Nil memoro formam, paucos quæ durat in annos,
Sæpe illam morbus, sæpe senecta premit.
Casta, Deumq; timens effertur laudibus uxor,
Has dotes nec uis mortis acerba rapit.
Si qua pudore uacat, nihil est deformius illa,
Vt uultu superet Tyndarin ipsa suo:
Si pietate: potest, quæso, quid egentius esse?
Siue sit hæc Pelopis filia, siue Midæ.
Malo Hecalen, paruiq; laris, miseriq; parentis,
Quàm cum Medea Phasidis omne solum.
Sed tibi nec pietatis egens, sanctiq; pudoris
Traditur in thalamum nympha decora tuum.
Hanc etiam sacras ducit paranymphus ad aras,
Pronubus ipse pijs qui solet esse, Deus.
Et tibi per uerbum tradit, quo secula primùm
Condita, & è nihilo terra polusq; stetit.
Spiritus at sanctus flagrantes excitat ignes,
Vnus ut amborum mentibus insit amor.
Hoc uinclum duret, nec dissoluatur ab hostr,
Infestus cæptis qui solet esse pijs.
Sponsa preces toto quas pectore mœsta dedisti,
Audiuit cœli summus ab arce Deus.
Qui tibi nunc clemens tribuit maiora petitis,

Vota Deus dando uincere noſtra ſolet.
Ille tibi doctum iungit bona uirgo maritum
Qui fert ingenio nomina clara ſuo.
Patria quem merito colit & ueneratur honore,
Vocibus & dignis extera turba uehit.
Ipſe etiam mores pietate ornauit honeſtos,
Inq; ſuo multum munere laudis habet.
Qui Chriſtum nouit, qua ſit ratione colendus
Cui datur, huic nuptæ pulchra corona datur.
Qui doctas didicitq;, docetq; fideliter artes,
Cui datur, huic nuptæ ſplendida fama datur.
Nam quid opes memorem, ueſani gaudia uulgi?
Qui Chriſtum nouit, poßidet orbis opes.
Sæpius ingenio, pietati, & moribus obſtant
Diuitiæ, cuncti cauſſa caputq; mali.
Fabricium quamuis paupertas preßit iniqua,
Attamen haud ſtudijs obfuit illa bonis.
Diues hic, à Domino quiſquis bona plurima ſperat,
Et fert immota triſtia quæq; fide.
Diues hic, exiguo qui nouit uiuere lætus,
Contentusq; ſuis non petit ampla bonis.
Ergo te tali felicem ſponſe putato
Munere, quod cœli donat ab arce Deus.
Eſſe puta tali te munere ſponſa beatam,
Et grato agnoſcas pectore dona Dei.
Quodq; fauente Deo nunc incœpiſtis, uterq;
Numine diuino perficiatis opus.

Sic ſa-

Sic sator omnipotens rerum pia cœpta gubernet,
Et uestro nunquam cedat ab ipse thoro.
Pignora legitimi det uobis plurima lecti:
Hæc dare coniugibus nam solet ille pijs.
Tu quoq; Christe meis præsens precor annue uotis,
Connubijq; uolens fœdera sancta foue.
Si quid & acciderit, quæ possunt multa, molesti,
Auxilium dextra Christe fer ipse tua.
Afflictos solare tuo uerbo, atq; iacentes
Erige: nam sine te non feret alter opem.
Quemq; immisisti, flatus natiq; patrisq;
Mentibus amborum, floreat unus amor.
Qui maneat seros, & sit sine lite, per annos,
Inficiat donec cana senecta comas.
Hoc mecum ex animo sponsus Deus alme precatur,
Has mecum ex animo dat pia sponsa preces.
Quas tu quæso preces placida bonus aure reconde,
Et tribue optatis uberiora bonis.

PHILIPPI CAMERARII, IOAchimi V. Cl. Filij.

TE sine Christe potest nulli bene cedere carmẽ,
Irritus est omnis te sine Christe labor.
Ergo conanti tædas celebrare iugales,
Ingenio uires suffice Christe meo.
Fabricius casta templum cum uirgine scandit,
Cum casta sponsus uirgine fœdus init.

Illius ad thalamos sacra comitante caterua,
Quam cœlo ducis, Christe uocate ueni.
Mutua ceu quondam firmasti fœdera lecti,
Non renuens humiles ipse subire lares:
Hic ubi Cana tuæ peragit præconia famæ,
Iussa quod ambrosium fuderit unda merum.
Huc ades, hîc etiam cœtus tua sacra colentes,
Vir pius, atq; pio digna puella uiro.
Non est in uini cur transeat unda liquorem:
Vnda suas teneat, sicut & ante, uias:
Tu præsens modò sis: ibi nulla penuria, quam tu
Hospes adis uerbo sanctificante, domum.
Hæc quoq; Christe tuo connubia numine firma,
Faustus ut auspicio sit thorus iste tuo.
Virginis in uotis hoc est, pariterq; mariti,
Hæc simul amborum pectora cura subit.
Hæc dare te uotis par est pie Christe piorum,
Qui uacuas sanctas non sinis esse preces.
Vix mea finieram cum cœtu uota precantum,
Aduentum nosco protinus ipse Dei.
Hic nunc perpetuo uinclo constringit amantes,
Accendens flamma pectora uestra pari.
Insit ut unus amor, mens insit ut una duobus,
Seu lux, seu fuscæ sidera noctis eant:
Felix ô nimium sponsus, nimiumq; beatus
Qui sociam ducit conciliante Deo.
Felix ô nimium uirgo, nimiumq; beata,

Qua

Quæ socio nubit conciliante Deo.
Gaudia uirgo tuo cape gaudia mille marito,
A quo uirtutis non honor ullus abest.
Seu spectare iuuet ueræ pietatis amorem,
Candorem mentis siue notare iuuet.
Seu iuuet ingenij mirari fortè labores,
Laude pares ipsi uix reperire licet.
Si celebres ortus illi fortuna negauit,
At genus illustrat nobilitate sua.
Est satius uirtute sua clarescere, quàm si
Maiorum frustra stemmata laude feras.
Gaudia sponse tua cape gaudia mille marita,
Quæ forma præstat, quæ pietate simul:
Sed probitate magis (fuit hæc quoq; docte Georgi
Vnica legitimo dux in amore tibi)
Quæ patre nata pio, casta quæ nata parente,
Amborum geminat per sua facta decus.
Viuite Nestoreos iunctissima corda per annos,
Non ullus turbet gaudia uestra dolor.
Non uos ulla dies, non nox disiungat amantes,
Quos uno Christus iunxit amore duos.
Innumeri uestra crescant de stirpe, parentum
Ludat & ante senum turba nouella pedes.

THOMAE FABRI FRIBERGENSIS.

MVlta Deus iustis bona se uenerãtibus offert,
Et Sanctos uaria prosperitate beat.

Id ueterum referunt nobis exempla piorum,
Id quoq; nunc præsens hora diesq; probat.
Nam qui cœlesti discit considere patri,
Illius & uero iussa timore sequi:
Hunc amat, hunc rebus miserum solatur in arctis,
Huic donat cordis cuncta petita sui.
Peruenere Dei sic iam clementis ad aures
Magdalidisq; piæ, Fabricijq; preces.
Carmine quîs faustum mea Musa precabitur omen,
Vt bona fortunet cœpta, iuuetq; Deus.
Omnia purpureo si contemplamur in orbe
Munera, quæ tribuit dextra benigna Dei:
Non ullum melius, non est præstantius illo,
Quàm sancta casti uiuere lege thori.
Machina nam postquàm staret pulcherrima mũdi,
Lucerentq; alto sidera fixa polo:
Tum luteo primùm de fragmine fingit Adamum,
Figmentumq;, hominis nomen habere iubet.
Ac ne conspiceret solus tot gaudia uitæ,
Solus & innumeras orbis haberet opes:
Iungit ei pulchram felici fœdere nuptam,
Quæ foret in cunctis fida ministra malis.
Quæ foret in lætis solamen: nam sine fido
Consorte est omnis uitaq; forsq; grauis.
Quod si sacra thori Deus instituitq; probatq;,
Sacra scias sacri non uiolanda thori.
At cuicunq; placet genus hoc attingere uitæ,
Imò cui,

Imò cui, ut placeat, numina magna dabunt,
Auxilium facto diuinum sentit in omni,
Munera multa capit, gaudia plena capit:
Audet & in rebus dubijs sperare salutem,
Vincere dura ualet cuncta, fauente Deo.
Nempe mali plena est, plena est hæc uita pericli,
Nemo labore uacat, nemo dolore caret.
Atq; hos non rarò maiora pericla sequuntur,
Et cruciant multis tristia damna malis:
Coniugium quîs cura sacrum, quîs fœdera amori
Legitima, & casti ius sociale thori.
Hinc uotis distat sanctis fortuna, suumq;
Opponit sanctis inuidiosa pedem.
Hinc struit insidias Sathanas, & semina litis
Spargit, & in membris prouocat arma suis.
Testis es antiqui specimen Susanna pudoris,
Gloria præcelsæ quæ Babylonis eras.
Sed Deus omne leuat præsenti numine damnum,
Fertq; suam iusto tempore fidus opem.
Curarum nubes aufert, incommoda tollit,
Vertit & in mentis gaudia triste malum.
Asmodem angelicis pellit uincitq; cathenis,
Et fugat à placitis in loca sola thoris.
Felix quem summi defendit dextera patris,
Quiq; patrocinio tutus ab hoste Dei est.
Huic nec uis Sathanæ, nec friuola lingua nocebit,
Hoc duce nauifragum per mare saluus erit.

Hæc ignota tuo cùm non sint optime cordi,
Cumq; Dei memori pectore iussa colas:
Iam nouus esse cupis sponsus, nouus esse maritus,
Cœlesti subdens mollia corda iugo.
Vna tibi multas inter quæsita puellas,
Hanc tu solus amas, hæc tibi sola placet.
Gaude quòd talem reperisti sponse maritam,
Quæ multis animi dotibus aucta uenit.
Primum laus magna est, & uirtus digna fauore,
Intactæ pectus uirginis esse pium.
At tua per caros est Magdalena parentes
Edocta sanctæ uirginis omne decus.
O felix, monitu didicit quæ nata paterno,
Aeternum tota mente timere patrem.
Adde quòd & niuei cultrix studiosa pudoris,
Altera quæ sponsæ famaq; lausq; tuæ est.
Non magis exornat teneram res ulla puellam,
Quàm uerus uera cum pietate pudor.
Hic laudis summæ præconia iusta meretur,
Solus & incensos effugit ille rogos.
Diuitias auidi quærunt, & marmore fultas
Aedes, & culti iugera lata soli.
Virtutes animi toto qui pectore laudat,
Cui spretis reliquis uita pudica placet:
Is sapit, & uitæ cumulat sibi munera tanta,
Quanta potest nunquam tollere tempus edax.
Ex omni quis te non dicat parte beatum,

Et te felicem prædicet esse uirum?
Cui pia contingit coniunx, studiosa pudoris,
Cuiq; addit magnum forma benigna decus?
Hanc modò committit sancta tibi lege Sacerdos,
Consortem & uitæ præcipit esse tuæ.
Nunc quoq; spõsa tibi, quòd talem nacta maritum,
Gratulor, & thalamo prospera cuncta precor.
Nacta uirum, cuius non possum carmine laudes
Dicere, nec meritum concelebrare decus.
Si spectes animum, uirtutis lumen in ipso est:
Si mores, referunt candida facta niuem.
Laurea serta gerit, quæ Phœbus tradidit ipsi,
Et studij donum iussit habere sui.
Huius & externis nota est doctrina, fidesq;,
Quàs nostris præstat commoda mille scholis.
Si quæras formam, grauitas elucet in ore,
Et digna eximio gratia læta uiro.
Hæc Antenoreo fulsit quoq; gratia Stellæ,
Cùm Violantillæ colla uenusta petit.
Mallius hoc nituit quondam Romanus honore,
Iulia cui uehemens ardor & ignis erat.
Alite uirgo bono nunc talem iunge maritum,
Atq; omni placida tempore mente cole.
Si pia uota ualent, si non, quas fundit, inanes
Lingua preces, bona si pondera uerba tenent:
Hoc tibi coniugium placidum sit, docte patrone,
Et tibi perpetuò nupta pudica, precor.

Indueant atræ ne triſtia nubila lites,
Aſpera ſed lenis cuncta ſerenet amor.

ANDREAE AGRICOLAE Pirnenſis.

RES ſacrata Deo ſociæ coniunctio uitæ,
Et res legitimè uiuere grata Deo.
Qui poſtquàm celſi radiantia ſidera cœli,
Et præpingue ſolum condidit, atq; mare:
Tandem hominem formát luteo de puluere terræ,
Vt celebret ſummi facta ſtupenda Dei.
Diuini ut diſcat mandata capeſſere uerbi,
Et ſponte impoſiti ferre laboris onus.
Néue ſuæ uitæ producat tempora ſolus,
Sufficerent uni non ſatis orbis opes:
Languida dum dulci declinat lumina ſomno,
E' coſta lateris te creat Eua Deus:
Inq; uiri propriam dextram te tradit Adami,
Quòd de carne fóres eius, & oſſe caro.
Ergo Deus primi ſponſi digniſsimus auctor,
Cui caſti thalami fœdera ſancta placent:
Augeat ut factum prolis generatio mundum,
Nec careat iuſto ſummus honore Deus,
Filius ipſe Dei non dedignatur adeſſe
Hoſpes, & ornare hoc coniugiale ſacrum,
Cum laticum dulci mutauit pocula uino,
Cumq; ſitim ſponſi pauperiemq; leuat.

Ne uerò

Ne uerò alterius connubia fraude petantur,
Quilibet est nuptam iussus habere suam.
Illos quis laudet, uita qui cœlibe gaudent,
Et nolunt casti uincla subire thori?
Vxor (uti dicunt) demens est atq; superba,
Rixas, & litis semina multa serit.
Ingenti irarum non rarò fluctuat æstu,
Peccat & alterius sæpe in amore uiri.
Adde quòd & nati sint magni causa doloris,
Ancipiti morbo languida membra trahunt.
Filia iam grandis poscit cum dote maritum,
Filius at spernit debita iussa patris.
Id licet eueniat: tamen hoc lex sancta requirit,
Tædas atq; thoros quærere legitimos.
Quod sanxit Dominus, non est contemnere iustum,
Huius nec tutum non timuisse minas.
Ille leuis nimium qui uincla iugalia spernit,
Vincula quæ pia sunt præcipiente Deo.
Fœmina se sponso naturæ tradit habendam
Imperio, nixu uentris ut edat onus,
Vt iusto sobolem, multoq; labore creatam
Nutriat, adducens pignora cara Deo.
Non te cognati, non te fraterq; sororq;
Tantoperè, quantum quæ tibi nupsit, amant.
Curua senecta premit si te, si morbus iniquus,
Tunc tibi succurrit, tunc tua damna leuat.
Vomere quid prodest campos sulcare patentes?

Nec non posse suum uix numerare pecus?
Quid gemmæ prosunt? auro quid lucida uasa?
Quid prodest mundi machina quidquid habet?
Si careas, rerum quæ tecum gaudeat usu
Nupta, quæ lecto sit sociata tuo.
Ergo quòd sociam tibi iungis docte Georgi,
Consulis hac uitæ tu ratione tuæ.
Illa dies uenit, qua iam ducetur itura
Spectato in thalamos nata puella patre:
Innumeris toties quam uotis antè petebas,
Vt ceruus solis tempore quærit aquas.
Buccina dat sonitum, concurrit cernere uulgus,
Greßibus ut sponsus templa sacrata petat.
Magdalena uenit pastoris uoce monenda,
Virgo uirginei gloria magna chori.
Vt rata permaneant, stantis coram agmine turbæ,
Legitimi fiunt fœdera firma thori.
Dextera iam dextræ iungatur, & ante parentem
Cœlestem uestrûm dicat uterq; preces.
Huc ades alme parens, & percipe uota precantum,
Largiri tædis prospera fata uelis.
Blandus amor firmis annectat corpora nodis:
Gaudeat ille sua, gaudeat illa suo.
Propugnent illos cœlesti in sede ministri,
Ne noceat Stygij uis truculenta lupi.
Sæpe licet tristi pia pectora mole grauentur,
Te prece placato uertitur omne malum.

Magda-

Magdalena suos cum sponso molliter annos
Impleat, & uiuat Nestoris ille dies.
Vnanimi lecto iunctißima uiuite corda,
Et uestrum placido ferte labore iugum.

SIMONIS STHENII.

O Nimium felix, ô terq; quaterq; beatus,
Quem donas casta coniuge caste Deus.
Fortunata, pio quæcunq; est nupta marito,
Cui fauet, huic præstat talia dona Deus.
Tali Fabricium Deus est dignatus honore,
Magdalin eximio ditat & ipse bono.
Ex animo meritas grates persolue Georgi,
Vt facis, & summo dic bona uerba Deo.
Tradidit uxorem multis uirtutibus auctam,
Et claram niueæ laude pudicitiæ.
Si non incedit fuluo spectabilis auro,
Nec numerat culti iugera plura soli:
Attamen & probitate sua, & probitate parentum,
Fortunæ pensat cætera damna suæ.
Diuitias fastus, sequiturq; superbia formam:
Diuitiæ, uirtus: optima forma, pudor.
Per uarios spectata patris patientia casus:
Omnibus est pietas maxima nota uiri.
Ipse fauet studijs, uirtutis cultor, honestis:
Quaq; iuuare potest, sedulus arte iuuat.
Mater erat specimen rarę integritatis: at illa

Gaudia

Gaudia nunc uitæ prosperioris habet.
O utinam hac ipsa nunc esset luce superstes,
De genero caperet gaudia quanta socrus?
Tu quoq; sponsa, pares animo iam concipe grates,
Ambiet amplexu candida colla suo,
Ingenio magnus, docta clarissimus arte
Fabricius, sacri nomina uatis habens:
A primis pueros qui sedulus instruit annis,
Impiger officium qui facit usq; suum.
Viuite concordes pie coniux, nuptaq; casta,
Quos firmo & stabili iunxit amore Deus.
Vtq; thoro iuncti, sitis sic moribus ijsdem,
Nec lis dissoluat, quos bene iunxit amor.
Incipite intrantes thalamum persoluere uota,
Atq; Deo ex imo fundere corde preces.
Angelus à uobis rixas depellat & iras,
Qui sacri custos dicitur esse thori.
Coniugibusq; pijs infestum repprimat hostem,
Mutuus ut longo tempore duret amor.
Tempora non rigidæ peragatis commoda uitæ,
Concedant uobis uiuere fata diu.
Cernere detq; Deus florentes ordine natos,
Multaq; sint uestræ pignora sancta domus.
Filius ingenium referat, moresq; parentis,
Doctrina studeat dulce parare decus.
Vrgeat in studijs patriæ non degener artis
Cursus, & ueræ sit pietatis amans.

Filiaq;

Filiaq; in pulchras succrescens paruula laudes,
Matri lætitiam præbeat, atq; patri.
Felix, quem summus tanto Deus ornat honore,
Quiq; pius memori carmina mente canit.
Vestro autem (moneo) perstate in munere fortes:
Coniugium res est, credite, grata Deo.

ΕΙΣ ΓΑΜΟΝ ΓΕΩΡΓΙΟΥ ΤΟΥ Φαβρικίου, τῦ φίλου ἀρίστου, καὶ συμπατρὸς φιλτάτου,

ΙΩΒ Ὁ ΜΑΔΕΒΟΥΡΓΟΣ.

Θησέα, πειρίθοον: πυλάδην τ' ἐπίσημον
ὀρέστην
ὑμνῆσιν παῦρας τῆς φιλίης δυάδας.
ἀλλὰ φίλων εἰσὶν δυάδες πολὺ πλείονες ἄλλαι,
Μυρί' ἐστὶν φιλίη πρῆγμα πάνυ πάνιον.
Ζευχθέντες γὰρ ἀνὴρ σώφρων, ὁσίη τε ἄποιτις
ἐυνοίας δεσμῷ, εἰσὶ δυὰς φιλίη.
οὐχ ἥτερον Πελίου θυγάτηρ, ἢ ἑταῖρον Ὀρέστης,
Φιλτάτη Δελμήτορ σόν ξε πόσιν γ' ἄλοχος,
ἢ γαμετὴ νέα ὅσα φίλανδρος ἐλέξαθ' ἑτοίμως,
ὀπυίοντων ἄλλων, αὐδρὸς ὑπὲρ θανάτου.
ὅσσον Ὀρεστίλλη στέρχθη ἀπέδειξε φιλάντων
σῆμα, τεταντίνων ὅ, τι ἔχευσε πόλις.
γράικος ἀποπνίγειν ὄφιν ἄρρενα χερσὶ πελάσσας
δεῖξε

δεῖξε πλέον κεδνὴν, ἢ ἓ φιλεῖν ἄλοχον.
οὐχ' ἧττον τοίνυν πιστὴ κατὰ τὸν γάμον ἐστὶ
ἢ κείνων φιλίη, καὶ πλέον εὐδόκιμος.
πρεσβυτάτη πασῶν φιλιῶν, καὶ ζεῦγος ἄριστον,
εἰς τὸ ὁμοφρονέειν τοὺς γαμέοντας ἄγον.
ἥντινα ὃς φεύγει καθαροῖς μελεδήμασι χαίρων,
γνησίου εὐφροσύνης ἐστιν ὁδ' οὐ μέτοχος.
θατέρου ἀλλὰ ποδὸς βεβλαμμένῳ ἀνδρὶ ὅμοιος,
ἢ πάμπαν τυφλῷ ὄμμα ἐόνθ' ἕτερον,
θεῖον δὴ γάμος ἐστ' ἔργον, θεὸς αἴτιος αὐτὸς,
πῶς δὲ οὐ ἀνθρώποις σύμφορόν ἐστι γάμος;
αὐτὸς ἐπισκοπέει, αὐτός τε ἐπίτροπός ἐστι,
ὄλβιος οὖν, καὶ μὴ ἄθλιός ἐστι βίος.
ταῦτα σὺ ἐννοέων, νῦν φίλτατε εἰς γάμον ἦλθες,
εἴς τε δόμους κούρην ἱμερόεσσαν ἄγεις.
ἥγ' εἰδυῖα τροπὸν χρηστὸν, καὶ ἤθεα κδενά,
σοὶ νοῦν εὐσεβέα προῖκα φέρει ἀγαθὴν.
σοὶ δ' ἐσθλῷ ἄλοχος καταθύμιος ἔσσεται ἀνδρὶ,
ἠδ' ἑτέρη πιστὴ εἰς τὸν ἅπαντα βίον.
οἰκόνομος κεδνὴ σώσει δόμον, ἠδὲ φυλάξει,
ἐσσομένη κόσμος τῇ δ' ἀρετῇ μεγάρου.
τῷ δὲ φιλοστόργῳ τὰ μεγήρατα τέκνα γονῆι
τέξεται, οἷς τέρεσιν πλείστη ἔνεστι χάρις.
ἐντήξει δ' ἁπαλαῖς τούτων παιδεύματα ψυχαῖς,
σπουδαίως διδαχῆς θεῖσα θεμέθλ' ὁσίης.
οὖτ' ἂν ἐοικότα σῇς ἀρετῇσιν τέκνα θεάσῃ,
σὸς τότε ἀτρεκέως ὄλβιός ἐστι βίος.

ὄλβιός

ὄλβιός ἐστι βίος γαμεόντων, ἀλλὰ φυγόντων
τὸν ἤ γάμον, τούτων ἄθλιός ἐστι βίος.
τίμιόν ἐστι πόσις σώφρων, πάλλιστον ἄνοιτις
πτῆμ' ἐσθλὴ, πόσμος τέκνα καλὸς μεγάρῳ.
συμβαίνειν τὰ ἤ σοι συγχαίρω φίλτατε, καὶ σοὶ
δόξαι ἅπαντα θεὸν λίσσομαι ἀθάνατον.

ODAE ET EPIGRAMmata. CARMEN NVPTIALE,

HIOCI MADEBVRGI.

DOnum Dei coniunx bona.
Hanc inuenit quisquis pius,
Ardenter inuocat Deum.
Munus Dei coniunx bonus:
Quod accipit, quæ pectore
Casto Dei numen colit.
Non aureorum millibus
Dotata quæ multis uenit,
Vxor bona atq; commoda:
Molesta diues coniugi,
Nunquam rogat, sed imperat.
At quæ decens est corpore,
Nimisq; forma est prædita,
Grauis uiro est, & insolens,
Formæ comes superbia.

Quod

Quod si genus iactat suum,
Nomenq; nobile: hæc habet
Plus fellis, & mellis minus.
Verè bona est, parentibus
Bonis pijsq; nobilis,
Edocta quæ Dei metu
Illustris est inter pias.
Tum quæ uenusta moribus,
Multis decens uirtutibus,
Cuiusq; fastus est pudor.
Amore dives quæ uiri,
Dotem ferens concordiam,
Iræ, uiro non imperans:
Hæc est bona, hæc donum dei.
Tanto beatum munere
Te Fabrici nunc plurimum
Lætamur, & grates Deo
Tecum benigno reddimus.
O uirgo tanto quæ uiro
Felix futura, iam Deo
Promissa uota soluito.
Faustum sit, & felix, pium
Fœdus, rogamus ô Deus
Auctore te quod iungitur.
Mens una sit, contentio
Absit procul, uir coniugem
Amet, maritum diligat,

Colatq;

Colatq; coniunx unicè.
Amore sit suauißima
Vt uita uestra mutuò.
Nil dulcius, nil pectora
Amore nectit arctius.

ΕΡΩΣ,

Φαβρίκιου.

Ἐμοὶ κύπρις παρίστη
τὸν παῖδ' ἔρωτ' ἄγουσα:
ἀλλὴν δ' ἐγὼ νομίζων
τὴν κύπριν οὐκ ἔγνωκα.
μοὶ φίλτατ' ὦ ποιητὰ,
ἔφη, λαβὼν τὸν υἱὸν
ἔπος γράφειν δίδασκε.
λέγουσα ταῦτ' ἔδωκε
μοὶ παιδίον κ' ἀπῆλθεν.
ἐγὼ ᾖ τὸν μαθητὴν
ἐμὸν διδασκαλεῖον
εἰσήγαγον. χ' ὁμήρου
μάχας μαθεῖν κέλευσα.
αὐτὸς ᾖ τοὺς ἔρωτας
ὀδυσσέως ἐν οἴκῳ
μάθεν. λέγει δὲ πρός με
οὐδὲν μάχαισι κἀμοὶ,
δίδασκε μητρὸς ἔργα

ᾐόν με τῆς κυθήρης.
Τέθηπα. καὶ φίλον μοι
πόλλον τρόμησεν ἦτορ.
θέλων δέ μιν κελσύειν
μάλ' αὐτίχ' ὡς ἀπέλθῃ.
αὐτὸς τάχιστ' ἀπέπτη,
καὶ εἰς μ' ἔβαλλ' οἴστρος.
τότ' ἠσθόμην φλόγ' αὐτῆ
ἐν στήθεσίν μου αἴθειν.

ADAMI SIBERI.

Primos Deus parentes
Iunxit, thoriq́; ſanxit
Leges, potente uerbo
Fœcunditatis auctis
Dono, uiro puellam,
Et dum uirum puellæ
Dat, omnibus diebus
Opus ſuum benignus
Conſeruat & tuetur.
Sic Fabrici maritam
Donat tibi, maritum
Tibiq́; Fauſta, fauſto
Vt uos thoroq́; iunctos
Suo tegat fauore,
Dulci ſubinde prole
Beetq́;, quæ parentes

Et ore,

Et ore, moribusq́;,
Et exprimat Camœnis,
Vobis Siberus optat.

PSALMVS DAVIDIS CXXVIII. Eiusdem.

O felix, pura metuis qui mente Tonantem,
Et legum gaudes illius ire uias.
Non res, non deêrit manuum tibi parta labore:
Aedibus effugiet noxa repulsa tuis.
Innumera coniunx faciet te prole parentem,
Ceu uitis fructu fœta subinde nouo.
Vt rami mensam circum tua pignora oliuæ,
Quas tibi lætitias, gaudia quanta ferent?
Decurres pede inoffenso data tempora uitæ,
Pro te, proq́; tuis inuigilante Deo.
Succrescent nati, succrescet turba nepotum,
Et placida felix pace beatus eris.

MARTINI CRVSII.

Μοῦσ' ἄπιθι, πλειυλὺ πόλιμ ἔρχε' ἐπ' Αλβιδος ὄχθας
Μισλωῶμ: φίχε μοι ἐς δώματ' ἀμύμονος ἀνδρὸς:
σὺσεβίη ἐπὶ πολὺ σοφίη πλυτὸμ ὄνομ' ἔχοντος:
ἀγνὸ ποιητὸ, ὃς τέρπει ὄρανομ ᾠδαῖς:
παιδσύα τε νεὸς ἀρετλὺ, τέχνάς τ' ἐρατεινάς,
πιστὰ περιφραδέως θ' ἅμα. φημὶ Γεώργιομ αἰκ
Φαβρίκιομ πόσμομ Μισλνίδι, τὸμ φίλομ ἡμῶμ.

Ειπὲ δὲ οἱ· Στέλλει με Κρȣ́σιος Αλγοΐηθεν
μεμμίγγης ἄπο, φαβρικίων γένος ἔξοχα τίων:
καὶ τάδε φησὶν· Επεὶ, φίλος, ἤγε' ἄκοιτιν ἐραννὴν,
σώφρονα παρθενικὴν, γονέων τέκος ἐσθλὸν ἀμώ-
σοὶ σὺ δαιμονίαν Θεὸς, σὺ φροσύνην τε διδοίη. (μων:
μάγδαλις ἡ σέο, βοτρυόεσσ' ὡς ἄμπελος, ἔιη:
τέκνα ἢ, ὡς ἔρνη κάλ' ἐλαίης, ἀμφὶ τράπεζαν.
Ειρήνης δ' ἀπόναι' ἀγαθῆς, βιότοιό τε μήκους:
παύτων θ', ὅσσ' ἀπόκειθ', οἷς ἔργα μέμηλε θεȣδῆ.

BLASII FABRICII
Chemnicensis.
SPONSO.

Virtutis arduum decus
Viris in excellentibus
Renidet, estq; gemmeo
Fulgore in auro gratius.
Sunt certa cuiq; præmia,
Iustum colunt, fortem timent:
At temperantem, prouidum,
Amant, sequuntur cæteri.
Deum timentem sed potens
Obseruat & fouet Deus:
Vt cara mater filium,
Vt blanda uirgo coniugem.
Frater thori dum fœdera
Inis, Deum castè timens,

Colensq;

Colensq; purè: ille omnibus
Te sospitabit commodis.
Nil Magdalena carius
Pia tibi, nec dulcius:
En quàm Deus suam pio
Offert benignè gratiam?

SPONSAE.

Est uana uultus gratia,
Vis fluxa pulchritudinis:
Decor, uenustas, & nitor
Sic sunt breues, ut flosculi.
Cui nupta pulchra contigit,
Nihil perenne possidet:
Vt sole concidunt rosæ,
Sic forma & ætas tempore.
Dos est pudor lectissima,
Decusq; sanctimonia.
Curæ labor domesticæ
Decet probatam coniugem.
Hæc laudibus dignissima
Deo placet, uirum fouet:
Talis Georgio meo
Tu Magdalena traderis.
Sic sic pia connubij
Cum prole multa tempora,
Feliciter traducite,
Christi fauente gratia.

ANDREAE FABRICII Chemnicensis.

Ὤμην σὲ γλυκέος γάμου ἑλέσθαι
νῆϊν παύτα χρόνον μένειν βίοιο,
βελτίστησι μόνον ξυνόντα μούσαις.
Ἀλλ' οὐ τόσσον ὄνειαρ εἶν' ἐκεῖναι,
οὐδ' οὕτω γελάαν ἔμελλον ἡδὺ:
ὡς μορφὴν ἐρατὴ κόρη καὶ ἦθος.
τοῖον καὶ ζαθέοιο ἐν νάπαισι
λειμῶνος ποθέεσχ' ὁ πρῶτος ἀνὴρ
εἶδος: καὶ θεός οἱ ἔδωκεν Εὔαν.
Οὕτω καὶ σὺ ἀδελφὲ νῦν ἔχρῃζες
κοινωνοῦ κατὰ σαυτὸν ἠδ' ὁμοίου:
καὶ τόνδ' οὐρανίου διδόντος, εὗρες.
Αὐτὸς γοῦν ζυγίην πατὴρ παναρκὴς
ἁγνὴν συλογέοι: πόροι τε ὑμῖν
αἰῶν' ἡσύχιον, γονήν τε ἐσθλὴν,
καὶ ὅσσ' ὑμέτερος νόος μενοινᾷ.

CHRISTOPHORI ANEsorgi Dipolsualdensis.

Η ΕΥΣΕΒΕΙΑ.

Εὐπρεπὲς οὔνομ' ἔχουσ', ἀρετῶν ἡ ὑπείροχος ἄλλων,
αἰεὶ συζυγίῃς πρῶτα πάρειμ' ὁσίῃς.
Ἁρμενα παύτα γάμοις θεον ἁζομένοισιν ὀπάζω,
σύζυξ' σὐλαβέεσσ' ἄγλαάτ' ἔδνα φέρω.
Ὡς μάκαρές τε βροτοὶ καὶ ὀλβιοδαίμονες εἰσὶν,
οὓς φόβος ἀθανάτου εἷλε θεοῦ μεγάλως:

Ὧν

Ὧν ᾗ μέλει αὐτῷ, λαβρῶς κείνοισιν ἐπαρκεῖ,
καὶ λαμπρῶς αἰεὶ πάντ' ἄφενον παρέχει.
Κτήματος οὖν ἐπεὶ σύγε καλλίστου τετύχηκας,
σὺ τυχέεις μεγάλως τίμιε Φαβρίκιε:
Μνηστούη ᾗ κόρην ἥβης καλὸν ἄνθος ἔχουσαν,
ἡ σέβεταί τε θεὸν, καὶ σὲ φιλεῖ δὲ πόσιν.
Εὐλαβές ἐστι δέος πρόφασις, τ' εἰμαρμένα δῶρα,
ταῦτα σε λαμβανέμεν πρὸς θεοῦ αἰδίου.
Εὐσεβέως αἰεὶ νῦν ἡδίστη σὺν ἀκοίτει
ζήσεις, καὶ χαλεπῆς ἐκτὸς ἀμηχανίης.
Οὕτως ἡ ἀρετῶν ἄλλων προφερεστάτη, εἰμὶ
πηγὴ παντείων σὺσεβίη ἀγαθῶν.

Η ΑΓΑΠΗ.

Η δ' Αγάπη, εὔνους ἀρετῶν οὖσα τρόφος ἄλλων,
στήθεοσιν καθαροῖς ἄξιον ἄνδρα φιλῶ.
Αὐτὸς ὅγ' ἀθάνατος θεός ἐστ' ἀγάπησις ἀμύμων,
ταύτην καὶ θνητῶν νοῦν κατέχειν ἐθέλει.
Ανθρώπων στοργὴν φρενὶ τὴν ἐνέθηκεν ἄμεμπτον,
θυμῷ ἀμωμήτῳ καίτ' ἐρατεινὰ πάθη.
Τιμίου ὃς διαταξάμενος γάμου ἡδέα δεσμὰ,
ἁρμοδίην ἄλοχον φῶτ' ἐκέλευσε φιλεῖν.
Ὡς οὖν αἴδιον πατρὸς τέκος αἰδίοιο
τῆς βροτέης φύσεως, ἣν ἐνεδύσατ' ἐρᾷ:
Οὕτως καὶ σὺ Γεώργι ἄριστε ὅλῃ διανοίῃ
νύμφην σοὶ μνηστὴν, ὡς θέμις ἐστ', ἀγάπα.
Ὡς δ' ἐκκλησίη πίσυνος σωτῆρι Ιησοῦ,
οὐρανίου τηρεῖ ῥήματα θεῖα λόγου.

οὕτως σόν τε φίλει καθαρῶς πόσιν, ἔξοχον ἄνδρα,
μάγδαλι, καὶ τίμα κύριον ὄντα τεόν.
Εν γὰρ παντὶ βίῳ οὐδὲν γλυκερώτερόν ἐστιν,
ἢ ἅμα εἰν ἀγαθῇ ζῶντε γυνὴ καὶ ἀνὴρ.

Η ΣΩΦΡΟΣΥΝΗ.

Σωφροσύνη πάντων ἀνθρώπων κόσμος ἄριστος,
σύειδές τε κλέος τῶν ἀρετῶν πέλομαι.
Γνοῦμα ἐὼν Θεὸς ἀΐδιος καθαρόντε καὶ ἁγνὸν,
οὐχὰς σπουδαίας τῶν ἁγίων δέχεται.
Αγνείαν ὃς ἔταξε γάμου σεμνοῖσι νόμοισι
σώφρονα καὶ πάντας νοῦν ἐκέλευσεν ἔχειν.
Τερπωλὴν νεμεσᾷ βλαβερὴν ὁσιώτατος αὐτὸς,
καὶ μισεῖ σκληρῶς στήθεος αἰσχρὰ πάθη.
Εστι θεοῦ παράδειγμ' ὀργῆς, μέγα δεινὸς ὄλεθρος
τῶν Σοδόμων, οὓς πῦρ ὤλεσεν οὐρανόθεν.
Αὖ δ' οὐεργετέει καθαροὺς νόον αἰὲν ἐόντας,
τοῖστε γάμοις παρέχει σύμφορα πολλ' ἀγαθοῖς.
Μάρτυς τῆσδ' οὐποιΐας ἑβραῖος Ιωσὴφ,
μάρτυς τωβίας, ἥτε Σαρὰ γένετο.
Νοῦ ἄρα ἐν κραδίαις σὺ γεώργι' ἔρα καθαραῖσιν
Μαγδαλίδος, καὶ τοῦ μάγδαλι φαβρικίου.
Τούτου γάρ τ' ἔσεται ἄλλ' οὐχαριέστερον οὐδὲν:
οὗτος ἔρως τε θεῷ ἀνδάνει ἀθανάτῳ.

Η ΟΜΟΦΡΟΣΥΝΗ.

Η ἡ ὁμοφροσύνη ἀρετῶν σύνδεσμος, ἔρωτος
Αρρηκτος ζώνη τοῖσι γάμοισιν ἔφυν.
Τοῖς γε θεὸς δὴ αἰὲν ὁμοφρονέουσι πάρεστιν,

Ειρήνην

Ειρήνην τελέθει τοῖς καὶ ἄγουσι πατήρ.

Ω Ως ἐννωμῶνται πάνθ' ἁρμονικῇσι φορῇσιν,
Οσσατε ἡ γαίη, ὅσσατ' ὄλυμπος ἔχει.

Π Γῶς ἢ μάκαρ κὴν συζυγίη καὶ ὀρεστὴ ἔσοιτο
Κείνη, ἣν γῶν μὴ ζεῦξεν ὁμοφροσύνη;

Α Αρθμιοι οὖν αἰεὶ ζῆτ' ὔμμες ὁμόφρονι θυμῷ,
ξυνὸς ἐνοικείτω ἀμφοτέροισιν ὄρως.

Υ Υμμιν ὀπηδήσαι οὕτω καὶ τὰ χρηστὰ ἅπαντα:
εἴη καὶ τέλεον χάρμα τὸ τῆς ζυγίης.

Α Αὐξάνει ὡς πιμελοῦς τὰ κλήματα σύμφυτ' ἐλαίας,
ἀμπέλου ὥστε μικρὰ κλωναρί' οἰνοφόρου.

Ω Ὡς ὀρατοῖς κοσμηθήσῃ σοὶ ἐοικόσι παισὶ,
Μάγδαλι, καὶ ἕξεις σοὶ τὰ ὅμοια τέκη.

Ο Ουδὲν ὁμοφροσύνης πότε κάλλιόν ἐστι: πεδῶσι
Σῶμα ὅταν διοσὸν, φρὴν μία, εἷς καὶ ἔρως.

GEORGII TREPTAE.

O ter quaterq; felix,
Quisquis Deum timendo,
Eius capeßit imo
Mandata fixa corde.
Seu membra nox caduca
Dulci tenet sopore:
Seu lux redit, suoq;
Intentus est labori:
Intentus & labori
Memor Dei potentis

Discit. suisq; magna
Natis recenset acta.
Natis piosq; mores
Bonasq; tradit artes,
Deum docens timere,
Fratrem docens amare.

Adest tibi, tuumq;
Deus iuuat laborem,
Iucunda de labore
Tibiq; dona præstat.
Et ne qua sæuus hostis
Aduersa moliatur,
Cohors Dei ministra
Te seruat Angelorum.
Tibiq; dormienti
Bonum dat omne Christus,
Qui nuptiale præsens
Honorat ipse sacrum.
Sicut potente uerbo
In uina uertit undas:
In læta sic acerbos
Mutabit ipse casus.
At coniugale serues
Vt absq; labe uinclum,
Te spiritus sacrata
Dei fouebit aura.

Accendet ille uerum
Erga tuos amorem,
Pati docebit æqua
Lene asperumq; mente.

Tu cum tua Georgi
Vxore Magdalena,
Viuas diu, pioq;
Hanc diligas amore.
Tuumq; Magdalena
Georgium uicissim
Doctum, pium, modestum,
Vero colas honore.
Sic adsit ipse uobis
Auctor poli soliq;,
Custos sit & fidelis
Vestræ domus thoriq;.
Florere utrq; natos
Cernatis, & nepotes,
In pace, plurimosq;
Quieti agatis annos.

IACOBI STRASBVRGI.

Veni perennis unitas,
Veni beata trinitas.
Nati parens, fili patris,
Nati patrisq; spiritus.

Vestras

Vestras ad aras uoluitur
Sponsus, precesq; subijcit:
Vestras ad aras procidit,
Puella uoti conscia.
Amoris uno nectite,
Vos bina uinclo pectora,
Ne distrahat lis impia,
Quæ contrahit pax mutua.
Quæ iungitis uos gaudia,
Mors sola tristis separat:
Nil asperum, nil horridum
Thoros piorum dissipat.
Tu sponse sponsam suscipe,
Fidis tuere amplexibus.
Cur membra membris de tuis
Aut carne carnem negligas?
Maritus uxorem bonus
Sic diligat, sic protegat,
Partem sui tenerrimam
Vt curat ipse corporis.
Sit tardus ad conuicia,
Sit blandus in sermonibus:
Firmet domum concordia,
Thorum gubernet gratia.
Fauente sorte, fœderis
Cultor mariti gaudeat,
Premente sorte mutua

Aequus ferat pericula.
Tu sponsa sponsum dilige,
Vxor marito subdita,
Ius imperandi fœminæ
Sortitus est uir liberum.
Vxor modesta non comas
Disponit auro fulgidas:
Amet Deum, colat uirum,
Custos pudoris sobria.
Iucunda natos pignora
Laborioſa nutriat,
Fideq; uera ac moribus
Mentes tenellas instruat.
In tristibus non coniugi
Molesta, non in prosperis:
In tristibus præstet fidem,
In prosperisq; gratiam.
Tu sponse sponsam suscipe:
Fidis tuere amplexibus.
Tu sponsa sponsum dilige,
Vxor marito subdita.
Sic prole multa coniugum
Domus piorum germinet:
Sic gloriam Christus suam
Vestro propaget semine.

IOANNIS ANDREAE.

Felix ter ille & amplius

Qui mente constanti solet
Curis relictis omnibus
Soli Deo confidere.
Talem potenti protegit
Deus manu, contra impios
Hostes, eiq; dexteræ
Dat largioris munera.
Hoc Fabrici notum tibi,
Quem sæpius periculis
Et liberauit, & piam
Cui copulat nunc coniugem.
Ergo nihil fac hæreas,
Astat Deus præsens tibi,
Et uota casti pectoris
Non aure surda colligit.
Lætare casta Magdalis
Inis mariti quæ thorum,
Aeterna cuius plurimas
Impleuit oras gloria.
Hunc tu modesta debito
Obserua honore: nam Deo
Parêre uis, nec contumax
Eius sacris resistere.
Dei fauore sic labor
Successum habebit prosperum,
Videbis & uestigio
Natos paterno insistere.

SIMO-

Grates cane ex imis Deo
Tu Fabrici præcordijs:
Laudes Deo dic intimo
Tu Magdalena pectore.

Præsens Deus uos adiuuat,
Vestrasq; tædas candido
Nutu serenat, & sacro
Assistit aris numine.

Viro modesto & integro
Modesta uirgo traditur:
In utriusq; moribus
Lactis niuisq; candor est.

Sacrum pudici ascendite
Lectum, frequentes soluite
Preces Deo, atque simplici
Confidite illi pectore.

Crucem ambo ferre discite,
Bonos sequentem coniuges:
Et si quid imminet mali,
Malo imperate fortiter.

Hostem cathenis Angelus
Thori pudici uinciat:
Dulci maritus coniugi
Se non acerbum præbeat.

Durate uestro in munere
Constanter, adiuti sacro

Spiramine, ut ſitis Dei
Veræq; membra Eccleſiæ.
Dei in timore educite
Deum colentes pignora,
Matrumq; multarum pium
Tu ſis Georgi gaudium.
Voca tenellos ad Deum
Greges iuuentæ: & ſtrenuis,
Docens labores perſequi,
Ipſe antecede greſſibus.

MATTHIAE BREVII

Thorum iugalem ſancijt
Oſor Deus libidinis:
Mens caſta ſanctorum probat
Caſtos amores coniugum.
Beatus ille qui Deo
Rectas imit uias duce:
Beatus ille qui Deo
Laudanda tentat præſide.
Præſto hic fauore ſit ſuo
Tuis Georgi gaudijs,
Qui Magdalenam fœdere
Tibi copulauit mutuo.
Quidquid doloris accidit,
Quidquid laboris obruit,
Solius id præſentia
Leuatur omne numinis.

Sit ue-

Sit ueſtra prole fertilis
Multa domus: ceu turgido
Vitis graueſcens munere,
Fructuq; oliua bacceo.

LVCRETIA SPONSAE IN NVMMO ARGENTEO, HIOBI MAdeburgi.

Sponſa, meæ ſimilem caſtam Lucretia mentem,
Sed mea non opto triſtia fata tibi.
Sis memor, hæc oculos quoties incurret imago,
Exemplum cunctis me eſſe pudiciciæ.

CHRISTOPHORI SCHLEINICII ſuo fratrumq; nomine.

Præſtanti uirtute uiro formoſa puella
Fabricio, & caſto uirgo pudica datur.
Huic igitur, fratres, connubia fauſta precemur,
Eſſe probet gratos nos hodierna dies.
Non quimus maiora tibi dare munera, quàm ſi
Iungamus precibus nos quoq; uota tuis.
Sancte Deus, caſtæ qui ſancis fœdera tædæ,
Coniugibusq; pijs ſemper adeſſe ſoles:
Proſper ades, cœptum ſponſi ſponſæq; guberna,
Coniugijq; illis triſtia cuncta leua.
Hac precor ipſorum florens concordia duret,
Et nullo ceſſet tempore uerus amor.
Da quoq;, morigeri, gratiſſima pignora, nati

Virtute ut referant ingenioq; patrem.
Augeat & Deus alme tuæ benedictio dextræ
Ipsorum iusto parta labore bona.

EIVSDEM.

Præceptor gaude tecum, sortite puellam
Insignem & formæ & laude pudiciciæ.
Sponsa etiam talem gaude sortita maritum,
Ingenij clarum nobilitate sui.

PAVLI MADERI.

Felix, cui castis contingit moribus uxor,
Is capit à Domino gaudia læta Deo.
Quæ dotata uirum summis uirtutibus ornat,
Quæ decus atq; suo pulchra corona uiro est.
Hanc tibi donatam à Domino præceptor amande
Gratulor, & tædis omnia fausta precor.
Qui sanxitq; probatq; Deus sacra fœdera lecti,
Et qui coniugibus gaudet adesse pijs:
Ille det, ut uobis feliciter omnia cedant,
Mens ut in æterno uestra sit una Deo.

ANDREAE CELLARII.

Qui sacra legitimi seruabunt fœdera lecti,
Hos Deus æternis uult decorare bonis.
Fructifera ut uitis, uiridisq; ut ramus oliuæ,
Sic studiosa uiri fertilis uxor erit.
Ergo cum Domini mandata uir inclite serues,
Atq; ineas casti fœdera casta thori:
Gratulor ipse tuis toto de pectore tædis,

Proq;

Proq; thoro supplex uota precesq; fero.
Vt fausto tædæ feliciter omine cedant,
Et maneat longo tempore castus amor.

PHILIPPVS MELANTHON.

Coniugium uestrum sit felix nomine CHRISTI,
Inq; Deo sit mens una, sit unus amor.

FINIS.

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS EPITAPHIA aliquot.

OPTIMAE FOEMINAE, BARBARÆ, uenerandi uiri Ioannis Tetelbachij uxoris Epitaphia.

GEORGIVS FABRICIVS.

HIc Tetelbachij Ioannis conditur uxor,
Dulce decus domini Barbara casta sui.
Illa Deum sancto studio uenerata, fideq;,
Expressit ueram moribus ipsa fidem.
Lenijt exilium placida pietate mariti,
Cum patrio pulsus cederet ille solo:
Non uellet Latio quòd consentire Babali,
Mutanti leges & sacra Christe tua.
Ipsa erat exemplum castarum, lumen honoris,
Inq; sua mater relligiosa domo.

Formauit natam pulchra uirtute tenellam,
Cuius adhuc uultu plurima mater ineſt.
Et docuit paruos dulciſſima pignora natos.
Quæ data de ſummo ſunt elementa Deo.
Miſniaca peſtis cùm deſæuiret in urbe,
Seruata eſt precibus coniugis illa ſui,
Quem mox Chemnicium, docturum ſacra, ſecuta,
Cæſarea tumulum poßidet urbe ſuum.
In cœlis autem felix ſuper æthera uiuens,
Alterius uitæ gaudia plena tenet.

ANDREAS FABRICIVS.

IN Domino claudens fatalia tempora coniux,
Hoc Tetelbachij ceſpite fida cubat.
Illius æthereas mens emigrauit ad arces,
Aduentum expectans maxime Chriſte tuum.
Angelus agniculi conſperſos ſanguine poſtes,
Iſacidumq; uelut præterit enſe domos,
Dum primos perimit miſerando funere partus,
Quam latè Aegypti ditia regna patent:
Sic illam mors atra, Dei ſic uindicis ira
Præterit, & Chriſti ſeruat amica fides:
Namq; abluta ſacris undis, Chriſtiq; cruore,
Vitæ ſigna habuit non abolenda ſuæ.
Terra quieſce parum, da lumina feſſa ſopori
Corpus, & hac natum te ratione ſcias.
Mox animæ ſociata tuæ quoq; terra reſurgens:
Excellet ſolis uiuificata iubar.

IDEM.

IDEM.

Ενθάδ' ἀποιχόμενον δέμας σὺκτὴν εὖρ' ἀναπαυ-
ὦ φίλ' Ιωάννης σῆς ἀλόχοιο φίλης. (λὴν,
ἣν μάλα πόρ λιγυροῖσι σὺ τεθνηκῆαν ὀδυρμοῖς
ἐκζητεῖς, ὁπόταν πρὸς τὰ σὰ τέκνα βλέπεις.
ἀλλὰ σὺ δὴ σὺθύμει, ἐπειδὴ ζῆ ἅμα χριστῷ,
καί τινα αἴδιον σὺν μακάρεσσι βίον.
ὅστις ἐ ἀμπλακιῶν πιστεύει λῦτρον ἐόντα
τὸν θάνατον χριστοῦ, οὐ θάνεν, ἀλλὰ βιοῖ.

IACOBVS FABRICIVS.
Barbara loquitur.

IN Christo moriens, uixi bene: desine flere,
Qui fles: haud lachrimas gaudia nostra ferunt.
Viue Deo soboles, Christiq; marite minister:
Nil mea uos turbent funera, uiuo Deo.
Vince marite tua iussos pietate labores,
Cerno hîc dona Deûm quanta docentis erunt.
Morte relinquuntur, redeunt simul omnia morte,
Secum æterna tulit gaudia summa dies.

IDEM.

Mortua sum terris, in cœlis Barbara uiuo,
Non finem capiunt omnia morte suum.
Care marite uale, sobolesq; tenerrima turba,
Exemplum patris uiue, meumq; sequens.
Ad sua qui clemens me cœlica regna uocauit,
Nunc præerit uobis rectius ipse Deus.

IDEM.

Hoc Tetelbachij uenerandi Barbara coniunx
Condita sub tumulo, morte soluta iacet.
Hei desiderium sobolíq; uiroq; reliquit
Ingens uirtutis, coniugijq; pij.
Sic bona quæq; petunt cœlum, peiora supersunt:
O Deus, humanum sit tua cura genus.

GEORGIVS TREPTA.

CVi spes in Christi semper fuit unica morte,
Hîc Tetelbachij Barbara fida iacet.
Lenijt illa uiri tristes solamine casus,
Sæpe ideo tumulum fletibus ille rigat.
Erudijt sobolem uera pietate tenellam,
Sæpe ideo tumulum fletibus ista rigat.
Quid uani prosunt fletus? pia mater & uxor
Regna tenet, fletus nescia, plena boni.

CONSOLATIO EIVSDEM.

Moribus excultæ cur defles fata maritæ?
Tristia cur multis fletibus ora madent?
Abijce sollicito muliebres corde querelas,
Namq; decent talem fortia corda uirum,
Nam tu maiores olim perferre dolores
Assuetus, uerbis erige corda Dei.
Ne tibi displiceat Domini subeunda uoluntas,
Qui tibi iure suo quæ dedit, illa tulit.
Ille tuam uxorem rapuit: spectare ruinam,
Non patriæ tristem debuit illa suæ.

Namq;

Namq; uides homines sacras nunc spernere leges,
Et ridere ipsum cum pietate Deum.
Interitus certè miserandaq; pœna sequetur,
Amplius hæc Dominus cernere facta nequit.
Ergò felices animæ, quis contigit hisce
Temporibus placidè mortis adire uiam.
Committens animam Domino tua finijt uxor
Vitam, quam firmè credidit esse nouam.
Ergo etiam terra postrema luce resurget,
Et promissa pijs gaudia læta feret.
Qualia lingua hominis non enarrare ualebit,
Quæq; per æternos sunt capienda dies.
Ne nimium luge, casus patienter acerbos
Perfer: qui dedit hoc, leniet ille malum.

FINIS.

BASILEAE, EX OFFICINA IOannis Oporini, Anno Salutis humanæ M. D. LX. Mense Augusto.

BIBLIOTHEK
DESBILLONS
MANNHEIM

I, 2, 5)

UB Mannheim



UB Mannheim
DFG



UB Mannheim